



1
6
222









TOBIÆ MAGIRI PROFESS. FRANCOFURTANI

EPONYMOLOGIUM CRITICUM

EX

PRINCIPUM

Sacrorum, ſecularium, Virorum

Togatorum, Sagatorum, Locorum inſignium,

Patrum, Philologorum, Iↄtorum, Medicorum, Philoſophorum, Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum deſcriptionibus, in utramque partem

COGNOMENTORUM

Iuxta, quibus noti ac notati, varietate delenifica locupletiùs concinnatum,

Cuius uſum & oblectationem, antefatio, Cognomentorum titulorum ſelectiorum apices, index præmiſſus pandit.






Francofurti ad Mœnum,

Sumptibus JOHANNIS PRESSII, M. DC. XLIV.

Cautela Bibliopolis & Typographis ſcripta ab Auctore.

Hoc Vos volo, vobis bono, ut ne tentetis POLYMNEMONA MAGIRI *auctore inconſulto, prælo ſubjicere, eò quod non exigua ſui incrementa ſumturus eſt. Ea quæ ſanè privilegij cuiuſdam regij loco, ipſi Auctori eiuſque literatis filiis in quorum hæc manu. V.*



THEATRUM GLORIÆ
quod
CELSISSIMI MAIORES APERVERVT
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRIN-
CIPI AC DOMINO DOMINO.

FRIDERICO WILHELMO

MARCHIONI BRANDENBVRGICO,
SACRI ROM. IMPERII ARCHIGAMERA-
RIO ET ELECTORI SEPTEMVIRO
Prussiæ Juliæ, Cliviæ, Montium
Stetini Pomeranorum Cassubio-
rum, Vandalorum Crosnæq;
ac Carnoviæ in Silesia Duci
BVRGGRAVIO Norimbergensi
PRINCIPI Rugiæ,
COMITI Marcæ et Ravenspergi
DOMINO Ravensteini etc.

Ingredere Heroum *Flos exoptate Theatrum,*
utq; facis, propriys dotibus adde decus,
Quin liceat nobis in TE hoc spectare Theatrum
Queis nil de TE SPES tanta negare potest.


Doctrina et Jure
IOACHIM,
a A°. 1499.

Eloquentia
IOANNES
Cicero Germa:
A°. 1486.

Felicitate
ALBERTVS
Achilles Ger-manicus.
A°. 1470.

Fortitudine
FRIDERI-CVS. II.
Ferratus
A°. 1440.

Magnanimitate
FRIDERI-CVS. I.
Radix Electorat.
A°. 1417.





SERENISSIME AC POTENTISSIME ELECTOR AC DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME,



Vm alios è populo arcus erigere, portas struere triumphales, choros ornare, atq; ordinare, dramata edere, Heroum ab Hercule usq; & Theseo repræsentare imagines, in SERENITATIS VESTRÆ honorem & læta principatus auspicia, viderem, mihi sub manu recudebatur EPONYMOLOGIUM. Hoc cum inter alia decantatissimorum in orbe *Regum atque Principum* descriptionibus abundaret & Cognomentis, THEATRO GLORIÆ BRANDEBVRGICÆ præfulgidum V. S. offerendum duxi. Etenim sic existimabam domestica magis quàm peregrina, & quæ veritate nituntur historiæ, validiùs, quàm ea quæ fabulosa antiquitate se jactitant, monere, movere, delectare.

Adproba DOMINE CLEMENTISSIME, hanc salutandi formulã, à Celsitudinis T. prosapia decus mutuantem, accipe enarchismum imperii Tui, à devoto pectore manantem, accipe, sed rei pretium ne æstima. Aquæ vola est, ab obviante subdito, ne respue, Persici Monarchæ exemplo; rapicium est munusculum, ne rejice, Gallicani Regis imitator, ab hortulano venit inter Academicos minimo. Complectere PRINCEPS LAVDATISSIME, nomen MAGIRI ea qua *serenißimus Parens* solebat, ea qua à teneris ipse digna-

tus es, clementia atq; benevolentia, & ne barbam vellat seni, audacula huius temporis virulentia, patrocinio prohibe pientissimo. Aristidem olim *Græcorum felicitatem* salutabant Græci, Tu nobis salve Marchigenis *Felicitas Marchiæ*! salve SPES MELIORVM cœlitus demissa! Tu GLORIÆ THEATRVM quod sublimitas majorum pandit, virtutum entheatrum fornicibus extensurus, Tu *almæ pacis* tibicinibus subfulturus, Tu omnes omnium virtutes Majorum unus tanquam viva tabula expressurus, Tu aureum nobis seculum reducturus es, ita auguramur, speramus, optamus, oramus cives & ministri, eosq; inter

CELSITVDINI
VESTRÆ

subjectissimus

Tobias Magirus Senior.

LECTO-

LECTORI

Cum dignißima honoris præfatione

PACEM, IN QVA VNIVERSA.

Viderant illi qui recte utuntur oculis,

LECTOR GRATIOSISSIME AC BENEVOLENTISSIME.



Væ emolumenta redundarent Musarum doctorum Cultoribus ex penitiori Auctorum notitia, ideoque non una ex plaga stimulus mihi subditus, ederem ad hanc rem aliquid locupletius, & ederem sanè separatim. Morem gessi, ut nostrum est, qui *non gloriæ nostræ*, quod T. Livio improperat Plinius, *sed commodis aliorum quærimus*, nec Scriptorum tantum luculentiorum, verùm & Virorum, qui argumentum sunt scribendi, EPONYMOLOGIVM, sub quotidiana lectione, quasi obiter, collegimus CRITICVM.

Neq; majestatem magnorum lædi Principum existimavimus, ceterorum intermistos esse turbæ, tanquam stellulas, quandoquidem Regum sapientes, qui veri Reges, lárariis suis doctos non excluserunt, sed fasces eorum foribus submiserunt, eorum, inter flammas & deprædationes, ædibus ac museis pepercerunt, plura semper se debere literatis, quàm sibi debere ultrò professi.

Erudiet

Erudiet autem hoc Nominum & cognomentorum choragium animum, judicium, memoriam, ipsos quoque mores, adde & cor voluptate quadam deliniet.

Animum, ut Autores bonæ monetæ discernas à sequioribus. Magni ea res momenti, quandoquidem non minus infortunium in scriptorem dupondium atq; ineptulum, quam in carbones incidere, si verum illud Domitii Pisonis est *libros nostros thesauros esse oportere, non libros.*

Iudicium, ut Patres illos Literatorum Conscriptos cum intellexeris, eorum censuris præmunitus, ipse cognito libri genio, censurarum hypercrisin tentes, quando nulla ævi vis coactura est, jurare in verba magistri, aut animo immortali libertatem ereptura.

Memoriæ adminiculabitur mirificè, dum appellatio, aut cognomentum personæ aut rei, in facillimam sententiæ aut historiæ recordationem inducet, sic ut ego sanè hanc primam artis memorativæ partem semper duxerim, uti alteram eutaxian.

Mores dubio procul ducet, quò decet. Etsi enim

ipsa quidem Virtus sibimet pulcerrima merces:

nemo tamen est, cui non

dulce supervenit ad manes, cum gloria vitæ
durat apud superos, nec edunt oblivia laudem.

Et desperati sanè ingenij est aliorum vitia & errata tanquam aspidem videre, nec fugere: ut contra *frugi indoles, ubi alteri culpæ duci sentit officij negligentiam, operam de se promtiorem*, (quod rotundissimus Symmachus scribit ac suadet) *pollicetur*: scita crede, non minus quàm vera est sententia:

Omnis

Omnis doctrina est demta probitate, napellus
Ut speciem referat cassidis herba, necat.

Deniq; *cor* suaviter afficiunt succincta COGNOMENTA, tanquam puncta rerum, & ingeniorum, unde fluunt, non mediocrium argumenta. Majores nostri id operam dederunt, rem ut prolixã una exprimerent voce aut apice, testis sacra, testis prophana historia. Et sapientũ fuit omni ævo tacere, aut strictim loqui, quando rectissimè à quodã ex veteribus dictum, *loquendi nos magistros habere homines, tacendi verò Deos*: sicubi verò verborum opus copiâ, uti ea, tandem verò verbo apposito, eoque uno, aut uno alterove, quasi aureo clavo, laudem aut vituperium pangere animo auditoris. Ductrix ad eam rem doctrixq; natura, imò cœlestis providentia, à qua neq; fortunam excludimus, aut casum. Natura quippe, quod paucis licet, plurium apparatu non expedit, & eam primos vocasse in consilium onomaturgos, non frivola est veterum conjectura, qui nomina rebus dare convenientia, studuerunt, sicut & in diverbiũ abijt, quod Nannius & Hieronymus Columna in Andromacha Ennij illustrarunt: *personas omnes etymo fatis suis convenire.* De Hipponensi Antistite Aurelio Augustino id confirmat Reterodamorum decus, cum inquit: *quid habet orbis Christianus hoc scriptore vel magis aureum, vel augustius? Ut ipsa vocabula nequaquam fortuitò, sed Numinis providentia videantur indita Viro: auro sapientiæ nihil pretiosius, fulgore eloquentiæ cum sapientia conjunctæ nihil mirabilius.*

Quod si non veritas, non meritum, non honor fecit agnomina, sed injuria & livor in notam aliorum produxerit, ab ipso Hyperbolo aut Hipponacte dictata: cum iis nobis nihil commercii, *nec ulli bono* aut (ut Alciatus loquitur)

ſano; ſunt enim talia non nomina, ſed crimina, non cognomina, ſed ignominiæ, non voces ſed convitia, & verba per jugulum reditura, quæ non incurrunt Vlpiani duntaxat legem *in eos qui epigrammate aut epitheſi notant alios*, verum judicium exſpectant, illud quod *raca dicentibus fratri* aut ciconiam à tergo pingentibus, Redemtor noſter jam olim ſeverè interminatus eſt.

Linguarum vero longè gravius pendendum ſupereſt illis, qui vel ſibi ipſi Dei epitheton faſtuoſè, vel aliis adſentatoriè adrogârunt, quibus Gigantibus Jehova altipotentiſſimus jamdudum fulmina oppoſuit, ipſos ſolio quod invadunt, deturbatura, nempe ut oraculo cœleſti ſua ſtet æterna auctoritas: *nomen meum alteri non dabo*.

Atq; hoc eſt quod præponendum noſtro Eponymologio duximus ac præmonendum.

OPTIME LECTOR.

Bene utere, conatibus fave, & Muſis noſtris tanta & totiuga paſſis, tot annorum Martialium difficultatibus dura dirave, Pacem pro caritate exopta, pro virili inſtaura quod ſi nec vota nec vires proficiunt, *noſtros ſaltem miſerare labores*, iſtius Chryſologi, imo divini meminens oraculi: *miſericordiam qui non dat alteri, tollit ſibi*.

Ad



Ad Auctorem Collegam & Amicum.

Ingeniis nil maius: & his lucem atq; decorem
Addere quisquis amat, laude vehendus erit.
Grati animi signum est merita æternare Virorum,
Quorum oblivisci nomina *Musa vetat.*
Quod facis hîc aliis, alii facient TIBI: claros
Inter clarus eris, CLARE MAGIRE, Viros.

Gregorius Francus S. Th. D. &
Senior Facult. Theol.

Ad Lectorem.

Sabbathum ut extaret *Christianum*, prima MAGIRO
Cura erat, antiquæ relligionis opus,
Gratum sacrorum mystis: *Polymnemona* Musis
Multisciæ hinc voluit condere mentis opus,
Magna hæc post gratæ commendat *Nomina* famæ,
Profecisse olim queîs sibi dulce fuit:
Candidus atq; aliis monstrat. *Gratum* anne MAGIRUM,
An *doctum* magis, an dixeris esse *pium*?

M. Fridericus Reichelius
Ling. Sanctæ Prof. P. in Electorali
Viadrina.

COGNOMENTORVM ET TITVLORVM SELECTIORVM INDEX.

Atripes

D.

E.

F.

Frugi

G.

H.

I.

K.

L.

Lacco-

Nomen

)()()(Porcus

Q.

R.

S.

Scrofa

Tyrta-

EPONY.



EPONYMOLOGIVM CRITICVM

H. e.

COGNOMENTORVM ATQ; DESCRIPTIONVM VARIARVM LIBELLVS

TOBIÆ MAGIRI Prof. Academici.

Nullum est majus felicitatis specimen, quàm semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. *Plin. l.* 35. *c.* 2.

ADAM.



DAM. Nomen compositum ex quatuor plagis mundi Græcè appellatis: Ανατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία. Est enim MICROCOSMUS. *Honorius Augustodunensis de imagine mundi l.* 1. *c.* 86.

ADAM humani generis appellatio communis, quo nomine terra natus significatur: quemadmodum hominis appellatione tam masculus quàm fœmina continetur, *teste* Caio, l. 152. ff. *V.S. Rhod. l.* 2. *c.* 20. *gen.* 5. *v.* 2.

NOΥΣ TERRENVS apud *Ambros. lib. de paradiso c.* 2. *& l.* 2. *de Abraham. c.* 1.

Animantium Fictoris SIGNUM ambitiosè detornatum. *Basil. Seleuc. or.* 2.

Simul fictus & Rex factus. *Basil. l. c.*

Eorum possessor quorum non fuerat conditor.

Nomenclator naturarum.

Nominum artifex, quando rerum esse non poterat. *ibid.*

Animata divinæ dignitatis IMAGO. *or.* 3.

Manuum divinarum opus.

Paradisi custos *ibid.*

DEI manu, delitiarum paradisi & prima lege dignus habitus. *Naz. or.* 20.

Agricola plantarum immortalium & divinarum notionum. *Anastasio Sinaita l. 7. hexaem.*

AARON.

Sacerdotum primus & sanctissimus. Magni & sacrosancti tabernaculi *Mystes*, quod fixit Dominus & non homo, Mosi pro LINGUA. *Naz. orat. 6. & 20.*

ABDVLMELICVS.

Fil. Arvanis, *Chalifa XII.* ob avaritiam notatus cognomento, dictusq; SUDOR LAPIDIS. *Erpenius lib. 1. hist. Sarracenica. c. 12.*

ABEL.

JUSTITIÆ CHARACTER, qui mentem DEO dedit ante donum, qui Deum, qui prospicit in prospectus, ante visa dona, invisibilibus donariis oblectavit. *Basil. Seleuciens. orat. 14.*

Primus JUSTITIÆ FRVCTVS, præmatura morte excisus. *Elias Cretensis in orat. 3. Nazianz. p. 129.*

Justus elogio SS. Matth. 23. 35.

ABRAHAM.

ORBIS TERRARUM PATER. *Basil. Seleuc. or. 7.*

Magnus Abraham & PATRIARCHA, & *novæ victimæ* MACTATOR *Nazianz. oratione 20.*

PATRIARCHA. *Syrè*: PRINCEPS PATRUM. *Rom. 4. 1.*

Religionis & multiplicis doctrinæ Magister. *Suid.*

PATER FIDEI, divinæ familiaritatis Vir. *Tertull. l. de Resurr. c. 18.*

Patientiæ simulacrum. *Basil. Seleuc. orat. 14.*

Fide primus, justitia præcipuus, in prælio strenuus, in victoria non avarus, domi hospitalis, uxori sedulus. *Ambros. 1. officior.*

ABVLENSES.

FIDELIUM titulo honorati, cum Alfonsum puerum quadriennem, ex Ferdinandi patrui Regis Legionis, unguibus eripuissent. *Mariana & Seth. Calvis. A. C.* 1187.

ACCIVS.

Tragœdiæ Scriptores ACCIUS *atq; Pacuvius* clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, & auctoritate personarum. Cæterum nitor, & summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus quam ipsis defuisse. VIRIUM tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem qui esse docti affectant, volunt. *Quint. l. 10. c. 1. Inst. orat. p. 451.*

aufert

aufert   *Pacuvius* DOCTI *famam senis*, *Accius* ALTI.
Horat II. epist. 1. v. 32.

An Latiæ Musæ non solos adytis suis Accium & Virgilium recepere, sed eorum & proximis & procul à secundis sacras concessere sedes. *Colum. de rerust. l. 1. præf f. p. 162.*

Pacuvii Judicium de Tragœdia Accii, cui Atreus nomen, legere est apud *Agell. l. 13 c. 2. adde tit. de Ingenio. n. 3. Polymnemonis nostri.*

Amatus in tantum Accius à Decio Bruto fuisse dicitur, ut Accianis versibus templorum & monumentorum frontes & aditus exornare consueverit. *Ex Cic. Girald. de Poëtis* qui de alio Accio, qui Ciceroni coævus fuerit, id exaudiendum putat.

Accius Julio Cæsari amplissimo & florentissimo Viro in colloquium venienti nunquam assurrexit: non maiestatis eius immemor, sed quod in comparatione communium studiorum aliquanto superiorem se esse confideret. Quapropter insolentiæ crimine caruit, quia ibi voluminum non imaginum certamina exercebantur. *Val. M. l. III. c. 7. exemp. II.*

ACHATIUS.

ACHATIUS Orator egregius è Cæsarea Palestinæ Libanii Sophistæ sodalis. *Eunap.* Post Christianus ac Præses Cæsareæ. *Hieronymus* μονόφθαλμος i. e. DEFIOCULUS dictus quod altero captus esset oculo. *Volat. l. 3. Anthropol.*

ACHILLES.

ACHILLES STATIUS *Alexandrinus* amatorium scriptor: tandem Christianus & Episcopus: cuius tamen oratio in omnibus partibus, amatoriis orationibus similis. *Suid. & Volat. l. 3. Anthrop.*

ACHILLES STATIUS Vir summus, atq; ut eius amplitudo, & præclara omnium scientiarum cognitio meretur, non nisi cum honore nominandus, *Cariol. 1. Antiq. c. 2.*

ACHILLES.

ACHILLES Pelei ac Thetidis F. ab igne servatus primùm dictus est PYRISOUS, ob labrum tamen exustum, dictus est postea ACHILLES. *Fab. est apud Natal. Com. l. 9. mythol. c. 12.* vel quod ἄνευ χιλῦ i. sine cibo aut pulmento enutritus. *Confer. Eustath. Il. α & Rhodig. 24. c. 6.*

Ab hoc ACHILLE appellantur insigni fortitudine Duces, ut *Luc. Sic. Dentatus* ob ingentem fortitudinem ACHILLES dictus, quod 125. præliis depugnasset, cicatricemq; aversam nullam deportasset. *Agell. lib. 2. c. 11.*

ACHILLES vocatos, omnes illustres extitisse consignat *Photius biblioth. p. 487.*

ACRON.

Acron q. dicas Summus. *Medicus Agrigentinus*, antiquior Hippocrate, quo de Epigramma Empedoclis aut Simonidis ridiculum.

Ἄκρον Ἰατρὸν ἄκρον' ἀκραγαντῖνον, πατρὸς ἄκρου,
Ἀκροτάτης κορυφῆς τύμβος ἄκρος κατέχει. H. e.

Summum Medicum Acronem Agrigentinum Acri F.
Summi cacuminis ſepulchrum ſummum detinet. *Suid. Volat.*

ÆGYPTVS.

Ægyptus clauſtrum annonæ. *Tacit. III. Hiſt. 5.* confer *Ammianum l. XXII. c. 34. & ſeqq.* Ea gens Poetices ſtudio mirum in modum inſanit, ita ut ſeria tractans Mercurius, ab iis ſeceſſerit. *Eunap. in Proæreſ. p. 160.*

Ægyptus levis, & ad omnia famæ momenta volitans. Vopiſc.

Ægyptii viri ventoſi, furibundi, jactantes iniurioſi atq; adeo vani, liberi, novarum rerum, uſq; ad cantilenas publicas, cupientes verſificatores, epigrammatarii, mathematici, aruſpices, medici; & quibus præſentia ſemper tempora cum enormi libertate diſpliceant. *Vopiſcus in Saturnino c. 7. quò vide.*

Reposcones acerrimi. *Ammian. l. 22. c. ult. quò vide.*

ÆLIANVS.

Ælianus Præneſte in Italia natus, Pontifex & Sophiſta, prænomine Claudius, cognominatus verò ab orationis ſuavitate Meliglossus, vel Meliphthongus, poſt Hadriani tempora Romæ Rhetoricam profeſſus eſt. *Ex Suid.*

Ælianus genere Romanus non minus ſcitè tamen Atticè locutus eſt, quàm vel mediterranei Athenienſes. Vir laude dignus propter Græcanicæ linguæ puritatem & ſcripta admiranda. Summa apud ſuos autoritate veluti patrii moris obſervantiſſimus, ut qui fines Italiæ nunquam ſe transgreſſum in laude ponebat. *Ex Philoſtrato de Sophiſtarum vitis p. 619.*

In eius narrationibus quid non egregium, non præſtans, non idoneum vel ad cognoſcendum, vel ad imitandum, fugiendum ve? Quid non in eo terſum, elegans, politum, & Atticum? *Iuſtus Vulteius, Wetteranus, in præfat. Hiſt. multifariæ. Cuius editione utimur.*

In Æliani de animalibus libris, temperamentum quoddam & harmonia vtriuſque Philoſophiæ, moralis, inquam, & naturalis. *Geſnerus de Æliani hiſtoria animal. excisa Colon. Allobr. M.DC.XVI.*

ÆLIVS.

Ælius Grammaticus cognomine duplici: Præconinus dictus, quod pater eius præconium faceret: Stilo, quod orationes nobiliſſimas cuique ſcribere ſoleret. *Ex Tranquillo. Et Volater. l. 13. Anthrop.*

ÆMILIVS.

ÆMILIVS.

Æmiliorum genus à dulci facundia leporeq; dictum: αἱμυλία enim lepiditas, unde & LEPIDI cognomen assumpsere. *Plut. Volat.*

Æmilius PROBUS. vide Corn. Nepos.

ÆNEAS.

Æneas Græcorum omnium, qui de rei militaris scientia aliquid scripserunt, penè fuit primus. Tantæ autoritatis non apud Græcos solum, sed etiam apud Romanos, ut Romani Proceres, quo tempore in provincias cum imperio proficiscebantur ad κύρȣ παιδείαν Xenophonteam, Tactica scripta Æneæ, sive Cineæ epitomen (ex Æneæ commentariis strategicis concinnatum) adjungerent, eamq; diligentissimè legerent. Non abs re possit dubitari, sitne hic ille *Æneas Stymphalius Arcadum Imperator*, qui, sicut testatur Xenophon in septimo ἑλληνικῶν, circa tempora belli, quod adversus Phliasios ab Achivis & Arcadibus, anno altero Olympiadis centesimæ tertiæ, gestum est, vivebat, & res Arcadum non sine laude fortitudinis & prudentiæ administrabat. *Isaac. Casaub. notis in Æneæ Commentarium Poliorceticum, quem is primus vulgavit, interpretatus est, & Polybio adiecit, Anno Ch. M. DC. IX.*

ÆSCHINES.

Æschines Atheniensis Orator: *Histrio* fuit primum, deinde *scriba*, post *Orator* & *Proditor* Cersobleptis ac Phocensium. *Suid.*

Acerrimus prudentissimusque oratorum, qui apud conciones Atheniensium floruerunt. *Agell. l. XVIII. c. 3. pr.*

Æschines primas à Demosthene in dicendo fert. *Dion. Halic. de vi dicendi in Demosth. c 41.*

Nihil illo oratore arbitror cogitari posse divinius. *Cic. de optimo genere Oratorum c. 6. Confer Quintil. lib. XII. c. 10.*

Ab ÆSCHINE divini numinis afflatu pronunciante, perinde atq; ab his, qui cœlesti spiritu perciti oracula reddunt, divina oratio (Attica videlicet Doricis moribus mixta) sumpsit initium. Dicendi Genus eiusmodi in eo fuit, ut id imitatione assequi nemo posset. *Philostrat. lib. 1. de vit. Soph. p. 510.* Hunc inimicus licet Demosthenes appellavit μεγαλοφωνότατον. *Voss. l. VI. instit or. c. 6.*

ÆSCHINES Atheniensis, summus Orator. *Plin. l. VII. c. 30. Vid. Laert in vit.*

Primus *Divinitus* dicere dictus est, eo quod ex tempore diceret tanquam numine afflatus. Habitavit Rhod. ac docuit, victus à Demosthene in causa de corona. Cumq; causæ cuiusdam advocatus, judices corrupisset, una cum eis in carcerem coniectus, aconito hausto interiit. *Suid.* A Demosthene dictus γραμματοκύφων h. e. INCURVUS SCRIBA, aut CORRUPTOR LITERARUM.

RUM. Id. in πέμπτῳ. Æſchines Potator, Demoſthenes vero aquæ potor. *Volat.l.13. anthrop.*

Æſchines à Demoſthene appellatus RVSTICANUS OENOMAVS, eo quod vicatim pagos circumiret Sophoclis OENOMAVM hiſtrionicæ habita actitans. *Heſych.*

Demoſthenes eundem Æſchinem ut patre ſervo natum, & ſubitò oratorem factum inceſſit, cum pro TROMETE ATROMETVM q. *impavidum* patrem ſuum præferret & pro EMEVSA à ſpectri cuiusdam ſimilitudine ſic dicta, matrem GLAVCOTHEAM, Nymphæ marinæ nomine vocitaret. *Orat. de Corona.*

ÆSCHINES.

Fuit & alius Mitylenæus, quem FLAGELLUM ORATORUM vocarunt. *Laërt. Volat.*

ÆSCHYLVS.

ÆSCHYLUS Poeta Tragicus, cum artem inornatam apparatu ſublimiore & magnificentia inſtrueret, Athenienſes *Tragœdiæ parentem* illum putant, & in Dionyſii feſtis etiam mortuum invocant, inventa ab eo ediſcuntur ac præ cæteris habentur in pretio. Philoſtr. l. VI. de vit. Apollonij 6. p. 276.

Perſonæ, pallæq; repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita ſignis:
Et docuit magnumq; loqui, nitiq; cothurno.
Hor. de art. Poet. v. 279. v. Quintil. l. X. c. 1. & Suid.

Euripidis Sapientia, Sophoclis facundia, Æſchyli *grandiloquentia ap. Plut. de gloria Athen. p. 348.*

Laude militari maximus Vir *Æſchylus*, Liberatorem Græciæ totius animum, ad hoc inſtitutum (Trag.) cum adferret, *paria dixit ac fecit.* Sane ad tubam etiam ſcripſiſſe credas. Adeo ſublimis in oratione ac grandis, verbiſque quibus utitur ipſis propè par rebus, heroicam & audacem dictionem effundit, &c. *D. Heinſius in Dedic. Senecæ Tragœd.* Et ſubtilis, & gravis & grandiloquus ſæpiuſq; ad vitium. *Volat.*

Æſchylus fertur *potus* ſuas ſcripſiſſe Tragœdias, & Dionyſio ſeu Baccho conſecraſſe. Gorgias tamen maximum è Dramatibus eius, quod inſcribitur ſeptem ad Thebas, *Martis fetum* dixit *Plut. l. VII. Sympoſ. quæſt.* 10. Illuſtris & elegantis Æſchyli dictum: ſuas Tragœdias eſſe jactitabat, *magnificarum Homeri cœnarum fruſta.* Eximius plane Philoſophus fuit, aliquando iniuſtis ſuffragiis ab adverſario ſuperatus, tempori ſe ſuas Tragœdias conſecrare dixit, non ignarus olim meritum honorem adepturas. *Athen. l. VIII. c. 8. p. 147.*

ÆSCV-

ÆSCVLAPIVS.

Æsculapius vel Asclepius, Ἀσκληπιὸς dictus παρὰ τὸ ἀσκελῆ καὶ ἤπια φιλάσσειν τὰ σώματα h.e. quod *corpora integra & sana conservaret*. Aslepiadæ ab illo dicti Medici, item, Asclepiadarum filii. *Suid. in Ascl.*

Nomen Asclepii Afrum est, tractum à verbo quod sonat redintegrare, novare. *Iun. in notis ad Tertull. de pallio p. 3.*

Hic imperavit Aristarcho à malo erepto ut pro sanitate recuperata sibi gratiam referret. *Suid. in Arist. Confer. Cic. II. fat. c. 24. & Apul. IV. flor. p. 594. & Plin. l. VII. l. 37.*

Medicinarum demonstrator. Tertull. apolog. ad rigent. c. 23.

ÆSOPVS.

ÆSOPUS poeta fabulosus. Tanquam ii qui vilioribus cibis pulchrè convivas excipiunt, ex rebus parvis magna quædam intelligi facit, & fabuloso sermone proposito, ex ipso quid agendum sit, ostendit. Quapropter veritatem magis etiam quàm ceteri poetarum videtur attingere. Illi namq; quasi per vim probare nituntur vera esse, quæ à se dicuntur. Iste verò sermonem proponens, quem ita ut est fabulosum quisq; novit, aliquid verè dictum de rebus non veris esse demonstrat. *Philostrat. de Vit Apollonii l. V. c. 5. v. tit. Fabula.*

Λογοποιὸς, LOGOPOEUS, ex Thracibus genus ducens, libertatem ab Idmone muto obtinuit. Fuerat enim prius Xanthi servus. *Heraclides de Politiis p. 444. vid. Max. Planud. in vita.*

Non fortuna magis quam voluntate servus. *Suid. vide.*

Æsopus ille è Phrygia fabulator, haud immerito sapiens existimatus est, quum quæ utilia monitu suasuq; erant, non severè, non imperiosè præcepit & censuit, ut Philosophis mos est, sed festivos delectabilesq; apologos commentus, res salubriter & prospicienter animadversas, in mentes animosque hominum cum audiendi quadam illecebra induit. *Agell. l. II. c. 29.* A Crœso in pretio habitum & Pythagora antiquiorem, adeo Diis charum fuisse, ut *revixerit*, sicut Tyndareus, Hercules & Glaucus *Suid.* memorat.

Fabellæ & Æsopei logi. *Sen. de consolat. ad Poly. c. 27.*

Æsopus cum proximus esset iis temporibus, quibus à ferarum natura homines, & vi omnia agente secesserant, mansit velut in contubernio, & ex silvis ipsis, primis habitaculis hominum, Apologos in vitam communem emendandam induxit; ita proponens quid turpe, quid utile, quid item infortunatum, iniustumq; futurum arbitraretur & impium. Itaq; ostendebat communem vitam abscedere à ratione, quæ æquitati & justitiæ consona est. *Barth. II. Advers. c. 17.*

ÆTIVS.

ÆTIVS Sophista ex Antiochia Syriæ, Eunomii Præceptor, Constantini Ma-

tini Magni temporibus: ab initio aurificinam exercuit ob inopiam: tum se eloquentiæ studiis tradidit. Tandem factus Christianus & Diaconus: Demum Eunomianus & Arrianus, hinc ATHEOS vocatus & Antiochia pulsus. *Eunap. Volat.*

ÆNEAS.

Sapientia apud Troianos, uti *Hector* fortitudine, præstitit. Itaq; is MANUS, ille SENSUS putabatur: ambo ætate staturaque pares. *Philostrat. in Heroic. Volaterr.*

AFRANIVS.

L. Afranius Poeta, homo perargutus, in fabulis etiam disertus. *Cic. in Bruto c.* 44.

Dicitur Afrani Toga convenisse Menandro. Hor. l. II. epist. I. v. 53.

Ad Menandri genus dicendi propius accessit. Comœdias togatas, h. e de rebus in toga gestis conscripsit. *Cic. 1. Fin. c. 3.*

Togatis excellit Afranius, utinamq; non inquinasset argumenta fœdis amoribus, mores suos fassus. *Quint. l. X. c. 1.*

AGAPETVS.

Agapetus in scheda regia ad Iustinianum Imp. Diaconum se profitetur magnæ & sacrosanctæ Ecclesiæ, Constantinopolitanæ scil. urbis, vbi imperatoria aula erat constituta.

Adulationis eum insimulat *Barthius ex c. 17. Schedæ:* quod felicitas ibi prædicta, longe ab illis temporibus abfuerit. *lib. XLIX. adversf. c. 3.*

AGATHIAS.

AGATHIAS *Smyrnæus* dictus SCHOLASTICUS, scripsit historiam post Procopium Cæsariensem, rerum tempore Bellisarii tam in Italia quàm Africa gestarum: floruit sub imperio Iustiniani. *Suid. Volat.*

Multi nominis Historicus & Poeta *Dempstero in Rosin.*

AGATHON.

AGATHON Tragicus ob *mollitiem* infamis fuit. Vnde Aristophanes:

Agathon vbi est? me jam relicto hinc exiit.
Vbi gentium est? Beatorum in convivio.

Alius & bonis moribus fuit præditus, amicis charus, in victu splendidus, convivator in Platonis convivio. *Suid. Ælian. l. XI. c. 21.*

Ex eius Tragœdiis cum quidam antitheta deleturus esset: non animadvertis, inquit, sic *delere te in Agathone Agathonem. Æl. l. XIV. c. 13.*

AGELLIVS.

AGELLIUS scriptor purissimæ latinitatis, & plane ad comœdiam antiquam. *Lips. cent. IV. misc. ep. 57.*

Eius

Eius noctes maximè candidæ. *Politian. misc. c. 53.*

Is maximi Iudicii vir. *Gifanio Apologia pro poet. Latinis p. 470.*

Criticorum Madulsa. *Pareo in Plaut.*

Grammaticorum utilissimus. *Dempstero in Rosin.*

Publicus pœnè literarum censor, solertissimus verborum *investigator* atq; *censor.* Vallæ præf. l. 2. & l. 6. c. 23.

Maledica *Vivis* in ipsum censura reprehensa, ab *Henrico Stephano.*

De tempore quo vixit, *vide XX. noct. c. 1.*

De nomine, *Gifanium in epist. Mureti l. I. ep. 78. Manut. l. II. ep. 6.*

Lipsius se huius scriptoris nomen nunquam, nisi dubitantem & hæsitantem ponere scribit. 1. *antiq. lect. X. Conf. Tilem. p. 295.*

AGRICOLA.

Rodolphus Agricola Frisius. Nihil unquam Cisalpinus orbis produxit omnibus literariis dotibus absolutius, absit invidia dicto, Nulla erat honesta disciplina, in qua vir ille non poterat cum summis artificibus contendere: inter Græcos græcissimus, Inter Latinos latinissimus. In carmine *Maronem alterum* dixisses: In oratione *Politianum* quendam lepôre referebat, maiestate superabat.

Vix & hac nostra & patrum memoria fuit unus atque alter dignior, qui multum legeretur, multum in manibus haberetur, quàm *Rodolph. Agric. Frysius.* Tantum est in eius operibus ingenii, artis, judicii, gravitatis, dulcedinis, eloquentiæ, eruditionis &c. *Lud. Viv. ad l. 2. C. D. c. 21. adde Iovium in elogio.*

AGRIPPA.

M. Agrippa in pedes dicitur ex utero egressus, unde nomen auspicatus, unico felicitatis exemplo, &c. *Vid. Volat.*

ALBANENSIS.

Albanensis Episcopus Igneus appellatus, quod probationem per ignem illæsus sustinuit, *Hotom. de feud. c. 44.*

ALBERTVS.

Albertus natione Germanus Suevus, & vt Philosophiæ tutius vacaret, Præsulatus se Ratisponensis officio absolvit, cognomento Magnus *Volat.*

Deferebat Maximi cognomentum Gymnasiorum omnium consensus nisi publico voto Christiana verecundia restitisses. *Sic ad eum Iovius in elog.*

In dicendo Goticum sapit & barbarum: oratione squarosa prorsum & illepida. Inter Peripateticos tamen nominis celeberrimi. *Cœl. Rhodig. 1. lect. antiq. CXI. p.*

ALBRICVS.

Albricus Philosophus de Deorum imaginibus, ut pictæ, libellum conscripsit; inter *Mythologicos Latinos habet Commelinus p. 313.*

ALCÆVS.

Alcævs Poeta, si quis alius, musices scientissimus, pugnacem strenuitatem anteponit poeticæ, plus justo *bellicosus*. Quamobrem ea de se opinione inflatus ait:

Splendet mea magna domus ære:
Totum tectum Mavortiis ornatum est galeis nitidis.
Ex his cassidibus deorsum nutant candidæ ex equino pilo cristæ,
Hominum fortium insignia: occultis muro clavis
Vndiq; affixæ sunt ocreæ splendidæ, munimenta
Contra sagittas tibiarum: tum etiam linei thoraces novi,
Cavaq; scuta super iniecta, & hæc prope, enses chalcidici:
Baltei multi, & paludamenta non prætereunda silentio,
Quandoquidem eorum cura inprimis habenda est. Athen. l. XIV. c. 5.

Poeta bibax, quovis tempore, quovis statu cœli vinosus *ibid. l. X. c. 8.*

Omnium post Anacreontem maximè bibulus: *ait* C. *Barthius*, qui carmina eius ad limam vocat. *I. adversf. c. 19.*

Alcævs in parte operis aureo plectro merito donatur, qua tyrannos insectatur: multum etiam moribus confert, in eloquendo quoq; brevis & magnificus & diligens plerumq;. Homeri similis, sed in lusus & amores descendit, maioribus tamen apertior. *Fab. l. X. c. 1. Conferatur Gyrald. dial. IX. p. 329. Laert. in vita Pittaci l. I. p. 52. 55.* V. Pittacus.

ALCIATVS.

Andreas Alciatvs: De hoc illud verissime dici potest, quod est apud Ciceronem de Scævola 1. *de Orat. c. 39.* Jurisperitorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus: addam ego & *Polyhistor* bonusque Poeta, *De Poet. sui temporis Gyrald. dial. II. p. 419.*

Literatissimus Jureconsultus. *Barth. ad Claud. p. 151.*

Eius emblemata talia sunt ut cum quovis ingenio certare possint *Scalig. VI. poet. p. 796.*

Vt omnia eius viri sunt elegantissima *Barth. ad Claud. p. 56.*

Emblemata disertissima *ib. p. 188.*

JCtus insignis, cuius è ludo, tanquam ex equo Trojano meri Heroes prodierunt. *Andr. Schott prolegom. in Sen. Declamat. p. 2.*

Criticorum suo seculo Princeps. *Dempsterus in Rosin.* Vide Floridus.

ALCIMVS.

Alcimvs Avitvs. Melior suo ævo Poeta, quam nunc circumfertur, cum mirifice sit à cucullatis exscriptoribus depravatus. *Barth. X. adversf. c. 16.*

ALCINOVS.

Alcinovs: Quisquis Platonem amas, *natatorem* hunc adiunge *Delium*, quem olim in obscuro scripto ipse sibi Socrates optabat. *Heinsius.*

Qui

Qui partes universi describunt, semel omnes ponunt, & quod in toto tractat opere Geographus, una cogit tabula & quasi colligit. Idem fecerat Alcinous in Academia *Idem.*

Κεῖνος γὰρ μόνος οἶδε νόον Θείοιο γέροντος. Id est.

Illi etenim soli Dii mens nota Platonis. Idem in edit.

ALCMAN.

ALCMAN Servus fuit Agesidis, sed ab eo libertate donatus ob virtutes & ingenii elegantiam, & proinde à Græcis DVLCIS (γλυκύς) cognominatur. *Gyrald.*

Primus inter Lyricos Poetas eodem quo Pittacus tempore clarus: Eroticorum carminum ἡγεμών; & ante omnes in vulgus carmina edidit, quæ in hominum conventiculis canerentur. *Athen. l. XIII. c.* 8. *p.* 600. *Scal.* 1. *Poet. c.* 44. ubi per pauxillas eius reliquias, quovis nectare suaviores dicit.

Sed & inter *Gulones* & *Voraces* connumeratus à Græcis vel ipso eodem teste, qui se πολυβορώτατον nuncupat. *Æli. l.* 1. *c.* 27. Periit phtiriasi. Confer *iterum Athen. l. X. c.* 14. *Gyrald. dial. IX. hist. poet. p.* 328.

ALDVS.

ALDVS PIVS MANVTIVS, Vir doctissimus, qui olim Venetiis Græcarum literarum naufragii reliquias collegit, nobisq; tradidit; quique PAVLVM MANVTIVM hominem eloquentissimum suæ probitatis atq; humanitatis effigiem nobis reliquit. *Lambin. in Horat. epist.* 15. *l.* 1.

ALEXANDER

CORNELIVS ALEXANDER Grammaticus propter antiquitatis notitiam POLYHISTOR, multis, quibusdam HISTORIA vocatus. *Sueton. de illustr. Grammat. c.* 20. *Vnde Volater.*

ALEXANDER CILIX.

Seleuciensis Rhetor, πηλοπλάτων i. e. LVTEVS PLATO cognominatus. *Suid.*

ALEX. M.

Cognomen INVICTI assecutus *Val. Max l. IV. c.* 3. *fin.*

Cuius ut infinitam gloriam virtus, ita præcipuum amorem clementia meruit. *Id. l. V. c.* 1. *ext.* 1.

Longe omnium Excellentissimus Rex, cui ex rebus *actis & auctis* cognomentum MAGNI inditum est, ne vir unicam gloriam adeptus sine laude unquam nominaretur. *Apul.* 1. *Flor. vbi plura.*

Eius effigies expressa auro vel argento juvare credita. *Pollio in* 30. *Tyran. c.* 14.

ALEXANDER MAGNVS ut & PHILIPPUS Pater, vocati PHILOMELI à *pomis* quæ avidè esitarent. Quin inventis prope Babylonem optimis, ædita ab Alexandro MELOMACHIA est onustis navibus *Rhodig. l.* 13. *c.* 25.

ALEXANDRVM Macedones *Regem:* PHILIPPVM Patrem usurparunt *Ducem* non ingratiis *Patris. Plut. in Alex.* ALEXANDER M. etiam à Macedonibus dictus est CALANVS à voce videlicet CALE i. *Salve* qua ipsum Sphinas Brachmanum Gymnosophistarum princeps salutavit *ibid.*

ALEXANDER.

AMYNTÆ F. REX Macedonum DIVES cognomento, qui Pindarum Poetam in deliciis habuit.

ALEXANDER.

HIRCANI F. Judæorum Rex, ob crudelitatem THRACIDA dictus est. *Ioseph. l. 13. antiquit. c. 22.*

ALEXANDER.

Cleopatræ F. SOLIS nomine, à matre, ut & Cleopatra filia, LVNÆ insigniti sunt. *Dion. l. 51.*

ALEXANDER ab ALEXANDRO.

Jurisperitus Neapolitanus, genialium dierum Auctor, operis multijuga eruditione referti, & promptuarii antiquitatis instructissimi, quem tamen Alexandrum *Tiraquellus* vincit, qui lustra investigat Auctorum, in quibus eius eruditio latuit.

ALEXANDRO ab Alex. malus perpetuo mos est, nullam suis Doctoribus gratiam referre, nullum, inquam, laudare auctorem nec fontes unde sua hauserit collectanea indicare. *Barclai. l. 6. de Regno c. 5.*

Autorum nomina supprimit laudem sibi prærepturum existimans, si autorem per quem profecisset nominasset, quod ego in homine laudato, qualis revera fuit *Alexander* minimè laudandum censeo. *Cypræus de Sponsal. c. 13. §. 61.*

ALEXANDRIA.

ALEXANDRIA populosa civitas & propter Serapidis fanum *alter* quidam *orbis* terrarum, sed *sacer. Eunap. in Ædesio p. 75.*

Maxima post Romam ciuitas. *Ioseph. V. belli Iudaic. c. ult.*

Vertex omnium civitatum. *Marcellin. l. 22.* πόλις dicta vt Athenæ ἄστυ, Roma urbs.

ALEXINVS.

ALEXINVS Elœus ob nimium altercandi studium Ἐλεγξῖνος q. d. REPREHENSOR aut RIXATOR vocatus: dum in Alpheo amne natat, è vulnere arundine puncto, mortem oppetit. *Illustr. Laert. in vit.*

Huius discipuli dicti Ἀλεξίνειοι *Confer. Stephan. in Hesych. p. 82. & 84.*

ALEXIVS.

ALEXIO DVCÆ Imper. ob coniuncta supercilia & velut oculis imminentia MVRRVFLI cognomentum ab æqualibus inditum. *Nicet.*

ALFONSVS.

ALFONSVS Rex Legionis & Asturiæ, CASTVS appellatus, quod à coniuge quam duxerat, abstineret. *Fulgos. l. 4. c. 3.*

ALFONSVS.

ALFONSVS Rex Hisp. SAPIENS dictus, convocavit Astronomos præstantissimos, Hebræos & Mauros qui Tabulas ALPHONSINAS conficerent, quam in rem expendit ad quater centena millia aureorum. *Calvis. in A. C.* 1252.

ALFONSVS.

ALFONSVS Rex Hisp. Pelagii gener, CATHOLICVS dici voluit, quod *Reccaredus*, qui primus relicta Arriana hæresi ad Catholicos accesserat, ita nomen *Catholici* sibi acquisivisset. Hoc nomen intermissum è Successoribus, FERDINANDVS Arragonius repetiit à Papa Julio II. ut sibi & successoribus esset hereditarium. *Baron. Calvis. in A.* C. 738.

ALFONSVS X.

Arragonum R. ob lætitiam quam largiendo dona insignia capiebat, LARGI nomen acquisiuit. *Marin. l. II. Hisp.*

ALHAGIB.

ALHAGIB Rex Arabum. *Alhagib.* notat supercilium quo oculi defenduntur, ALMANZOR autem defensio, atq; ita nominari voluit, quod multis victoriis gloriosis se & suos *defenderat. Roderic. Tolet. l. 5. rer. Hisp. c.* 13.

AMBROSIVS.

AMBROSIVS Mediolanensis Episcopus iuxta nomen suum verè cælesti manat *ambrosia*, dignus qui sit quod dicitur AMBROSIVS. h. e. *immortalis*, non solum apud Christum verum etiam apud homines. *Erasm. in epist. Ambrosii operib. præfixa quæ prodierunt Basileæ* M.DL.XVII.

Eius eloquia strenuè ministrant adipem frumenti divini & lætitiam olei, & sobriam vini ebrietatem. *Augustin. VI. Confeß. c.* 13. quem vide.

Theodosius Imperat. vocat ἀληθείας διδάσκαλον id est. *Veritatis Magistrum*, & habet μόνον ἐπίσκοπον ἀξίως καλούμενον i. e. solum episcopum dignum eo nomine. *Theodor. hist.* Eccl. l. V. c. 17. f.

Totus sermo eius plerumq; ex variis sententiarum generibus velut ex tessellis contextus est, quo dicendi genere supra modum delectatus videtur *Seneca*, &c. Non dubito quin tales simus habituri principes aliquot, qualis fuit Theodosius, si tales haberemus Episcopos qualis erat Ambrosius. Neminem se nosse qui verè sciret Episcopum gerere, præter unum Ambrosium, dixit Theodosius ab eo mysteriis seclusus. *Erasm. l. d.*

Cedite Doctores Romani, cedite Graji:
Nescio quid maius nascitur Ambrosio. *Quidam ex Poetis.*

Videtur nectare & Ambrosia innutritus. Tam suaves habet, tam argutas plerumq; orationis delicias, ut apes quæ infantuli cunas & os circumsederunt,

credas adhuc in eius labellis sessitare. *Caussinus l. III. c.14. vide Pindarus, Plato,* qui in cunis quoq; melle tincti dicuntur.

Eius censuram *vide ap. Volat. l. C.*

AMBROSIVS.

Ambrosivs Alexandrinvs Diaconus, *διοσῶτυς* dictus, *i. e. operis impulsor,* quod *Origenem* in scribendo juvit sumptu & industria. Hieron. *Euseb. l. V. Volat. l. c.*

AMMIANVS.

Ammianvs Marcellinvs; fidei & judicii satis clarus est, modo stili *in not. I. polit. p. 140. Lipsi.*

Homo militaris, literis imbutus non aliter, quam ut eis contemptis pro mercenario castra sequi posset, tanta prudentia, tanta sinceritate judicii & notatione tam perspicaci. Eventuum res gestas impeditissimorum temporum mandare cartis potuit, ut vix ullus sapientiæ mysta illi in hoc genere par esse potuerit. *post.* Homo animo magno, disciplinæ militaris assecla, inter tubas & strepitum armorum pervenire eo absque ulla animi contentione potuit, quo nos studia per tot tantosq; anfractus vix ducunt. *Barth. XLV. advers. 2.*

Nobilis & militaris Historicus *Rittershus. in Salvian.*

Ammianvs miles Græcus sub Valente luculentus rerum Romanarum scriptor. *Dempstero.*

Vtilitate monitorum & veritate Historica nescio an quisquam autor ullibi sit supra. Am. Marcellinum. *Id. Barth. XLVII. c. 1.*

Auctor serius & ingenii: quem non magis in manibus hominum versari miratur, imo indignatur *Lindenbrogius in edit. sua ad lector.* Vbi in rebus maiorum nostrorum h. e. Germanorum *à Tacito facit secundum.*

Ammianus Marcellinus miles Græcus, tantos habet plerumq; spiritus, ut quæ *hircosa* (si ita liceat appellare) *latinitate* scripsit, placere possint inter unguentatos, quod de *Ennio* non inurbanè Seneca fertur dixisse. *Caussin. in parall. eloq. l. 3. c. 14.*

AMMONIANVS.

AmmoniAnvs Grammaticus: Huic contigit ut *Asinum* Sapientiæ auditorem haberet. *Suid.*

AMMONIVS.

Ammonivs cognomento Saccvs relictis saccis in quibus frumenta circumferebat, philosophicæ vitæ se tradidit, huius auditorem fuisse aiunt nostrum Origenem. *Theodor. de curand. affect. Græc. lib. VI. p. 529.*

Præceptor sane Plutarchi fuit. Eunap. procem. *Vid. de eo Suid. & Volat. lib. 13. anthropol. qui eum cum Ammoniano confundit perperam.*

Ammonivs Monachus *παρώτης* dictus i. e. Auricula carens, quod eam sibi præsecuerat, ne episcopus fieret. *Sozom. l. VI. c. 30.*

AMPHION.

AMPHION.

Amphion priscæ musicæ inventor, cuius lyræ harmonia muros Thebanos ædificatos fuisse, lapidibus sponte insilientibus, scribitur.

AMPHILOCHIVS.

Amphilochivs Episcopus Iconiensis, Nazianzeni coætaneus, qui sic de eo in Parænet. ad Olympiadem v. 103.

Ἄγγελον ἀτρεκίης ἐρικυδέα κῦδος ἐμεῖο.

Præconem veri celebrem, mihi dulce decusq;.

Epistolam eius Græcam de studiis rectè formandis edidit *Ioach. Zehnerus A. 1609. Schleusingæ.*

Hieronymus epist. ad Magnum, sacra profanaq; doctrina eum Basilio & Gregorio Naz. æqualem facere videtur. *Conf Gerard. Voß. II. Græc. Hist. c. 19. p.*

AMSTELODAMVM.

Amstelodamvm Horrevm suum agnoscit & vocat Belgica.

In una urbe plures nunc urbes, imò *orbis.*

Hic forum & institoria Officina Mercvrii illius Lucrionis, qui virga sua, quam manibus gerit, mercatorum animos moderatur ac regit, dum his ad præsentis emolumenti atq; exspectati fœnoris auram ab orco vitam revocat; illos per jacturam ac mala nomina, cumq; nominibus dispendia ad tartara demittit. Vnde fit ut nunquam hic, hospitalitatis illa janua (quam φιλοξενίης σέγος ἀκλήϊστον dicit Callimachus) obserata reperiatur: sed perpetuo frequentetur ac pateat Hispanis, Ital. Britan. Scot. Gall. Germanis, Sarmatis, Cimbris, Suecis, Norvvegis, Danis, & si qui alii sub boreali axe latent.

Hæc illa Venus Anadyomene, quam salsis è fluctibus os exercentem comasq; explicantem designare voluisse videtur Apelles: *Isaac Pontan. rer. & urb. Amstelod. l. 1. c. 4.*

ANACREON.

Anacreon Tejus Lyricus vixit tempore Polycratis Samii Tyranni. *Suid. quem vide.*

Non solum dedit hæc μέλη (quibus curas amatorias decantant) sed etiam in ipsis mella. *Scalig. I. Poet. c. 44. p.* Hic excelluit adeò, ut eius dictio quovis Indicæ arundinis succo dulcior mihi videatur *ibid. f.*

Hipparchus Anacreonti navim πεντηκόντορον misit, qua & accerseretur & veheretur *ib. c. 41.*

Gloria Jonum. *Iterum Suid. in ἀνδιχα.*

Lyricus suauissimus *Dempstero.*

Ineptus Anacreon, qui totam suam Poesin ebrietatis laudibus & mentione contexuerit, itaq; reprehendunt multi eius poemata, qui totum se luxuriosæ mollitiq; vitæ tradidit, non videntes sobrium illum inter scribendum & temperantem, ultro temulentiam simulare, quamvis necessum id minimè foret. *Athen. l. X. c. 7.*

l. X. c. 7. Conf. Horat. l. Epod. od. XIV. qui cum eum incuriosum & leviusculum dicere vellet, ad inelaboratum pedem cantasse Teium melos dicit.

Acino uvæ passæ periit. *Plin. Volat.*

ANANIAS.

ANANIAS fictus & fucatus Pontifex, PARIES DEALBATVS *Paulo Act. 23.* sicut Pharisæi SEPULCRA *Dealbata* Salvatori *Matth. 23. v. 27. Conf. Lucian. in Gallo.*

ANAXAGORAS.

ANAXAGORAS Anaximenis Milesii discipulus, Vir doctus, Hegesibuli Filius, cognomento MENS, quod materiam & mentem rerum omnium custodem diceret.

Hic *Patria Clazomenius*, agros suos gregibus & camelis depascendos reliquit, de quo *Apollonius Tyanensis* dixit, eum ovibus potius quam hominibus fuisse philosophatum. *Suidas.*

Hic digitum in *cœlum* intendens patriam eam esse dixit, *ap. Laert. p. 92.*

Cur *Mens*, vide prolixe ap. Plutarch. in Pericle p. 154.

Vir summus in maximarum rerum scientia *Cic. III. Orator. c. 34.*

Eum nunquam risisse, ut & M. Crassum *t. Ælian. II.*

Vt Deus cultus, quod ut alia, sic in siccitate maxima pluiturum dixit, penulatusq; propterea media æstate incessit. *Volater.*

Aræ illi dicatæ, quarum visereturinscriptio, nunc quidem Νοῦ, i. MENTIS: nunc verò ἀληθείας. i. VERITATIS. *Rhodig. l. XI. c. 1. f.* ubi eius epitaphium repetitur.

ANAXIMENES.

ANAXIMENES primus dictionis extemporaneæ inventor. *Suid. Pingui aqualiculo Rhetor.* Hunc adiens Diogenes ita locutus est, impartire nobis tenuibus & ventrem, nam & ipse levaberis onere, & nobis commodabis. *Laert. in Diog. l. VI. & Anaxim. l. II. vid. tit.* VENTER.

ANDREAS.

ANDREAS Medicus, ab Eratosthene quod ejus libros furtim exscripserat, βιϐλιαίγισθ@ dictus, allusione sumta ab Ægystho, qui Clytemnestram Agamemnonis corruperat *Eras. p. 355.*

ANDOCIDES.

ANDOCIDES Atheniensis Orator unus ex X. principibus, Leogoræ filius: à Mercurio etiam originem ducens. Ad genus enim præconum pervenit. Cæterum in suis orationibus simplex est, apparatu carens & ornamentis figurarum. *Plutarch. in vit. Suid.*

ANGELVS.

ANGEL. POLITIANVS FLORENTINVS: Maximus Italorum. *Item* Politissimus Politianus. *Petro Colvio ad 1. Appul. & 1. Floridor.*

Excellentissimi Heroes, Politianus, Picus, Barbarus. *Florid. Sabin. l. II. subsec. c. 9.*

Polit.

Polit. non suo tantum ævo quo literæ caput vix extulerant, sed eo etiam quo plenissimè revixerunt, principatum pænè tenuit. *Rutgers. 4. var. l. c. 20.* Vir Græcè Latinæq; scientissimus Rhodig. 13. c. 2.

Qui transmarina, ut Ciceronis verbis utar, doctrina & ad ventitia institutus cum esset, florere & quasi regnare visus est. *Gyrald. dial. 1. de poet. nostri temp. p. 388.*

Hercules & expugnator barbarorum monstrorum Latium devastantium. *Marsilio Ficino.*

Princeps bonarum literarum. *Barth. in Rutil. p. 36.*

Hoc agit Angelus, ut auctorem quem transfert, omnibus modis in interpretando superet. Non vult par esse, sed superior. Vnde ferè Lector præ Politiano contemnit autorem. *Nannius.*

Politianum non nisi semel sacrum codicem legisse, adeoq; dixisse, nullum se usquam tempus peius collocasse. Pindari odas psalmis Davidicis tanquam dulciores prætulisse. *Philippus t. 3. decl. p. 545.* Et ex *Ludov. Vive l. 2. de verit. fidei. Mornæus de Verit. Rel. Christ. c. 26.* referunt, atq; sic ἀθεότητα i. indeitatem manifestam eidem impingunt, ut & *Tileman. discursu Philol. p. 139.*

Sed patrocinium eius suscepit *Barth. lib. XLVII. c. 5.* ubi inter alia, cum Romanis etiam optimis Latinè, cum Græcorum Veterùm non postremis Græcè eum scribere confirmat, & l. XIX. c. 17. inquit: stilus Latinitate Romanos ipsos adit, Atticas Athenas si ita fari licet, Græcitate.

Incerti epitaphium apud Jovium est in elog. doct. Vir. p. 50.

Politianus in hoc tumulo jacet Angelus, unum
Qui caput & linguas, res nova, tres habuit.

ANTHOLOGIA.

Seu FLORILEGIUM Epigrammatum Græcorum, autorum & rerum diversitate admirandum, Operi Poetarum, Græcorum Tragicorum Lyricorũ, &c. subiunctum: *seorsim cum annotationibus Ioannis Brodæi, Vincentii Obsopœi, Henrici Stephani editum Francof. M. DC.*

In ea quædam publici saporis, plura frigida, & interdum inepta. *Dempster. in Rosin.*

ANTICRATES.

Anticratũ Spartani posteri MACHÆRIONES sunt dicti, quod is machærâ Epaminondam Thebanum in bello strenuè confecisset. *Rhodig. l. 13. c. 7.*

ANTIGONUS.

Carystius historiarum mirabilium collectanea scripsit, non contemnendæ antiquitatis Auctor, ait *Iohannes Meursius*, qui recensuit & notas addidit. Anno CIↃ IↃCXIX. Lugd. Batavorum.

ANTIGONUS.

Dictus Doso ex fut. δώσω q. dabo quod multa promitteret, pauca impleret.

pleret. *Plut. in Coriol. & Æmyl.* vid. Tiraquell. *in Alex. l. 2. c. 11. p. 166.* Huiusmodi Dosonibus aut Dabonibus scatent aulæ ait *Erasmus p. 699.*

ANTIGONVS.

HIERAX à rapacitate dictus. *Alex. l. 2. c. 11.* & GONATVS à genuum magnitudine. *ibid.*

ANTIGONVS.

Macedon. Rex ob clementiam ergà Spartanos EVERGETÆ nomen meruit. *Plut. in Cleomene.*

ANTIGONVS.

Philippi, CYCLOPS cognominatus quod esset ἑτερόφθαλμος *Rhodig. l. 21. c. 37.* αὐτουργὸς fuit, hoc est, artificio se confovebat. *ib.*

ANTIMACHVS.

Colophonius Poëta cum poëma quoddam obscurum in auditorio recitaret atq; omnes præter Platonem, quod minimè illud intelligerent, discessissent, PLATO mihi, inquit, pro omnibus. *Cic. in Bruto c. 51. Vid. Plut. in Lysandro. Quintil. l. 9.*

ANTIMACHVS.

Lyricus, PSECAS h. e. *stilla* audivit, quod identidem exspueret. *Suidas. Claudius in Alciati embl. 96.* vbi plura cognomina præsertim Jurisconsultorum habet.

ANTIOCHIA.

Θεοῦ πόλις seu THEOPOLIS cognominata. *Evagr. l. 6. c. 4.* Antiochia metropolis Syriæ magnitudine simul aliaq; felicitate sine dubio *tertium* inter omnes quæ in Romano orbe sunt, *locum* obtinens, *Iosephus l. III. bell. Iud. c. 1.*

ANTIOCHVS.

Epiphanes Rex Syriæ, ob insaniam EPIMANES dictus. ANTIOCHVS ACCIPITRIS cognomine delectabatur. *Eras. p. 721.*

ANTIPATER.

Sidonius, poëta *extemporaneus. Cic. Quintil.* die suo natali, semper febri laborabat quâ tandem periit ultimâ senectute. *Valer.*

Antipater cum nec vellet nec posset congredi comminus cum Carneade in Stoicos vehementer invecto, ad scribendum se convertit, cumq; maledicos & ineptos libros Carneadi opposuisset dictus est vulgò CALAMOBOAS quod non linguâ sed calamo vociferaretur. *Plut. de garrul. Erasmus adag. p. 117.*

ANTIPHON.

Orator Atheniensis in dicendo consulendové *accuratissimus* hominum visus est. NESTOR appellatus, quia de quavis re dicendo facilè suaderet. Auscultationes νηπενθεῖς quasi *amuleta luctus*, professus est, quod nullus dolor amantum foret ita gravis, quem non è mente exploderet. *Philostratus lib. 1. de vitis Sophistarum p. 501.* Comœdia eum carpit quod subtilis & vehemens in forensibus, orationes

tiones adversus æquum justumq; compositas, periclitantibus multâ pecuniâ venderet. *ibidem.*

Nestor etiam *Suidæ* & forensis dictionis post Gorgiam principatum tenens. Oratorum vetustissimus *eid. Suid. in* μοχθηρός.

Antiphon vir Atheniensium sui temporis nulli secundus, καὶ κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος, καὶ ἃ γνοίη, εἰπεῖν i. e. in rebus excogitandis & in iis quæ sensisset, exprimendis, præstantissimus. *Thucydides lib. VIII. hist. p. 600.*

Colloquium eius cum Socrate, cuius coætaneus fuit, refert. *Xenophon lib. I. memorab. in fine.*

Cum poësi operam daret, artem mœroris auferendi professus est, τέχνην ἀλυπίας. Corinthiq; domo ad forum conductâ, scriptum proposuit, mœrore affectos oratione curare se posse, & auditis ægritudinum causis laborantes consolabatur. *Plutarch. in vitis X. Orator.*

Se ipso usus est magistro. *ibid.* αὐτοδίδακτος.

Orationes eius, interprete Alphonso Miniato, editæ sunt Hanoviæ. M.DC.XIX.

ANTIPHON.

Qui dictus est λογομάγειρος VERBORVM COQVVS alius est *apud Suidam* in A. dictus etiam ὀνειροκρίτης i. e. *somniorum coniector.* Stephanus Grammaticus eundem illum patriâ Atheniensem, ex tribu Rhamnusium esse ait *ap. Volaterr.* fuit *Atheniensis versificator & Sophista.*

ANTISTHENES.

Cynicæ sectæ primus auctor, Ἁπλοκύων dictus *Laërt. in vit.* q. d. PVRE PVTEQ; CANIS.

ANTISTHENES cuidam opprobranti quod esset HYBRIDA q. d. SEMIFERVS quod natus esset ex patre Atheniensi ex matre Phrygiâ, atq; ita non ex ingenuis duobus; neque inquit è duobus luctatoribus natus, & tamen luctator sum, sentiens non tàm referre unde sis, quàm quid sis. Is verè liber est quē Philosophia liberum facit, & is verè Græcus, qui Græcorum disciplinis institutus est. *Adag. p. 146.*

AVRELIVS ANTONINVS

Cognomento PIVS quod hunc ferè nulla vitiorum labes maculavit. *Aurelius in Cæs. c. 15.* Causas plures habet *Capitol. c. 2.* CVMINISECTOR appellatus ob diligentiam maximam in rebus minimis. *Dion. Nicæus Zvvinger.*

ANTONINVS.

DIADVMENVS, puer cum esset dictus. DIADEMATVS à diademate quod ipsius capiti innatum est. *Lamprid. in vit. c. 4.*

M. ANTONINVS.

Dictus *Philosophus.* Nam duodecimum ingressus annum, habitum Philosophi assumpsit. *Capitol. c. 2.* In amborum Antoninorum honorem omnes Principes ANTONINOS dicere Severus in animo habuit, quemadmodum AVGVSTI

dicuntur. *Spartianus in Antonino Getâ c. 2. & in Opilio Macrino c. 5.* Marcus ANTONINVS, prodigium in Rep. & miraculum: Imperator sine ambitione sine fastu *Philosophus: Heinsio dedic. in Maxim.*

ASTEROPœVS dicendus *Athenæo*, propter utriusq; linguæ notitiam, 1. dipnos. Est n. ASTEROPœVS vir ad multas res gerendas expeditus. *Hom. Il.* Φ. & *Galeno in aphoris. Hipp.* 43. *l.* 7.

CN. ANTONIVS.

Ciceronis in consulatu collega, HYBRIDA seu SEMIFERVS dictus sic & d. THEMASINVS PERICARDVS. *Suet. in Aug.*

M. ANTONIVS.

BAMBALIO *Cic.* 3. *Anton.* βάμβαλον pudenda corporis pars Phrygibus. *Eras. p.* 144.

ANTONIVS.

Vlyssiponensis ordinis Minorum SACRARVM LITERARVM ARCA dictus. *Marineus l.* 5. *Hispan.*

APION.

Grammaticus CYMBALVM mundi. *ipsi Plin.* publicæ famæ TYMPANVM. *Tiberio Cæs. ap. Plin. præf. N. H.* πλειστονίκης cognomento indito, h. e. MVLTIVICTOR: item μόχθος i. e. LABOR ab assiduo labore. *Confer Gerh. Voss.* 11. *de Gr. Hist. c.* 7. *& Suid.*

Tantâ Vir arrogantia ut donare immortalitate se diceret illum cui opera sua dedicasset *Plin. l. c.* 1. *vide* VALLA.

MARCVS APITIVS.

Altissimus nepotum GVRGES *Plin.* ἀσωτείας πέρας i. e. helluationis *extremus finis. Eunapio.* Libros de gulâ scripsit *Volaterr. Suid.*

APOLLINARIS.

Syrus, doctus & ingeniosus, imitatus Menandri soccum, Euripidis cothurnum ac Pindari lyram, argumenta sumpsit ex libris sacris. *Sozom.*

APOLLINARIVS.

SARCOLATRA quod Deum quem sine mente carnem sumpsisse putabat, adoraret. *Elias Cret. in* 2. *Or: Naz.*

APOLLODORVS.

Epicuri discipulus celebris, κηποτύραννος dictus, quasi suo *regnator in horto. Laërt. l. X. p.* 727.

APOLLONIVS.

Tyaneus celeberrimæ famæ auctoritatisq;, Sapiens, vetus Philosophus, amicus verus Deorum, pro numine frequentandus. *Sic Vopiscus in Aureliano. c.* 24.

Lege virum (fidei Catholicæ pace præfatâ) à divitibus ambitum, nec divitias ambientem: cupidum scientiæ, continentem pecuniæ, inter epulas abste-

miium,

mium, inter purpuratos linteatum, inter alabastra censorium, concretum, hispidum, hirsutum: in medio nationum delibutarum, atque inter satrapas regum tyaratorum myrrhatos, pumicatos, malobatratos venerabili squalore pretiosum: cumq; proprio nihil esui, aut indutui de pecude conferret, regnis ob hoc, quæ pererravit, non tàm suspicioni quàm fuisse suspectui: & fortunâ regum sibi in omnibus obsecundante, illa tantum beneficia poscentem, quæ mage sit suetus oblata præstare, quam sumere. *Sidon. l. VIII. Epist. 3.*

Invenit ille vir ubiq; quod disceret & semper proficeret. *Paulin. Epist. c. 3.*

Apollonium omnis συμπαθείας καὶ ἀντιπαθείας fuisse scientissimum, eoq; stupendæ mirabilitatis effectorem celeberrimum. *t. Iustin. Mart. quæst. 24. ad Christianos. Vide plura de eodem apud Tileman. disc. philol. pag. 149.*

Ἀδιάπτωτος Criticis dictus, hoc est, sine vitio seu INCVLPATVS: notantibus plus studii fuisse in eo, quàm ingenii. *Casaub. in Epist. ad Ios. Scalig. quæ Martiali præfixa.* Apollon. Tyan. non jam Philosophus, sed *mediæ inter Deos ac mortales naturæ* particeps. *Eunap. in procem. p. 7.*

Memoriâ, si quis alius, valuit: taciturnus, plurimæ lectionis, ac jam centenarius *memoriæ* firmitate Simonidem superavit. Vir admirandus ac divinus. *Suidas.*

Vitam Apollonii descripsit Philostratus.

Quidam Christo comparem facere non compavescunt, quod dictu absurdissimum. *Rhodig. c. 6. l. 14.* Imò Orco piandum.

APOLLONIVS.

DVSCOLVS, *Alexandrinus Grammaticus* historiæ commentitiæ librum reliquit, non ita pridem à Viro CL. Joanne Meursio Lugd. Bat. DVSCOLVS i. e. DIFFICILIS dictus aut propter phrasin aut propter mores, aut propter difficiles dubitationum nodos, ut ex Scriptore eius vitæ anonymo, *Meursius in Syntagm. de Apollon. adducit. p. 57.*

APOLLONIVS.

Medicus MVS cognominatus est. *t. Cels. l. 5. præf.*

APPIANVS

Alexandrinus, alienorum ille quidem laborum FVCVS, ut meritò à magno Viro (*Ios. Scalig. in Euseb. p. 163.*) appellatur; sed scriptor utilis tamen, præsertim post disperditos non paucos eorum, quos exscribere solet. *Gerh. Voss. in arte hist. c. 20.*

Historicus eximius. *Dempstero.*

APONIVS.

Petrus Aponius, Medicinæ suo tempore princeps, in quâ & nobile composuit opus, quod CONCILIATOREM vocant. *Volater.*

APVLEIVS.

Madaurensis, Philosophus Platonicus, in vita Philosophus, in epigram-

matis amator, in præceptis omnibus ſeverus, in epiſtolis ad Cærellium petulans. *Auſonius in Centone Nupt. Eidyll. XIII. f.*

In utraq; linguâ, Græcâ ſcilicet & Latina, nobilis extitit *Apuleius Afer*, Vir magnus inprimis & qui venuſtate morum & dicendi copiâ, Socraticum fontem, & torrentem Platonicum facilè redoleat vel tenuiter Sapienti. *Ioh. Sarisberienſis. l. VII. c. 6.*

Sacerdotem arcanæ ſapientiæ Auſoniâ nutritum Sirene prædicat *epigram. Græc. 59. l. V. anthol.*

Ponderis Apuleiani fulmen. *Sidon. Apoll. lib. IV. ep. 3.*

Vniverſas Philoſophiæ, inexplebiles ſcilicet & nectareas crateras bibit. Canit enim Empedocles carmina, Plato dialogos, Socrates hymnos, Epicharmus modos, Xenophon hiſtorias, Xenophates Satyras: Apulejus veſter hæc omnia, novemq; Muſas pari ſtudio colit, majore ſcilicet voluntate quàm facultate. *Apuleius de ſe ipſe in Floridis p. 596.*

Omnigenæ vir eloquentiæ. *Volaterranus. lib. XIII.* in verbis novus, in ſententiis creber, in inventione acutus, in translationibus audax, in elocutione varius. *ibid.*

Tumidus fortaſſe, vegrandis & affectatæ elegantiæ ſcriptor eſt: at certè doctus literas & mores veteres, & in ſermone ipſo Plauti inprimis imitator. *Lipſius lib. II. epiſt. Quæſt. 22.*

Stylum eius ineptum eſſe volunt: fatebor in parte (nec enim aſperitatem illam & horrorem quæſitæ: dictionis uſquequaq; excuſo) ſed tamen *doctè ineptum*, & è quo multa bona ſelectaq; hauriat bonæ ſelectæq; mentis lector. *Id. II. Elector. c. 2. Vid. Voſſium IV. Inſtit. Orat. c. 1. p. 20.*

Proprietatis latinæ ſcriptor optimus, *C. Barthio l. LV. adverſ. c. 2.*

Mirifico acumine diſertiſſimus auctor. *Eid. l. XLIV. c. 25.*

Ineptâ dictione, rebus eruditus. *Dempſterus in Roſin.*

Auctor cautæ lectionis & periculoſæ imitationis. *Cauſſin. parall. Eloq. l. 3. c. 14. & l. 11. c. 9.*

Editiones emaculatiſſimæ ſunt. *Ioan. à Worvern, quâ plerumq; uſi ſumus, Gebhardi Elmenhorſtii: Iſaaci Caſaub. & Scipionis Gentilis Apologia cum notis.*

ARATVS.

Conſtat inter doctos, hominem ignarum Aſtrologiæ, ornatiſſimis atque optimis verſibus Aratum, de cœlo ſtellisq; dixiſſe. *Cic. 1. de Orat. c. 16.*

Sufficit operi cui ſe parem credidit. *Quintil. l. X. c. 1.*

Cum ſole & lunâ ſemper ARATVS *erit*
Ovid. 1. Amor. eleg. ult. v. 16.

Arati Phænomenon initium, totum eius ſcriptoris opuſculum nobilitaſſe videtur, cum de Deo loquatur divinitus, neq; quicquam melius poſſit expectari ab homine veritatis cœleſtis ignaro. Ideoq; quod ſuprà omnem laudem eſt, in

est, in re divina de Deo ipso ut commodè atque decenter locutus laudatur *à B. Paullo. C. Barth. l. Adverſ. c. 15. Act. XVII. v. 28.*

Interpretati eum sunt præter ceteros, qui non extant, Cicero, Germanicus, Cæsar, Avienus: quos conjunctim edidit Ictus Poëta & Criticus eximius *Hugejanus Grotius*: sub titulo SYNTAGMA ARATEORUM ex officina Plantiniana CIↃ IↃC.

ARCADES.

Quod ipsâ Lunâ antiquiores videri volebant, dicti sunt προσέληνοι *Apollon. Argon. 4. item* βαλανηφάγοι i. e. *glandivori.*

ARCESILAUS.

Alter ARISTIPPUS dictus *Laërtio. lib. IV. p. 280.*

Antè Plato retrò Pyrrho: medius Diodorus. *ibid. p. 275.*

Timon in eum ut φίλοχλον (*popularis auræ captatorem* lusit, quem scilicet turba *ceu fringillæ ululam*, circumdaret: at immerito. *Illuſt.*

ARCHESTRATUS.

Poëta Syracuſanus præ inopiâ macie confectus τῶν κηρῶν λεπτότερος i.e. UMBRIS TENUIOR dictus est. A Ptolemæo captus & in bilance positus, oboli pondere appensus est. Tales fuerunt *Philetas* Poëta & *Cineſias*, qui tiliaceis asserculis gracile corpus fulciebat, & *Melitus* tragicus poëta, Socratis accusator, & *Samyrion* Comicus, quos ἀϊδοφοίτας q. INFERORUM LEGATOS vocavit propterea *Ariſtophanes. Æl. l. 10. Iunius inter adag. Eraſmi p. 395.*

ARCHIAS.

Thurius dictus φυγαδοθήρας quod exules Athenis persequeretur & inquireret. *Plaut. in Demoſth.*

ARCHILOCHUS.

Poëta ceteris in rebus generosus, si quis eius obscænitatem & maledicentiam tollat, & velut maculam eluat. *Suid. Rhod. Vid. Homerus, Horatius.*

TETTIX, hoc est, CICADA dictus. *Gyr. dial. IX. p. 325. Lucianus in pſeudologiſtâ.*

Musarum amicus. *Vide Rhod. l. c.*

Archilochus *Lycambidas* poëmatibus suis virulentis atque dentatis ad laqueos compulit.

Apud *Cic. ad Attic.* amarulenta felleq; conspersa multò, imò defricta, Edicta vocantur Archilochia. *Rhod. 11. 14.*

Ejus probra, ut ipse de se narravit, sunt *ap. Ælian. var. hiſt.*

ARCHIMEDES.

Syracuſanus, vir in omni Geometriâ multum antè alios admirabili subtilitate. *Apuleius. 1. apol.* Sphæra ambita cylindro eius sepulchro à necessariis imposita est, sic postulante vivo. *Cic. Tuſc.*

CENTIMANUS d. t. *Euſtathio* quod uno machinæ balistariæ tortu multa simul jacula in hostes distringeret.

ARCHY-

ARCHYTAS

Tarentinus, Philosophus Pythagoricus: Italorum Reipublicæ Belli dux supremus: simulq; Philosophiæ professor. *Suid.*

Pet. ARETINVS.

Doctissimus quidem, sed Satyricus & impensè lascivus Poëta, cui summa capita mordere ludus, eoq; FLAGELLVM PRINCIPVM cognomen fuit. *Lansius orat. pro Italiâ. p.854.*

Leonardus ARETINVS.

Homo multæ eloquentiæ, atq; in bonarum literarum opere frequens, tum illustris Florentin. Reip. Cancellarius. Sed *Plagiarius Procopii. Tilem. disc p.41.*

Verus & fidelissimus Græcorum librorum interpres, præ quo ceteri, paraphrastæ. *Vol.*

ARIMASPI.

A Cyro EVERGETÆ appellati, ob commeatum in inopiâ exercitui advectum. *Diod. lib.*17.

ARISTÆNETVS.

Flavius ARISTÆNETVS elegantissimus & florentissimus scriptor, qui Honorio Imperatori in VI. consulatu Collega fuit. Quo ornatior, comtior, politior, eo etiam facilior & magis perspicuus gratiosusq; apparet. *Caspar Barthius lib. LV. Advers. c.8. qui primus autorem istum suo seculo, coniecturis indubiis, restituit. & lib. XLV. c. 6.*

Suaviss. Aristæn. totus Charitum manibus factus scriptor. *Eid. in Claudian. animad p.409.*

Suavissimus *nugonum. Eid. in Vespas. p.164.*

Elegantissimæ, sed affectati per omnia leporis, epistolæ, *cum Latinâ interpretatione & notis editæ sunt Parisiis.* M. DC. X. castis animis cavendæ.

ARISTARCHVS.

Grammaticus, Alexandrinus lege, oriundus è Samothraciâ: tam castigato fuit judicio, vt Homeri versus non putaretur, quem ipse non probaret. *Ælian.* Filios reliquit Aristarchum & Aristagoram, ambos *fatuos. Suid. Volaterran.*

ARISTIDES.

Ælius Aristides Adrianensis, omnium Sophistarum artificiosissimus, & multus in theorematis seu speculationibus. Cum ad dicendum naturâ minimè promptus foret, accurato orationum generi sedulam operam dedit: ad antiquos, animi oculos convertit: in grandi & ubere dicendi charactere præpolluit. Non ad multorum gratiam differebat, nec animi æstum retinebat adversus eos, qui cum laudatione non auscultabant. Cum Marcum Antonium per tres dies Smyrnæ commorantem, serius ac non nisi à regis familiaribus vocatus, & stipatus salutaret, allocutus est ipsum Imperator: Quare te, inquit, serò videmus? subiecit Aristides, Theorema, ô Rex, nos occupabat, atqui *mens aliquid*

consid-

considerans, ab eo, quod quærit, suspensa esse non debet. Exhilaratus Imperator viri indole tanquã simplicissimâ, Quando, inquit, audiam te? & Aristides Hodiè, inquit, propone, & cras audies. οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων; *non enim ex iis sumus qui vomunt, sed qui accuratè dicunt.* Liceat autem, ô Rex, etiam notos & familiares interesse auscultationi. Liceat, inquit Marcus, siquidem populare est. Cum verò addidisset Aristides, Concedatur etiam ipsis exclamare, ô Rex, & plaudere quantum valent. Imperator hic arridens, Hoc, inquit, in te situm est.

Smyrnæ conditor celebratur. Cum enim Smyrna terræ motibus esset deleta, sic eam apud Antoninum per literas deploravit, ut lacrymas quoq; Imperator libro infuderit, & instaurationi urbis annuerit. *Philostratus lib. II. de vitis Sophist. p. 579. Confer Eunap. Proæres. p. 143. & tit.* Vomitvs. *n.* 5.

Soli ex iis qui unquam ad dicendum se contulerunt profitemur nos, quod parcissimè dictum sit, quotquot sunt & putantur orationis virtutes in vnam facultatem inclusas, egregiè usurpasse. *Arist. de se Orat. contrà proditores myster. p. 706. tom.* 3.

Et certè si quid iudicare possum, videor mihi in uno hoc oratore & subtilitatem Thucydidis, & suavitatem Herodoti, & vim deniq; καὶ δεινότητα Demosthenis accuratissimè expressas deprehendere. *Gulielmus Canterus qui orationes illius cum interpretatione edidit. Anno* M. DC. IV.

ARISTIDES

Lysimachi F. qui unus omnium *justißimus, teste Cicerone pro Sextio c. 67.* fuisse traditur: qui ob eam causam expulsus est patriâ quod præter modum Jvstvs esset. *t. eod. V. Tusc. c. 36.*

Cui propter integritatem iniurato fides habita. *t. Suida.*

Themistoclis fuit collega, Archon Atheniensium, Miltiadi simillimus: uterq; enim optimus, hic pugnandi peritiâ, ille justitiâ. *Suid.*

Aristides & Themistocles diversis moribus. Hic esse, ille videri bonus malebat. Hic abstinentissimus, ille cupidissimus, hic deniq; pauper, ille dives. Catoni alter, Cæsari Themistocles comparandus. *Vol.*

Græcorvm Felicitas dictus, & quæ eum tulit, aurea ætas appellata. *Sabell. l. 4. c.* 4.

Vir ille pauper & popularis, rege dignissimam & divinissimam appellationem sortitus, Jvsti: quam nemo regum vel tyrannorum obivit, sed *Expugnatores, Fulminatores, Victores,* nonnulli Aquilæ dici & Accipitres voluêre, à violentiâ scilicet & potentiâ potius quàm à veritate laudem aucupantes. *Plutarch. in Aristide p. 322. confer. tit. Tyrannus.*

ARISTIPPVS

Cyrenæus, Regivs Canis à *Diogene* appellatus: quem & *Timon* ut nimis delicatum acriter mordet, cum ait:

Οἷάτ' Ἀρισίππε τρυφερὴ φύσις ἀμφαφόωντ@-
ψεύδη. hoc est.

Qualis Aristippi mollis natura Sophistæ
Quæ potuit tactu à vero discernere falsum.

Huius nepos ex filiâ doctissimâ ARETA, ARISTIPPVS etiam nomine, μητροδίδακτ@- i.e. à MATRE DOCTVS dictus est. *Laërt. in vit. l.* 2. *Illustrius. Confer. Horat. l.* 1. *epist.* 17.

Si pranderet olus patienter regibus uti
Nollet Aristippus: si sciret regibus uti
Fastidiret olus, qui me notat. i.e. *Diogenes.*

Nobilem Philosophum se ipsum nuncupavit: cum enim in nave periclitante perturbaretur, interrogatus post casum, cur Philosophus timuisset: Non agitur, inquit, par periculum de animâ nebulonis & nobilis Philosophi. Inter huius & beluæ vitam nihil distare ipse *Augustinus* censuit. *Confer. Volaterr. l. c.*

ARISTODEMVS

Cumarum Tyrannus MOLLIS dictus est. vel propter corporis, vel propter indolis mitis mollitiem. *Suidas. Vide Plut. de virtutibus mulierum*, ubi hæc causa, cur ΜΑΛΑΚΟΣ i.e. EPHEBVS dictus, quod admodum adolescens cum æqualibus comam adhuc alentibus, in bellis contrà barbaros manu & consilio strenuum se gessisset.

ARISTOMENES.

Atheniensis Comicus dictus θυροποιός i.e. JANVARVM FABRICATOR. *Suid.* vel aspiratione demptâ CASEORVM FACTOR. *edit. Wolffianâ.*

ARISTOPHANES.

Comicus, vixit Olympiade CXIV.

Cum risu mordax, nil sine facetiis impingens: *Iul. Scal. l.* I. *poët. c.* 7.

Nihil ferè à quoquam dicitur, quod non ad alicuius perniciem accommodetur. *Idem lib.* III. *c.* 98.

Aristophanes Comicus βωμολόχ@- καὶ γελοῖ@- NVGATOR & RIDICVLVS, ob Socratem virum sapientissimum *in Nebulis* Satyricè traductum. Honos ab Atheniensibus ipsi decretus est, ut Aristophanis nomen, non alterius, supremum scriberetur. *Ælianus lib.* II. *var. c.* 13. *Confer. Eunap. in Ædesio p.* 39.

Atticus SCVRRA *Barthio ad Calpurn. p.* 320. quod cognomentum aliàs Socratis. *Vide Socrates.*

Aristarchus atq; Aristophanes *poëtarum judices*, neminem sui temporis in numerum redegerunt. *Quint. lib. X. c.* 1.

Platonem memorant Dionysio tyranno, linguæ & Reipublicæ Atheniensis cupido, fabulas Aristophanis misisse.

De *Ioanne Chrysostomo* sunt qui scribant, eum suæ facundiæ & vehementiæ in vitiis taxandis, præsertim mulierũ, partem optimam ex quotidianâ lectione

Aristo-

Ariſtophanis hauſiſſe, & cum dormitum iret, libros huius autoris pulvillo ſubdere ſolitum, ut olim *Homeri poëma* Alexander ille Magnus.

Fama illius etiam ad Perſas pervenit: ut Rex Perſarum, factâ eius mentione, quibusnam cum hominibus ille Comicus viveret, percontatus ſit. Ego Plautum ei non ineptè æquiparandum judico, cujus ille locos quàm plurimos imitatus eſt. *Nic. Friſchlinus in vit. Ariſtophanis ubi adverſus Plutarchi criminationes quoque eum defendit, quæ p. 853.* Ab huius lucubratione, dicta eſt *Ariſtophanis lucerna*, ut Cleanthis. Eximium Attici leporis exemplar. Vitiorum acerrimus obſervator atq; reprehenſor. *Æmilius Portus epiſtolâ præfixâ Ariſtophani, quem cum novis ſcholiis Odoardi Biſeti in lucem dedit M. DC. VII. Aureliæ Allobr.*

ARISTEAS

Proconneſius, verſus heroici ſcriptor. Huius animam quoties voluiſſet corporis domicilio exiiſſe, rurſúſq; ubi vellet ſubiiſſe dicunt. *Illuſt. Suid. Plutarch. in Romulo.*

ARISTOTELES

Stagirites. Battus prius dictus ſecundum nonnullos, dici verò ab gente Lybicâ Reges, *Battos ex Herodoto. Rhod. l. 13 c 1. t. quem vide.* Ariſtotelem, *regem illum Peripateticorum*, magnum inter homines fuiſſe, quis abnuat? & magni ipſi viri locum ſic aſſignant. *Cicero inter primos*: Vir non ſolùm in dicendo copioſus, ſed etiam in Philoſophiâ ſingularis (*IV. Tuſc. c. 43.*) *Alibi*: ſummo ingenio, ſcientiâ, copiâ, *iterumq;*: quo nihil politius nihil acutius (*IV. Acad. q. c. 46.*) Eidem *aureum eloquentiæ flumen* dicitur: (*IV. Acad. q. c. 38.*)

Plutarcho; Vir eloquentiſſimus & peritus flectendi animos quaqua vellet.

Deniq; plenâ manu *Cicero*: Quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus vel inveniendis vel dijudicandis acrior *Ariſtotele* fuit? Neq; alii ab his elogiis divertunt. *Plinius* quidem ſummum in omni doctrinâ Virum appellat. (*lib. VIII. c. 6.*) alibi immenſæ ſubtilitatis.

Quid *Arnobius*? Vir ingenio præpotēs atq; in doctrinâ præcipuus (*l. 3. p. 69.*)

At Aven Rhois (*in proœm. phyſ.*) velut lymphatur in eius laudes; Ariſtoteles, inquit, tres ſcientias invenit, Logicam, Naturalem, Divinam: & nullus error inventus eſt uſq; ad hoc tempus, quod eſt mille quingentorum annorum. Et talem eſſe unum hominem, potius eſt miraculoſum quam humanum. *Idem alibi*: (*in III. de An.*) Ariſtoteles eſt *regula & exemplar*, quod natura invenit ad demonſtrandam VLTIMAM PERFECTIONEM humanam. *Deniq; ſimili elogio*: Ariſtotelis doctrina eſt SVMMA VERITAS: quoniam eius intellectus fuit FINIS HVMANI INTELLECTûS. Quare benè dicitur, quod fuit creatus & datus nobis divinâ providentiâ ut ſciremus QUICQUID POTEST SCIRI. Hæc magna & admiranda ſunt & quæ virum cœleſtibus pænè æquent. *Iuſtus Lipſius lib. I. Stoic. Philoſoph. diſſert. IV. Vid. Heinſium orat. III. de Bibioth. ubi de eius interpretibus.*

Hic brachio exerto pictus. *Sid. ep. 11. lib. IX.* ubi plurium philoſophorum picturæ.

Choſroës Perſarum Rex cuncta Ariſtotelis ſcripta in memoriam traiecit. *Agath. II. hiſt. a. f. Confer Hadrianum Iun. I. animad. c. 4.*

Plato huius domum vocavit domum ANAGNOSTÆ ob tantam Viri diligentiam. *Ammon. in vitâ*

Ἀριστοτέλης τῆς φύσεως γραμματεὺς, τὸν κάλαμον ἀποβρέχων εἰς νοῦν. Ariſtoteles fuit NATVRÆ SCRIBA, calamum imbuens mente, quem fortaſsè nihil rerum utilium, quamvis artificioſius & accuratius elaboratum eſſet, rejicere ac aſpernari oportebat. *Suid. in Ap.*

Σοφὸς ἀνὴρ καὶ ὢν καὶ εἶναι δοκῶν, id eſt, re opinioneq; vir ſapientiâ præſtans. *Ælianus lib. XIV. c. 1.*

Χρυσίου ποταμὸς ῥέοντος. Manantis *auri flumen* dictus *Ciceroni apud Plutar. in Cic. p. 372. Confer eundem in Alex p. 668.*

Vir excellentis ingenii, & eloquio quidem Platoni impar, ſed multos facilè ſuperans. *Auguſt. 8. de Civit. c. 12. ad quem locum præclara Ludovicus Vives.*

Λόγου πατὴρ *Galeno* quod ab eo profecta ſcientia. *Eraſ. p. 662.*

Σοφίης πρόμος *Sapientiæ Princeps* dicitur *lib. V. Anthol. epigr. 2.*

οὗτος Ἀριστοτέλης, μετρῶν χθόνα καὶ πόλον ἄστρων.

Hic Ariſtoteles menſurans terram & verticem aſtrorum.

Ioannes Poëta Barbucallus in imaginem Ariſtot. lib. IV. Anth. CXXXIII. *ep. 6. adde & 7.*

Prudentiſſimus & Doctiſſimus Philoſophorum. *Appul. de Mundo pr.*

Sol viſus eſt è cœlo cecidiſſe, qua die philoſophorum princeps PLATO rebus exceſſit humanis &c. Sed cum ei Ariſtoteles diſcipulus, vir excellentis ingenii, & Platoni impar eloquio, ſed multos facilè ſuperans in docendi officium ſucceſſiſſet, quaſi MATVTINVM SIDVS affulſit hominibus, & quibuſdam multiplicis philoſophiæ præceptis velut variis ſapientiæ radiis illuſtravit orbem, & tanquam oculorum deterſâ caligine, ad contuendam veritatis ſpeciem mentes hominum reparavit &c. Sicut urbs Romam, Maronem Poëta exprimit: Sic & *Philoſophi* nomen circà Ariſtotelem, utentium placito, contractum eſt. *Iohannes Sarisber. lib. VII. c. 6.*

Summus ille & primus ſcientiarum omnium *Dictator. Iul. Scal ex. 1. ſect. 3.*

In poëſi neq; ipſo Pindaro minor. *Idem lib. 1. poët. c. 44. Vide Laert. in catal. libb. eius.*

Vnus ſuper omnes ſingulis qui omnes fuit
Penes Deos homo, penes homines Deus. *Idem in Heroib. p. 293.*

Summus rerum omnium judex. *Lipſius V. polit. 7. Cic. orator. c. 51.*

Sapientiæ proles & alumnus. *Idem lib. 1. monit. & exempl. c. 8.*

Peripateticorum pater. *Arnobius lib. II. p. 28. f.* vide THEOPHRASTVS.

Aristoteles est polus, in quem se vertant addiscere cupientes. *Cremoninus de via lacteâ. pr.*

Duæ sunt *aquilæ* solæ in natura rerum: altera bellicæ laudis, altera literariæ: illa potentiæ, hæc *sapientiæ*: Cæsar & Aristoteles. *Scal. ex 194. s. 4.*

Sectæ Peripateticæ qui est pater, nihil de eo patre, qui supremus est, intelligi. *Clemens Alex. in Protrept. p. 35.*

Clearchus tamen Peripateticus dicit se nosse quendam Judæum, cum quo versatus sit Aristoteles. *Idem lib. 1. Strom. p. 223. confer Ioseph. lib. I. contrà Appionem. p. 1047.*

Imperator noster, omnium bonarum artium *dictator* perpetuus. *Scal. de carmin. Com.*

Vir laudatione omni maior. *Casaub. in Athen. l. 6. c. 7.*

Quam multa scripsit Aristoteles Platoni se opponens, eiusq; dogmata traducens velut in comœdia? sed nec ipse quicquam utilitatis contulit, nisi quod pugnam verborum vitæ humanæ generavit. *Isidorus Pelus. lib. IV. Epist. 91. confer Ælian. l. III. c. 19. & lib. IV. c. 9.* ubi Plato ingratitudinem eius notat, *pullum* vocitando, quod is saturatus lacte materno calcibus petit matrem. Ex Insectatoribus ejus & Aristoxenus *ap. Suid.* & Timæus, *ibid. in Arist.* & Epicurus, qui ἄσωτον vocabat & φαρμακοπώλην. *decoctorem & pharmacopolam*, quod comeso omni patrimonio stipendia fecisset, & venena sive medicamenta vendidisset. *ap. Laert. l. X. & Illustr. in Epic. Ælian. l. V. c. 9.*

Assentatorum perditissimum habet *Lucianus. T. 1. p. 294.*

Arrogantiæ insimulat. *Val. M. l. VIII. c. 13. ex. 3. & l. VII. c. 3. ex. 8.*

Patricius obscuritatis minutiloquii & versutiarum postulatur. *ap. Lipsium 1. manuduct. dissert. 4.*

Sed barbara ingenia levissimis momentis impelluntur ad divini atque incomparabilis Herois obtrectationem. *Scal. ex. 194. s. 4.*

In osores Aristotelis *Scaliger II. Epidorp. pr. 177. p. 146.* quem acriter defendit ipse *ex. 6. s. 4. Fonseca in proœmio metaph. c. V. Pererius lib. V. phys. c. 1. Daniel Heinsius orat. VI. vid. & Orat. II. & tit.* LOGICA *n. 7.* in Polymnemone; & VIRGILIVS.

ARNOBIVS.

Rhetor clarus in Africâ habetur: qui cum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neq; ab Episcopis impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros: & tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetravit. *Eus. Pamphilus p. 181.* Usq; eò eruditus ut Rhetoricam latinè docuerit, multos præclaros discipulos instruxerit, & doctrinâ reconditâ atq; sagacitate antiquæ lectionis *Varronum & Nigidiorum* sit similis antiquissimorum morum, rituum, juris pontificii vetustissimi consultus, Theologorum & initiorum omnia mysteria doctus. *Barth. l. LIX. Ad. c. 10.*

 Si non

Si non extaret, densa nox foret in superstitionibus veterũ. *Id. lib. XIIX. c. 14.*

Reconditæ eruditionis, styli asperioris. *Dempsterus.*

Cui Lucretii verba ab usu remotiora mirificè placuerunt, & quasi in deliciis habita sunt. *Gif. collectan. in Lucret.*

Quis post Tertullianum inter sacros scriptores doctior? ideoq; doctorum limâ dignior? *Lips. cent. I. ep. 42.*

Ille patrum præsul optimus, ille *Christianæ Varro maximus eruditionis. Heinsius.*

Arnobius inæqualis & nimius est, & absq; operis sui partitione confusus. *Hier. ad Paulinum. ep. 13. t. I. p. 40.*

Usi sumus editione Hamburgensi Gebhardi Elmenhorstii.

ARRHIANVS.

Nicomediensis, Epicteteus Philosophus cognomento νέ© ξενοφῶν h. e. novus sive *junior* XENOPHON.

Fuit autem Romæ sub *Adriano, Marco & Antonino*, Imperatoribus. Honorum etiam particeps fuit, & ad consularem usq; dignitatem evectus, *ut ait Heliconius*, propter eruditionis dexteritatem & excellentiam. *Suid.*

Dissertationes Epicteti, quas obiter in viâ, domo, scholâ habuit, ab Arriano collectæ & digestæ. *Lips. lib. I. Stoic. phil. c. 19.* Citatur & ab *Arnobio fine libri II. adv. Gentes.*

Arrianus discipulus Epicteti, vir inter Romanos cumprimis laudatus, ac per omnem vitam in literarum studio versatus. *Lucianus in pseudomant. p. 524 t. I.*

Fuit *Arrianus* summo Vir ingenio, summaq; doctrinâ præditus, ut planum fit ex eius commentariis in Epictetum &c. *Bodinus meth. histor. c. 3. p. 74.*

Jurisconsultus insignis, cujus à Paulo & Ulpiano mentio fit. ff. de act. & oblig. & L. 1. §. qui autem ff. quorum legatorum. *Vid. Gerhard. Voss. Hist. Gr. lib. II. c. II.* ubi itidem ob dulcedinem sermonis *alter Xenophon* dicitur ex Photio. *unde & Volaterran.*

ARRIANVS

Historicus φιλαληθὴς *Rhodigino I. antiq. lect. c. 22.*

De scriptis licet suis subarroganter gloriosus, dum inter scriptores esse vult Græcos, qui fuit *Alexander* inter Martios Duces. *Confer Tilem. p. 122. Voss. IV. Hist. Græc. c. 17.*

ARRIVS.

Hæresiarcha passim. *Nazianzeno orat. 23.* injustitiæ turbo, impietatis supplementum, spirituum legio, illa *Christo adversaria* LINGVA, illa iniquitatem in Excelsum locuta mens, ille divinitatis sector, cuius gravis quidem & horrendus conatus, gravior autem magisque horrendus vitæ finis & Judæ proditione dignus, quam ille adversus nostræ salutis Auctorem moliri ac perpetrare non dubitavit: Arrius à FVRORE pulchrè nomen habens.

ASCLE-

ASCLEPIADES.

Prusiensis Rhetoricæ Magister, medendi rationem magna ex parte mutavit, totamq; medicinam ad casum revocando conjecturam fecit. Vid. *Plin.l.27. c.13.* Huic cognomentum PHARMACION *Tiraq. l. c.*

ASINIVS POLLIO.

Celebris Roman. Orator, Augustiq; amicus. Omnes ferè sui temporis Oratores notavit nasutiore judicio, in *Livio* Patavinitatem, in *Cæsaris* commentariis infidelitatem, in *Salustio* verba obsoleta, *Ciceronem* denique ipsum exanguem & elixum appellavit. *Volaterran.*

ASPASIVS

BYBLVS appellatus est, quod de byblo i. e. papyro librum condiderit. *Suid.* quemadmodum nostro seculo *Melchior Guilandinus* fecit, Aspasio non inferior habendus.

ASPASIA.

Hermotimi filia. Phocensis, propter roseum cutis colorem MILTO dicta, unde & Cyro placuit, qui pauperem licet, uxorem duxit. *Ælian l.12.*

ARTAXERXES

Persarum Rex MNEMON dictus quod polleret memoriâ. *Alex.l.2.c.11.*

ARTAXERXES

Filius Xerxis ASSVERVS dictus & MACROCHIR i. e. LONGIMANVS quod manum dexteram longiorem haberet. *Plutarch. in vit. Aug.*

ARTEMIDORVS

Daldianus, Onirocriticorum scriptor sub Antonio Augusto, multiplicis oblectamenti & utilitatis. *Dempsterus in Rosin.*

ATHANASIVS.

Inclyti ille in principibus Dei sacerdotibus, nominis. *Leo Imp. const.* 88.

θεοφόρος. *Synodico Græco. c.37.*

πολύαθλος victoriosus. *Synodico. c. 60.*

Scientiæ auguralis insimulatus *apud Ammianum. l.15.c.18.*

Sanctissimus ORBIS OCVLVS, sacerdotum Antistes, sublimis Vox, Fidei columen. *Secunda* Christi *Lucerna*, & (si hoc verbo uti fas) PRÆCVRSOR. *Naz. orat. 23.*

ATHENÆ.

Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι, Græciæ *Græcia* Athenæ. *Iov. lib. III. Anthol. c. 25. epig. 32.* qui Thucydides aut Timotheus dicitur à scriptore vitæ Euripidis.

Ἑλληνίας φανερώτατος ἀστὴρ Ἀθῆναι

Græciæ clarissima *stella* Athenæ *Eurip. in Hippol. v. 1122.*

Ἑστίαν τῆς Ἑλλάδος, *Larem ac regiam* Græciæ, *Pythius*; πρυτανεῖον Ἑλλάδος, Græciæ

Græciæ Prytaneum, *Theopompus* Athenas appellitat *apud Athenæum lib. VI. c. 16. p. 254. ubi Casaubonus*: Ἑστία, inquit, & πρυτανεῖον idem sunt. *lib. V. c. 3. Animadv.*

Ἑλλάδος ἔρεισμα *propugnaculum Græciæ* Pindarus indigitat, ob id plurimis muneribus & statuâ mactatus.

Athenæ Σκόπος τῆς οἰκουμένης i. e. *specula orbis terræ. Antigono, ap. Plutar. in Demetrio. p. 892.*

Cum multi delendum Atheniensium nomen, urbemq; incendio consumendam censerent, negarunt se Spartani ex *duobus Græciæ oculis* alterum eruturos. *Iust. lib. V. c. 8.*

Omnium confessione civitas sapientissima. *Dionys. Halicar. lib. V. c. 74.*

Bonarum artium magistræ & inventrices Athenæ. *Cl. Manert. Panegyr. ad Iulianum. c. 9.*

Illæ non solùm in Græciâ, sed propè cunctis gentibus enitebant. *Cicero pro Flacco c. 7.*

Omnium doctrinarum inventrices Athenæ, in quibus summa dicendi vis & inventa est & perfecta. *lib. I. de Oratore. c. 4.*

Græciæ *Museum. ap. Rhodig. l. 18. c. 25.*

Omnis planè doctrinæ, omnisq; sapientiæ parentes Athenæ. *Cic. in consolat.*

In hâc urbe, quacunq; ingredimur, in aliquâ historiâ vestigium ponimus. *V. Tuscul. 2.*

Alexander *regni* sui *theatrum* Athenas appellabat. *Greg. Nazianz. ep. CXI.*

Athenæ verè *aureæ*, literarum sedes ac domicilium. *Idem orat. XX. Confer Dn. Barth. XXIII. Adv. c. 23.*

Adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortæ, atq; in omnes terras distributæ putantur: de quorum urbis possessione, propter pulchritudinem etiam inter Deos certamen fuisse proditum est: quæ vetustate eâ est, ut ipsa ex sese suos cives genuisse dicatur: & eorum eadem terra parens, altrix, patria dicatur: auctoritate autem tanta est, ut iam fractum quoq; ac debilitatum Græciæ nomen huius urbis laude nitatur. *Cicero pro Flacco c. XXVI. confer lib. 3. de orat. c. XI.*

Athenis tenue cælum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis. Itaq; pingues Thebani & valentes. *Idem de Fato. c. IV. v. Plutarch. de gloriâ Atheniens.*

Hîc ubi disiectæ frustrà quæruntur Athenæ,
Quæruntur Graji, mens, manus, arma, soli.
Lignea vicisti victricem, fata periclis
Marmoream faciunt. nunc miseranda quid es?

Iulius Scaliger in Vrbib. p. 562.

Attici τεττιγοφόροι q. CICADIFERI, quod capillorum cincinnis aureas cicadas adderent, hoc indicio significantes se esse αὐτόχθονας i. e. INDIGENAS,

GENAS, quod & cicadæ non aliunde commigrant, sed ibi nascuntur, ubi vivunt.

ATHENÆVS

Scriptor verè πολυμαθέστατ☉, verè undequaq; doctissimus: & ut paucis multa complectamur, *Græcorum Varro aut Plinius. Isaacus Casaubonus epistolâ ad Lectorem super animadvers. in Ath.* cui Casaubono verè acclamat, velut totius orbis literati voce, *Iacobus Lectius:*

Et tibi Athenæum, & totas debemus Athenas.

De libris Athenæi qui Deipnosophistæ inscribuntur, venustè admodum *Auctor Epitomes in Hypothesi*: Orationis dispositione sumptuosa velut cœna depingitur: ordo verò libri ac structura, eadem quæ & cœnæ præparandæ. Hanc itaq; iucundissimam sermonum ac disputationum cœnam, veluti dispensator quidam admirandus Athenæus exponit, acriq; studio dicendi, ut Athenis Oratores, se ipso factus præstantior, gradatim ad ea transilit, quæ proximè se opere toto consequuntur.

Doctus Veterum autorum compilator. *Dempsterus in Rosin.*

Plinius alter *Græcus. Volaterr. lib. XIII. Anthropol.*

Bibliothecam omnium veterum Historicorum, poëtarum, philosophorum, qui temporum injuriâ sunt amissi, complexus. *Mich. Neander in Gnomologico.*

ATHENAGORAS

Atheniensis Philosophus Christianus. Eius extat apologia pro Christianis ad Impp. Antoninum & Commodum, & aureolus liber de Resurrectione mortuorum; Interprete & edente *Andreâ Gesnero.*

ATILIVS.

Ob maximam scientiam in profitendo primus à populo *Sapiens* appellatus est. *Histor. Iuris Rom. c. 3. Vid.* SEMPRONIVS.

ATTEIVS.

Libertinus: *Athenis natus* PHILOLOGI appellationem sumpsit, quod sicut *Eratosthenes*, qui sibi prius hoc cognomen vindicavit, multiplici variaq; doctrinâ censebatur. *Tranq. c. X.*

ATTILAS.

Hunnorum Rex magno hominum consensu FLAGELLVM DEI nuncupatus est. *Sabell. 6. c. 3.*

AVRELIANVS

Neq; inter malos, neq; inter bonos principes ponitur, quod ei clementia Imperatorum dos prima defuit. Ab afflictis Carporum copiis cum CARPICVM Senatus dixisset, ægrè tulit deforme cognomen. Carpisculum enim genus calceamenti. *Vopiscus in vitâ. c. 30. quem vide.*

AVGVSTINVS.

Aurelius Aug Hipponensis Episcopus. Antistitum ille *Antistes* egregius. *Barth. lib LVIII. c. 5. advers.*

 Civitati

Civitati nomen *Hippon regius*, quasi dicas Equile regium ad differentiam Hipponis διαῤῥύτȣ in eodem littore ad exortum. *Erasmus.*

Sal Terræ & Lvcerna super candelabrum ecclesiæ posita. *Paulino discipulo.*

Eximius pater inter summa Ecclesiæ ornamenta & lumina princeps *Erasmus Roter.*

Incomparabilis Ecclesiæ Doctor, & invictus propugnator.

Doctor ille Ecclesiæ, cuius nemo satis memor esse potest. *Barisber. lib. VII. c. 11. f.*

Fuit in viro illo studium uberrimum, cognitio scripturarum sacrarum exactissima, judicium acre & extersum, ingenium ad miraculum rarum. *Ludovicus Vives præf. in libb. de civit. D.*

Quid habet orbis Christianus hoc scriptore vel magis aureum vel augustius? ut ipsa *vocabula* nequaquam fortuitò, sed *Numinis providentiâ* videantur indita viro. *Auro* sapientiæ nihil pretiosius: *fulgore* eloquentiæ cum sapientiâ coniunctæ nihil mirabilius. Sunt aliis aliæ dotes, prout visum est τῷ δωροδότῃ spiritui, qui pro suo arbitratu partitur singulis iuxtà mensuram fidei. In Athanasio suspicimus seriam ac sedulam docendi perspicuitatem. In Basilio præter subtilitatem, exosculamur piam ac mitem suaviloquentiam. In huius sodali Chrysostomo spontè profluentem orationis copiam amplectimur. In Cypriano spiritum veneramur, martyrio dignũ. In Hilario grandi materiæ parem grandiloquentiam, atq; ut ita loquar: cothurnum admiramur. In Ambrosio dulces quosdam aculeos, & Episcopo dignam amamus verecundiam. In Hieronymo divitem scripturarum penum, optimo jure laudamus. In Gregorio puram nulloque fuco contaminatam sanctimoniam agnoscimus, &c. In Avgvstino omnia: quasi voluerit opulentus ille spiritus iuxtà ac benignus, in unâ tabulâ *vividum quoddam exemplar Episcopi* repræsentare, omnibus virtutum numeris absolutum &c. Multa non scripsit sed dictavit: pleraq; per notarios ex ore loquentis excepta sunt, &c. *Erasmus in epistolâ præfixâ operibus D. Augustini.*

A. Augustinus & acumine ingenii & rerum multitudine, & operis mole veluti *Chrysippus* argumentandi virtute, aut *Zenon* sensuum subtilitate, aut *Varro* noster voluminum magnitudine. *Claudian. Mamercus l. 2. de statu animæ. c. 10. Confer Savaronem in Sidonium p. 143.*

AVGVSTVS vide OCTAVIANVS.

AVRELIVS VICTOR.

Historiæ Romanæ breviarium ex omni historiâ priscorum digessit, & *de Viris illustribus* urbis Romæ libellum illustrem composuit. Scriptor præclari judicii, qui charactere cuique verè principi affingendo paucos omninò pares habuit.

habuit. Summæ autoritatis Historicus. Afrum in eo acumen, & densitas sententiarum nodosa, & summo affectatoque studio difficilis. *C. Barth. lib. LIV. adv. c.13.*

AVREOLVS

Imperator nominis sui ab AVRO videlicet, à Gallo Antipatro dictus, id quod valdè reprehendit *Pollio in D. Claudio. c 5.*

AVSONIVS.

Decius Magnus Aus. Burdegalensis, Vir consularis, qui Theodosium Seniorem Augustum quoq; in admirationem rapuit, ad eum sic scribentem: Amor meus qui in te est, & admiratio ingenii atque eruditionis tuæ, quæ multò maxima sunt, fecit, Parens iucundissime, ut morem Principibus aliis solitum, sequestrarem, familiaremq; Sermonem autographum ad te mitterem. Quamvis ea Epistola Ausonii poëmatis præfixa meritò censeatur spuria, *Iudicio C. Barth. lib. XII. c. 12.*

In scriptis eius oblita *Tulliano melle* festivitas, merum gaudium. *Symmacho epist. XXX. lib. I.*

Oratio Atticis salibus aspersa & thymo odorata. *Eid. epist. XXIII.*

Ille rerum eventus nequaquam eveniet, ut ingenium tuum labor deterat: benignitatem cura flectat: facundiam usus exhauriat. *ibid.*

Quibus gradibus ad summos honorum apices grassatus sit, exponit ipse *in protreptico de studio puerili ad Nepotem. Idyll. IV.*

PATER eius IVLIVS AVSONIVS Med. (unde filius dictus AVSONIVS PŒONIVS *Barth. l. VI. adv. c. 1.*) tàm secundæ apud Aquitanos fuit famæ, ut ab illis cum aliquo septem sapientium contenderetur. Atq; scitum eius in ore omnium versabatur: *Beatum esse non qui habet quæ cupit; sed qui non cupit, quæ non habet.* Atq; de eo iactabant Aquitani: Quemadmodum AVSONIVS neminem sibi proposuit imitandum: ita AVSONIVM nemo nunc potest imitari. Eloquentiæ non ita studuit: cum hoc sæpius diceret: satius esse si moribus antiquorum prudentium viveremus, quàm si eorum tantum linguâ & arte loqueremur. *Ioseph Scaliger lib. II. Ausonianarum lection. c. ult.*

De poësi *Decii* illius *Ausonii* sic *Barthius*: Quicquid apud eruditissimum hunc Poëtam legas, iubeo meo periculo censeas apud Lucilium, Ennium, aut tales legere, quos & coluit Ausonius, & ubi duriusculus est, sponte imitando reducere in memoriam atq; auctoritatem voluisse videtur. *lib. XIII. advers. c. 14 & lib. III. c. 7. f.*

AVICENNA.

Cordubensis Hispan. eminentissimi Vir ingenii & medicus omnium clarissimus, è stirpe regiâ. Al. Arabs. *Carol. Steph.*

Arabum medicorum princeps, puer etiamnum Logicam solâ commentariorum ope didicit. *Zvving. p. 3734.*

AVSTRIA.

Auſtria Terra CLYPEVS & COR S. R. IMPERII. *Friderico Ænobarbo apud Cuſpinianum & Pezelium parte 3. p. 248.*

B.

BABRIAS vel BABRIVS.

Scripſit fabulas, ſive fabularum jambos, libris decem: fabulas Æſopæas in metra compingens. *Suidas in B.*

Babrius antiquus poëta fabulator. *Dempſterus.*

BALDVINVS

Flandriæ dux SECVRVS cognomine. *Ann. Fland. Calviſ. p. C.IIII.*

BALDVS

Bartholi diſcipulus, LVCERNA JVRIS dictus *in elogio Latomi.*

Qui Baldum juris negat accendiſſe lucernam,
Ille poteſt medio ſole negare diem. *ap. Iov. in elog.*

OMNISCIVS vulgò, in cuius tamen capite cerebrum volitavit ut in aëre aves. *Alex.*

BARTHOLVS

Adverſus ſtudiorum labores indomitus, voluptátumq; ſeverus contemptor: quam & *ſeveritatem* ſuprà æquum *in torquendis* necandisq; noxiis exercuiſſe viſus eſt, cum rerum capitalium judiciis præeſſet, adeò ut reum facti, nec ritè confeſſum & inſontem præcipiti ſententiâ ſupplicio affecerit. *Iovius in elog. ubi Myrteo*, iuris ingens lux & commodus explicator, dicitur, & COMMENTATOR & LVCERNA JVRIS. Lumen ardentiſſimum iuris. Optimus Auriga in iure Civili. Illuminator iuris & lux cæcorum, cuius opinio deficiente lege pro lege habenda, cuius opiniones Apollinis oracula, cuius veſtigia tanquam terreſtris Numinis adoranda.

Caſpar BARTHIVS,

Copiâ lectionis inexhauſtâ, memoriæ promptitudine ſtupendâ, iudicii gravitate ſummâ & ingenii præſtantiâ incomparabili Philologus excellentiſſimus. Omnis eruditionis antiquæ penu. Quemadmodum vel unicum illud ADVERSARIORVM volumen, cuius ſimile nunquam ab uno homine in literas miſſum, teſtatur.

VARRO alter, ſi quiſquam, merito dicendus: qui tàm multa legit, ut aliquid ei ſcribere vacare miremur, tàm multa ſcribit, quàm vix quenquam legere poſſe credamus. *Vid.* VARRO.

Ἀῤῥήτου σοφίης μύστης: item πάντα εἰδὼς χαρίτων ὀφθαλμός. item *clariſſimum Germaniæ lumen*: itidem decus & columen nutantium literarum. *Daniel Pareus comment. in Muſæum.*

Libros ſuos numerat. 1. *Soliloq.* 2. *& partem nominat in Rutil. ad Lect. ut & ſub congerie Variorum opuſculorum.*

Adi, non sine stupore legeris.

BASILIVS

Imperator Græcus κεφάλαια παραινετικὰ ad Leonem filium, principem futurum scripsit. Libellus is probus, pius & dignus quem principes legant. *I. Lipsius Notis ad c. IX. lib. 1. pol.*

BASILIVS MAGNVS.

Cæsareæ Cappadocum Episcopus, Vir celeberrimus, & ad summum omnis doctrinæ fastigium progressus. *Suid.*

Regium illud *ecclesiæ decus. Leo Imp. const.* 88.

Homo Dei, servus fidelis, mysteriorum Dei dispensator, Vir desideriorum Spiritûs, Excelsus & suprà ea, quæ oculis cernuntur, positus. *Pharaonis* hoc est omnis Ægyptiacæ ac adversariæ potestatis *Deus*: Ecclesiæ columna ac firmamentum: Domini voluntas: LVMINARE in mundo, verbum vitæ sustinens: Fidei adminiculum, ac spiritûs domicilium. *Sic eum compellat. D. Gregorius Naz. orat. XIX. pr.*

O divinum & sacrum caput! tu orbis lumen, magna vox & tuba, *Doctrinæ palatium.* Vnum *ver* inter anni partes, unus *Sol* inter sidera, unum *cœlum omnia* complexu suo *coërcens*, una vox tua de omnibus triumphans. &c. Neque alius quisquam satis dignè te laudavit aut laudaturus est, præter te tuamq; in dicendo sublimitatem: siquidem fieri posset, ut quispiam laudes ipse suas prædicaret, idq; Sermonum lex ferret. *Idem ep. XIV. ad. Bas.*

Omnes ab illo pari intervallo distamus, non secus atq; à cœlo solisq; radiis, qui ea contuentur. &c.

Rhetor inter Rhetores, etiã ante Sophisticam exedram: philosophus inter philosophos, etiam antè philosophiæ decreta: & quod maximum est, Sacerdos Christianis antè initum sacerdotium &c. Quis in *Rhetorica*, illa, inquam, vim ignis spirante, cum eo comparandus, tametsi illius mores à Rhetorum moribus dissiderent? Quis in *Grammatica*, quæ linguam ad Græcismum format, historias colligit, metris præest, carminibus leges præscribit? Quis in *Philosophiâ*, excelsa procul dubio scientia, & sursum gradiente, sive eam partem spectes, quæ in actione & speculatione posita est, sive eam quæ in *Logicis* demonstrationibus aut oppositionibus & concertationibus versatur, quam dialecticam vocant: in quâ adeo excelluit, ut iis qui cum eo disputabant, facilius esset è labyrinthis sese extricare, quàm argumentorum eius laqueos effugere, si quando res ita postularet.

Omnes mentis acumine ipsi cedebant, eamq; ipsius virtutem esse nôrant, ut ad eam nemo aspirare posset: atq; unam hanc demum sibi salutem esse arbitrabantur, si cum ipso & sub ipso sese collocarent, unum autem & certissimum periculum si in ipsius offensionem incurrerent, AB EOQVE DISIVNGI, nihil aliud esse judicabant, quàm A DEO ABALIENARI.

Calamum quaſi ex ſpiritûs pyxide movet.

Petri zelum, *Pauli* contentionem atq; animi vigorem imitatus eſt, atque utriusq; fidem: filiorum Zebedæi grandiloquentiam: Diſcipulorum omnium frugalitatem & ſuperfluarum rerum contemtum. *Filius tonitrui* non quidem nominatur, at efficitur, atq; ad JESV pectus poſitus, illinc vim dicendi & ſententiarum profunditatem haurit.

Vna & per omnia & maxima oblectatio, illius volumina & lucubrationes. Nec ſcriptoribus materia ulla alia & copia poſt eum, præter ipſius ſcripta ſuppetit. Silentur vetera, quæcunque in divinorum oraculorum explanatione à quibuſdam elaborata ſunt: nova prædicantur. atque Is APVD NOS ERVDITISSIMVS habetur, qui libros ipſius quàm maximè intelligit, ac linguâ verſat auribuſque inſtillat. Vnus enim omnium loco ſtudioſis ad eruditionem comparandam ſufficit. *Nazianz. orat. XX. in laudem Baſilii Magni.*

Vim eius dicendi admiratus *Summus*, qui tunc inter Ethnicos ferebatur, eloquentiæ Magiſter *Libanius*, eum non immeritò anteponit omnibus. Erat illi unus pro centum millibus in eloquentiâ Baſilius.

BASILIVS SELEVCIENSIS.

Baſilius Seleuciæ Iſauriæ Epiſcopus, magni illius Chryſoſtomi amicus & contubernalis. Multa enim apparent in huius orationibus veſtigia orationum & ſenſuum illius &c. Perſpicuitas in eo & ſuavitas decurrit: verum quod nimis in Tropis & Schematibus Gorgiæ, ſatietatem parit, &c. *Photius in Bibliotheca. plura vide in notis Claudii Dauſquii,*

qui ſacrum BASILI & elegantem
Librum, veſte decenter induit
Romanâ. atq; adeò decenter, inquam
Vt iam pall aſpernat, & Seleuci
Vrbem præ Latiare mutet orbe:

ut eleganter Lipſius, epiſt. LXII. cent. I. ad Belg.

BASSIANVS ANTONINVS

Dictus CARACALLA quod indumenta in talos demiſſa largiretur. *Aurel. Cæſ. c. 21.* quas caracallas talares vocant. *idem in epit. & diaconus miſcel.* Alexandri M. SIMIA cuius & nomen & geſtus ſumpſit, corpore eius conſpecto. *epit. Aurel. c. 21. Alex. ab A. l. 5. c. 18.*

BASSVS.

Iun. Baſſus ASINVS appellatus vulgò ob ſtuporem ridiculoſque mores. *Adag. p. 178.*

Dominicus BAVDIVS.

Ictus & Philologus celeberrimus, ſingulare *Bataviæ lumen*, de quo ſcitè *Gruterus in variis*:

Baudio præconium
Maximum est, favere linguis, nec loqui de Baudio.
Quippe ut hic & ille & iste, & iste cuncta dixerit,
Baudium laudare nemo quiverit quàm Baudius.

BEDA.

Anglicus, ob vitæ modestiam VENERABILIS cognomentum adeptus. *Vol.*

BELISARIVS.

Aquivivus Arragonius Neritinorum Dux. Eius aureolus libellus de institutione principis *à Leunclavio* editus Basileæ.

Laudatur *& à C. Barthio. XI. Advers. c.11.f.*

BELGÆ.

Filii isti Neptunini. *Lipsius Cent.I. epist.* 54.

Ingeniosissimi mortalium. *C. Barthius Lib. LII. Advers. c.16.*

Elegantissimum Josephi Scaligeri de miraculis terræ Hollandicæ epigramma ad Dousam habet *Pontanus p. 6.*

Ignorata tuæ referam miracula terræ,
Dousa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium *hic lassat textrina Minerva:*
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles oppida vestra:
Nulla fabris tamen hæc ligna *ministrat humus.*
Horrea triticeæ *rumpunt hic frugis acervi:*
Pascuus hìc tamen est, non Cerealis ager.
Hic numerosa meri *stipantur dolia cellis:*
Quæ vineta colat nulla putator habet.
Hic nulla, aut certè seges est rarissima lini.
Linifici tamen est copia maior ubi?
Hic mediis habitamus aquis. Quis credere possit?
Et tamen hic nullæ, Dousa, bibuntur aquæ.

Batavi GEVSII i. e. MENDICI. Memorabile est cum Margaretam Parmensem tàm dubio Reipublicæ tempore ancipitem, & animo consternatam, deque loco securiori cogitantem nonnulli ex proceribus solarentur, quendam ex iis (Baudartius *Barlaimontium* fuisse scribit) in hæc verba, Gallicè dixisse: non non Madame, ne craigner pas ces geus; nequaquam Domina, ne metuas hæc hominum MENDICABVLA; eaq; verba observata occasionem præbuisse, ut posteà, ad hoc usque tempus GEVSII nominarentur omnes quicunq; causam hanc publicæ libertatis agerent. Ipsi autem confœderati confestim tunc è panno cinericio vestem induunt, minutas è ligno scutellas, pocula leprosorum instar, è galero suspendunt, numismata deniq; in eam formā cudi procurant, ut uno latere Regis effigiem; hisce adjectis verbis: Fidelis Regi: altero,

altero, duabus fœderatis manibus implicatam manticam, hoc symbolo, *usque ad manticam*, haberet. Radi sibi postremò præter labrum superius, barbam reliquam iubent. Atq; hæc famigeratæ appellationis ipsorumq; motuum Belgicorum, quos tot annos nostra vidit ætas, prima fax & occasio. *Isaacius Pontanus rerum & urbis Amstelod. l.1. c.8.* ubi addit eam vocem non hodiernæ sed priscæ Galliæ esse, & Gallos antiquitus *Viros fortes, Goësos* nominasse: & *goësas*, hastas viriles *ex Servio ad VIII. Æneid.* & *Gæssatas* milites mercede conductos, ex Polybio, adeoq; hoc nomen libenter accipiendum ominis causâ.

BEMBVS.

Inter eos, qui in puerili illâ hæresi, ut religio iis esset scribere aut dicere aliud, quàm à Cicerone scriptum aut dictum. Stilus eius supinus, languidus & affectatâ imitatiunculâ fractus. Vt pueri pedes per delicias malè ponunt, & imitari vacias discunt: sic iste cum rectè scribere posset, maluit pravo elegantiæ studio flectere orationem & enervare. *I. Lipsius cent. II. epist.27. Miscell. & Notis ad c. 9. f. lib. 1. Politic.*

Quo non est Latio maius in orbe decus. Sabino.

Confer Tileman. discursu philol. p. 218. & 219. f.

Ennianum carmen, quod Cethego *apud Cic. in Bruto. c.15.* huic à *Gyraldo dial. 1. de poët. nost. temp. p.384.* accommodatur.

Flos delibatus populi, Suadæq; medulla.

Ianus BERNARTIVS

Flos Belgarum. *Lipsio.*

Inter alia in Boëthium & Statium Papin. commentatus est.

BERNHARDVS.

Claravallensis Abbas. Inter alios, inquit Lipsius, Bernhardus me capit, & usum habet excitandi, ob acrimoniam ubiq; & calorem: tùm etiam docendi atq; imprimendi, ob sententiarum acumen, quas crebro & salubriter miscet. *Cent. III. ad Belgas. ep. 49. f.*

Quis suavius Bernhardo scribit? cuius ego meditationes rivum Paradisi, ambrosiam animarum, pabulum angelicum, medullam pietatis vocare soleo. *Heinsius orat. III. pro biblioth. mun. Grat. act.*

Christo doctore professus Rhetor. Bernh. *Causs. l. III. de eloq. c. 14.*

Bernhardus Clarevallanus, tàm dulci orationis copiâ usus est, ut MELLIFLUI doctoris cognomen meruerit. *Becman. manud. ad. L. Lat. c.2. f.*

PATER PATRIÆ à pop. Rom. salutatus, quod litem inter Antipapas composuisset. *Sig. lib. XI. regni Italici.*

Philippus BEROALDVS.

Multiplicis variæq; doctrinæ vir: sed in reprehendendis aliorum erratis, quavis *aquilâ* oculatior. *Servio* quidem doctissimo gravissimoque Grammatico tàm infensus, ut acerbius sibi illum insectandum proposuerit, quàm Bupalum Hipponax

Hipponax olim, aut infidum Lycamben Archilochus. *Gifanius Apologia pro Lat. poëtis. p. 505.*

Eâ famâ, ut qui omnia didicisse & sedulo docuisse videri potuit, in delectu pinguis & supinus evaserit. *Iovius in elogiis. p. 65.*

Bononiæ jubar *ibidem* dicitur.

COMMENTATOR BONONIENSIS *in vita.*

Criticus frigidus. *Dempstero.*

Diligentissimus ad anxietatem Grammaticus. *Turneb. l. 2. c. 15.*

BEROSVS.

Chaldæus natione, non Moysi sed Aristoteli σύγχρονος. *C. Barthius lib. LI. Adv. c. 7. p. Confer Gerhardum Voßium de Historicis Græcis. lib. 1. c. 13.*

Ob divinas prædictiones, Athenienses publicæ in gymnasio statuam ei *inauratâ linguâ* posuêre. *Plinius lib. VII. c. 37.*

De libris V. qui hodiè superbo eius nomine fulgent. *Vide Tilem. disc. philol. p. 78.*

BEZA.

Ætatis suæ PHŒNIX dictus. *in vit.* THEODORI nomine aut prænomine, à Troibus Rutulisve passim laudatus.

BIAS

Prienensis. Vnus de septem sapientibus. Ajunt illum in causarum patrociniis dicendi peritiâ excelluisse, non tamen ut cuipiam illâ noceret; sed cunctis prodesset. Vnde adagio: Biantis Prienensis judicium. In causarum patrocinio Biante Prienensi præstantior. *ap. Suid.* Eius sententias metro innexuit *Ausonius in Ludo VII. sap.*

BION.

BION BORYSTHENITES Sophista *callidus.* Eratosthenem de illo dixisse ajunt: Primus omnium Philosophiam vario orationis flore vestivit. *Laërt. lib. IV. p. 289. Hesychius Illustrius.*

Ioan BODINVS.

Quod se & sua nimium prædicare, alios verò insolenter conculcare præter meritum soleat ac rei veritatem, dictus est anagrammatismo: ANDIVS SINE BONO. *Lansius orat. contrà Galliam. p. 379. & seqq. & p. 321. & seq. ubi plura de ipso testimonia non adeò honorifica: ut & Tilem. disc. philol. p. 114.*

Vir magnus. *Dempstero. Vide* JOVIVS.

BOEOTI.

ὕαντες i. e. SVILLI. d. ob ingenii crassitiem. *Ad. p. 715.*

Atticos SVIS cognomen indidisse Bœotis ob edacitatem refert *Plutar. l. de carnis esu*: *& Athæn. l. 10.* ubi hoc Eubuli de illis elogium sed Græcum:

Sumus ad bibendum atq; vorandum strenui,
In his valemus. Athenienses dicere
Promti, edere pauca; multa Thebani.

Sunt autem cognata vitia πολυφαγία & stupiditas. *Bœotus* i. e. stupidus nobis dicitur Bot.

Severinus BOETHIVS.

Eius ingenium neq; antè se multos; neque post se aliquem toto Romani Imperii tempore habuit similem; adeò ei viro cum summa disciplinarum atq; rerum gravissimarum cognitione, etiam elegantiores Musæ omnem suum favorem tradidêre. *C. Barthius lib. XVII. Adv. l. 13. ubi & judicium habes de Bernartii & Sitzmanni editionibus.*

Vix ullus scriptor Boëthio isto scholis commendatior fuit, ob Aristotelicam disputandi doctrinam latinè explicatam. *Idem lib. X. c. 18.*

Flumen Romani sermonis apud hunc fere solum remansit. *Idem lib XXIV. c. 15. p.*

Quis Boëthio vel in Dialecticis acutior? vel subtilior in Mathematicis? vel in philosophia locupletior? vel in Theologia sublimior? *Angelus Politianus misc. c. 1.* Vide epistolam elegantissimam, quam *Cassiod. Boëthio inscribit. lib. I Var. 45.*

Valla docet eum Latinè loqui: at Vallam Boëthius bene sapere. *Scalig. VI. Poët. c. 5. p. 825.*

BONFINIVS.

Antonius Bonfinius civis Asculanus è Picenti agro, Matthiæ Regis Orator. *Ipsius de se Decad. IV. lib. 7. rerum Vngar.*

Ingenio non ad hoc argumentum (historicum) modò, sed ad omnem omnino Philosophiam excellens. *Ioannes Sambucus in præfat. Historiæ Bonfinianæ.*

BONOSVS

De hoc *Aurelianus* sæpe dicebat: non ut vivat natus est, sed ut bibat. Cum laqueo vitam finivisset, jocus exstitit: AMPHORAM pendere non hominem. *Vopiscus c. 11. 15.*

BORSIVS.

Borsius Atestinus ab illustri ingenio præstantissimisq; moribus PACIFICATORIS nomen tulit, & PATRIÆ DECVS appellatus est. *Iov. in Alfonso.*

BREDERODIVS.

Petr. Bred. summi judicii, lectionis & experientiæ vir. Huius seculi vere ENNIVS. *Pareo.*

BARNABAS BRISSONIVS.

Senatus Parisiensis præses, opus mirandum de FORMULIS & SOLEMNIBUS populi Rom. verbis, ex ipsis Romanæ prudentiæ penetralibus magno judicio collegit.

Vir maximus. *Barth. III. advers. c. 2.*

Polyhistor ingeniosissimus. *Claud. Min. præf. in Alciati emblemata.*

Eius opus magnificum *Tilemanno p. 219.*

JC. & Criticus judicio doctrinâq; nulli secundus *Dempstero.*

BRO-

BRODÆVS

E decumati judicii vir. *Claud. Dausius in notis ad Q. Calabrum.*

Criticus magnæ eruditionis. *Dempstero. Vide Lips. in Tacit. de morib. Germa.*

L. IVNIVS BRVTVS.

E sorore Tarquinii superbi genitus stultitiam finxit unde BRVTVS dictus *Aurel. c. 10. Volaterr. l. XIV.*

M. Brutus ut ipse se vocat LIBERATOR ORBIS TERRARUM. *C. Barth. l. XXXV. c. 21.*

BVCHANANVS.

Georg. Buch. Scotus. Scotiæ buccina. *C. Barth. I. Zodiaci Christ. a. f.*

Et quisquam dubitet plenis edicere buccis
Hæc superat cunctas buccina clara tubas: *Meliss. de eod.*

Felix lacteæ venæ pater Quæ ditat immensum mare. *Scalig.*

Literatorum DEVS. *eid.*

Poëta, historicus, eloquens, sublimis. *Dempstero.*

Guil. BVDÆVS.

Incomparabilis mysta Græcæ litteraturæ. *C. Barth. lib. XXI. c. 3. adde Gifa. in Apol. p. 510. & Iul. Scalig. orat. de verbo* INEPTI.

Nō Galliæ modo sed totius etiā Europæ longè doctissimus. *Iovius in Elog. p. 115.*

Omnes funeris honores & tumuli penitus abdicavit noctu sepultus. *Ib.*

Gallicus ALCIDES. *Nicolao Borbonio in epigram. quem vide.*

Galliæ Portentum *ab Erasmo* dictus ob raram eruditionem.

Vnicum sui temporis totius Galliæ absolutæ eruditionis exemplar, unicus totius literaturæ in Europa Phœnix, & quē Erasmus, Bembus, aliiq; eius æquales *benignum sidus* Gallicæ literaturæ exortum vocant. *Bizar. lib. 19. hist. Genuens.*

Gallia quod Græca est, quod Græcia barbara non est,
Vtraq; Budæo debet utrumq; suo. Item.
Sunt universi splendor Orbis Galliæ,
Et Galliarum splendor est Lutetia,
Splendor, Camœnæ, sunt sacræ Lutetiæ.
Budæus *ornat unus innocentia,*
Splendore vitæ, literis, solertia
Orbem, Camœnas, Galliam, Lutetiam. *Buchan. II. epigr.* 8. *&* 9.

Singulare huius urbis (Lutet.) ornamentum, cuius si quando manum in aliquo loco cognoscimus, ita veneramur & admiramur, ut quod ludens scripserit, aliorum seriis scriptis anteponere non erubescamus. *Turneb. l. 9.*

BYZANTIVM

Vrbs totius Orientis principatum tenens. *Gregor. Naz. orat. XX. p. 122.*

Regina urbium, urbs amplissima, urbs magni regis, tabernaculum altissimi, laudatio & celebratio ministrorum eius, deliciæ hospitum, imperantium urbiū imperatrix, canticum canticorum, splendor splendorum, & rebus visu raris spectaculum rarius. *Nicetas lib. ultimo. Sect. IV. p. 640.*

Europæ imposita hæc, Asiæq; obiecta potenti
Limes utriq; olim, nunc utriusq; caput.
Translato imperio, pariter fortuna recessit
Crevit & auspiciis maxima facta novis.
Auxit, qui rapuit: sed nunc cervicibus orbis
Imminet. Ipsa etiam Roma superba tremit,
Non vetus illa; novo meretrix sed perdita luxu,
Quæ nullum crimen, nolle pudere, putat.
Surge ferox, quate, cæde. tua est victoria tantum
Misce armis leges, accipe, daq; jugum. *Iul. Scal. in urb. p.* 544.

Vide CONSTANTINOPOLIS.

C.

CÆLIUS

Orator. Multum ingenii in Cælio & præcipuè in accusando multa urbanitas, dignusq; vir, cui & mens melior & vita longior contigisset. *Quintil. l. X. c.* 1.

CÆSAR.

Cai. Iul. Cæs. Si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. *Quintil. lib. X. c.* 1. *p.* 455.

Scribere & legere simul, dictare & audire solitum accepimus, epistolas verò quaternas pariter librariis dictare: & si nihil ageret, septenas. *Plin. l.* 7. *c.* 25. *Plut. in Cæs.* Confer. HADRIAN.

Vnus mihi cæteros vicisse & scribendo & pugnando videtur. *Gyraldus progy. advers. lit. p.* 440.

Veneratione rerum gestarum DIVVS dictus *Aurel. c.* 78.

Omnium mulierum Vir, & omnium virorum mulier nuncupatus à Q. Curione Oratore magno, sed inimico Cæsaris. *Sueton. in Cæsare. Volaterr. l.* 14. *anthrop.*

Res suas ipse digessit: compositè sanè & pari modestia ac libertate. Prudentiam non è verbis eius hauries, sed è factis: & maximè militarem. Commentarii enim sunt, & nihil præter nudam simplicemq; narrationem pollicentur. *I. Lipsius. Notis ad c. IX. lib. I. Politic.*

AQVILA potentiæ. *Scal. ex.* 194 *l.* 4. vide ARISTOTEL. & VIRGILIVS.

Hirtii & Pollionis judicium vide *apud Sueton. in Cæsar. c.* 56.

Disertus narrator, cuius pura oratio, sine fuco ac calamistris ornata, vel Romanis vel Atticis Musis dignissima; non perfectus historicus. *Idem Lips. de dicat. Taciti.*

IMPERATORIS prænomen perpetuum: cognomen PATRIS PATRIÆ à Senatu accepit. *Sueton.* plura de nomine Imperatoris *Alex. l.* 1. *c.* 2.

Ζεὺς νέος ἄλλος ἐν Αὐσονίοισιν h. e. JVPITER novus alius in Ausoniis *epigr.* 17. *I. V. Anthol.*

Ei sub-

Ei sublimitas omnium capax, quæ cœlo continentur: proprius vigor celeritasq; quodam igne volucris. Scribere & legere simul, dictare & audire solitum accepimus &c. *Plin. l. VII. c. 25.*

In Commentariis purus, tersus, oratoribus summis comparandus. *Demste us.*

Eius Commentarii, cur *Iulii Celsi* existimati *Vid. Modium in Novantiq. ep. 30.*

CAIN.

Primus partus est qui primus naturæ fuit infestus, qui prius astruit partioni cursum, primus morti portas patefecit; qui naturæ munere primus ad vitam venit & primus vitio voluntatis in cædem ruit. *Basil. Seleuc. orat.* 4.

Terræ operarius. *Gemens* & tremens. *Ambrosio l. de Cain & Abel ex Gen.* 4.

CAIVS

ICtus Hadriani tempore celebris ex cuius commentariis tam institutionum quam rerum quotidianarum institutiones compositas *Iustinianus præf. §. 6.* profitetur.

CALCAGNINVS.

Cæl. Calcagn. *Ferrariensis*, epistolarum criticarum & familiarium auctor: quantum commendatus à Gyraldo: tantum fœdatus à *Iovio in elog. p. 135. is*, quem *Scaliger* ita loquentem introducit inter *Heroës p. 306.*

Iudicium, ingenium, pietas, facundia, census
Nobilitas gravitas, gratia, forma, lepor:
Si quid præterea mortalem rarius orbem
Concelebrat, si quid sidera magna colunt:
Cuncta fui.

Cum ubiq; eruditior, ut est, videri velit, eo nomine taxatur. *Gyrald. de Poët. sui temp. dial.* 1. cui tamen varia est eruditione atque doctrina, ut omnibus quos ipse noverit, hac parte anteponendus.

CALIGVLA.

C. Cæsar cognomento CALIGVLA quod calciamento militari quæsierat. *Aurel. in Cæsar. c. 3. Deorum.*

Habitu incedens JOVEM se ob incestum, LIBERVM ex thoro Bacchanali adseruit, DOMINVM dici voluit. *ibid.*

Homo omnium ante se sceleratissimus. *Diacono 7. Misc. c. 25.*

ALVMNVS LEGIONVM dici etiam voluit quod inter milites & manipulari habitu educatus & militibus admodum charus fuerit. *t. Sen.*

CALLIAS.

Atheniensis Comicus, cognomento SCHŒNION i. e. FVNICVLVS, quod pater eius restio esset.

Sed & *alius* cognomento LACCOPLUTUS ab opum affluentia. *Suid. Volaterr.*

Sive hic sive alius CRVDELIS & INIUSTUS *Sabell. l. 6. c. 3.*

CALLIMACHVS

Filius Batti & Mesatmes Cyrenæus grammaticus: tanta diligentia fuit atque industria, ut quovis carminum genere poëmata scriberet, ac soluta oratione plurima componeret. Sunt enim libelli eius amplius DCCC. Vixit temporibus Ptolemæi Philadelphi & usq; Ptolemæum Evergeten ætate processit. *Suid.*

Elegiæ princeps Callimachus. *Quintil. l. X. c.1.*

De eo sic *Naso.*

Battiades toto semper cantabitur orbe
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Quem contra *Heinricus Stephanus.*

Non satis ingenio Nasone es judice promptus
Summo inter vates qui fuit ingenio.
Quid nobis de te est aut de Nasone putandum?
Iudicium deest huic, ingeniumne tibi? Item.
Carmina non equidem tua legerat omnia Naso,
Legerat hæc oculo vel properante nimis.
Frischlin in Callim. à se edito.

CALLIMACHVS

Sculptor sibi nomen adoptavit & τηξίτεχνον q. artis INTERPOLATOREM dixit, ut qui eam in tenuiorem exquisitioremq; disciplinam reduxit. *Pausan. Volaterr. Alex. l.2 c.11.*

CALLIMEDON

Rhetor, CARABI cognomen est adsecutus, quod eo cibo insigniter oblectaretur. Est autem piscis carabus. *Alexis ap. Rhod. l. 13. c.25.*

CALONDAS

Interemptor Archilochi poëtæ, ut volunt nonnulli, dictus CORAX. *Rodig. l. XI. c. 15.*

CALPVRNIVS

Flaccus. Quis hic, alii fortasse dicturi sunt; mihi quidem nondum scire contigit, inquit *Pithæus*, qui excerpta controversiarum eius Quintiliano adjecit, opere, non sine decurtatorum scelere suppresso. *Barth. LVIII. Adversar. c.13.*

Declamator disertissimus. *Dempsterus.*

IVNIVS CALPVRNIVS FLACCVS

Eclogarum simplicium conditor, immeritò sordet cum comparibus suis. Nam multo maioris ingenii fuisse, quam vulgo facile appareat, persuasum habemus &c. *iterum Barth. XII. adv. c.10.*

Titus Calpurnius Siculus, generosæ venæ *Bucolicus. Dempster.*

CALPVRNIVS

Cognomento LANARIVS bardi ac stupidi exemplum. *l. 3. Offic. Erasm. p. 407.*

CAMBDENVS.

Nobilis Britanniæ ſuæ illuſtrator. *Barth. l. X. adverſ. c. 17.*

Ioach. CAMERARIVS.

Græcæ atq; Latinæ linguæ ita peritus, ut in ſcribendo pernobilis Ciceronis imitator evaſerit. *Iovius ſub fin. Elog. p 143.*

Incomparabilis ille JOACHIMVS CAMERARIVS. *Ianus Gruterus præfat. in Senec.*

Vtriuſq; linguæ hodie princeps, *Taubman. in Bacchid. act. 5. ſ. 2.*

Germaniæ ornamentum & *Europæ Decus Turnebo in adverſ.*

Vir quem Germania habuit ſine pari. *Lipſius cent. I. Miſc. ep. 75. p.*

Camerar. loco nobili ſed in modicis opibus natus, adhæc ſpecie ingenua prædıtus, nobilitatem generis, quantum per conditionem & ætatem licuit, nobilibus exercitus retinuit, equitandi peritia inſignis ad ſtudia, quod pauci ante illum fecerant, politioris literaturæ ornamenta ſemper attulit. *Lumen Germaniæ Thua. l. LIX. a. ſ.*

Furius CAMILLVS.

Ob Romam à Senonibus Gallis ſervatam appellatus eſt SECVNDVS ROMVLVS, quaſi & ipſe patriæ conditor. *Eutropius lib. I. ſ.*

CAMPANIA.

Liberi Cererıſq; certamen *Iornand. de regnor. ſucceſſ. ubi plura ex Plinio l. 3. c. 5.* qui locus propter ubertatem agrorum abundantiamq; rerum omnium ſuperbiam & crudelitatem genuiſſe dicitur. *Cic.*

At nunc non eſſe ſui ſimilem Campaniam querela eſt. *ap. Eraſm. p. 61.*

CANTERVS.

Guilelmus Cant. Criticus elaboratiſſimus. *Pareo in Plaut.*

CAPELLA.

Martianus Minæus Felix Capella, Carthaginienſis, Vir proconſularis.

—— —— *Immiſcuit*

Muſas deasq; diſciplinas Ciclicas.

Satyrico ſcilicet de nuptiis Philologiæ & Mercurii elegantiſſimè opera Hugeiani Grotij edito.

Rebus Latinus, verbis Africanus, durus *innovator. Dempſterus.*

Barbarior quidem ſcriptor, utiliſſimus tamen ad veterum de ſingulis artibus liberalibus ſententiam capiendam, nec dignus qui à Criticis adeo aſpernabili titulo proſtituatur ludibrio Tulliaſtrorum. *C. Barth. VII. adverſ. c. 16. & XIX. c. 16.*

CAPETVS.

Hugo Capetus qui regnum Francorum occupavit ABBATEM ſe

joco

joco vocitavit, quod se rebus monasteriorum, (quas plures illis esse quam opus foret dicebat) implicaret. *Crantz. l. 4. Sax. c. IX.*

CAPITOLINVS.

Iulius Capitolinus inter eos numeratur à Flavio Vopisco, qui sua non tam disertè quàm verè memoriæ tradiderunt. *In Probo. c. 2.*

Historici nomine indignus. *Dempstero.*

CARDANVS.

Hieronymus Cardanus, magni nominis sive Mathematicus sive Medicus Mediolani natus, varia eius vita, ut mores: pluraq; ipse de se, inaudita in viro literas professo, simplicitate, seu libertate scripsit, quam curiosus quisquam à me exigat. *Thuanus. l. LXII. p. 83.*

In quibusdam interdum plus homine sapere, in pluribus minus pueris intelligere videtur, Certiora per judiciariam, quam ex arte possint, promsit; *extremæ amentiæ imo impiæ audaciæ* in exaranda Servatoris nostri genitura.

Mortem suam inedia accelerasse creditus, ad eum sc. diem & annum quem prædixerat. *Ibid.*

CARNEADES

Cyrenæus Philosophus novæ Academiæ autor. *Suidas.*

Carneadis vis incredibilis illa dicendi & varietas perquam esset optanda nobis: qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit: nullam oppugnavit, quam non everterit. *Cic. l. 2. de orat. c. 32.* Inde vis *Carneadia* aut *Aristotelia. III. de Orat. c. 19.*

Illo viro argumentante, quid veri sit, haud facile discerni posse Cato Censorius censuit. *ap. Plin. l. VII. c. 30.*

Laboriosus & diuturnus *sapientiæ miles:* siquidem XC. expletis annis, idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit. *Valer. M. l. IIX. c. 7. ext. 5.*

Candidum per helleborum capite purgato ad confutanda Zenonis dogmata accessit. *Volat.*

Academiæ sectæ Philosophus, cuius in differendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui nescit, is ex prædicatione Ciceronis intelligit, aut Lucilii, apud quem differens Neptunus de re difficillima, ostendit non posse id explicari, nec *si Carneadem ipsum Orcus remittat. Lact. lib. 5. c. 15.*

CARINVS

Imperator homo omnium contaminatissimus quo de *Pater probus*: Non est meus. *Vopisc. c. 16. 17. vid. tit. Liberi. n. 30.*

CARRIO.

Ludovicus Carrio, Antiquarius limatissimus. *Pareus in Plaut.*

CARTHAGO.

Lybiæ princeps urbs, Tharses ab Esaia & Ezechiele nominata. *Suid.*

Carthago

Carthago provinciæ nostræ *magistra venerabilis*: Carthago Africæ *Musa cælestis*: Carthago *Camœna* togatorum. *Apuleius. IV. Florid. p.* 597.

De terrarum orbe per CXX. annos urbis (Romæ) æmula. *Plin. lib. XV. c.* 18.

Vniversarum urbium princeps & quasi mater, illa Romanis arcibus semper æmula, armis quondam & fortitudine, post splendore & dignitate, Carthaginem dico, & urbi Romæ maximè adversariam & in Africano orbe quasi Romam. *Salvianus. lib. VII. de Gubern. p.* 275.

Oræ maritimæ, OCVLVS. *Ciceroni III. de N.D. c.* 38. *f.*

CARVS

Imp. Medius vir inter bonos magis, quam inter malos principes collocandus. *Vopisc. c.* 4.

Princeps vere carus. *Calpurnio.*

PERSICVS dictus. *Ibid.*

CASAVBONVS.

Isaacus Casaubonus, bibliothecæ regiæ vigil Chartophylax. Princeps literatorum. Vir incomparabilis. *Pareus in Plaut.*

Hellados & Latii *Sospitator.* Auctores qui Casaubonum nacti vindicem duplo fœnore receperunt ab assertore lucem, quam ab hoste victi deposuerant. *Barthius in præfat. Gratii. Nemes. &c.*

Casaub. omnes doctrinæ opes veluti in sanctiore quodam ingenii ærario reconditas habuit. *Lansius orat. pro Gallia. p.* 229.

Eruditionis Sol & ætatis decus. *Heinsio in Theocrit.*

Eruditorum Phœnix. *Iosepho Scaligero.*

Tot edidit Palladas, quot libros conscripsit. *Petr. Matthæus præf. Char. Theo.*

Vir nectare & Ambrosia qui alatur & Sarrano qui dormiat Ostro, dignissimus. *Remus in Themist. p.* 159.

Cuius omni æternitate immortale nomen in literis nostris erit. *Iterum Barth. in Rutil. p.* 158.

Musarum *favus. Gerb. Vossio II. instit. Or. c.* 3. πολυμαθέστατος *Eid. lib. IV. c.* 1. *& 9. f.*

Immortale Galliæ decus quo digniorem omni laude alium ne historiæ quidem continent, *Rittershus. in Salvian.*

Στύλος καὶ ἑδραίωμα politioris literaturæ, cuius acerrimo judicio elucubrata & q. *Museo melle* tincta dulcissima scripta-

Æternis famæ monumentis insita florent. *Dan. Pareo in Musæum.*

Admirandæ lectionis criticus. *Dempstero.* PYTHIVS quidam. Adversus *Andr. Eudæmono Ioannem*, ut parentis famam tueatur atq; suam, *vid. exerc.* 1. *ad appar. annal. c.* 4.

CASSANDER.

Θαρσαλέη κυνόμυια, i. *proterva* CANINA MVSCA at si mavis CANIMVSCA Hundsfliege. *Tryphiodoro.*

CASSANÆVS.

Bartolom. Caß Burgundus. Huius libro titulus putidus & inelegans, cuiusmodi etiam ipse liber, Catalogus gloriæ mundi. Optimè cum ipso actum fuisset si contentus suis in Burgundiæ consuetudinis commentariis (quæ erat propria ipsius arena) manum cæteris rebus non admouisset, nunc paginas aliorum impudenter suffurans, nunc cum aliquid ex sua moneta cudit, toto cœlo aberrans. Judicium *Tiraquelli de nobilit. c.* 31.

CASSIODORVS

Magnus Aurelius Caßiodorus primum Cancellarius Theodorici Regis Italiæ, & Senator Ravennas, ac Romanæ Vrbis consul ad postremum monachus. *Trithemius & Paulus Diaconus lib. XVIII.*

Inter viros suo tempore doctissimos citra controversiam principatum quendam tenuit. *Petrus Brosseus in vita Caßiodori à se editi.*

Doctus, & ut illa tempora ferebant, eloquens. *Dempster. in Rosin.*

Magna Aur. Cassiodori mens, quæ inter hanc Gothici seculi barbariem q. *sidus* quoddam eluxit, stylo veniam deprecatur & facile invenit. *Caußin. Plura Valla l. 4. Elegant. c.* 88.

CASSIVS

L. Caßÿ Pratoris Rom. tribunal ob nimiam severitatem SCOPVLVS REORVM dicebatur. *Valer. l. 3. c. 7.*

CATO.

Valerius Cato quo de versiculi:

Cato Grammaticus, Latina Siren
Qui solus legit, ac facit Poëtas.

Summus Grammaticus optimus Poëta, *Bibaculo, qui de eodem:*

En cor *Zenodoti, en* jecur *Cratetis. & de eius pauperie*
Quem tres cauliculi & selibra farris
Racemi duo tegula sub una
Ad summam prope nutriunt senectam. *Suet. de Ill. Gr. c. II.*

Catones i. Cati & sapientes ex cognomento dicti. *Volaterr. ex Plut. in Cat.*

CATO.

Dionysius CATO Poëta Gnomographus. Quisquis fuit ille qui disticha illa composuit, ita inscripsit illa, quia probitas Catonis, vel proverbio omnibus nota erat. Probos enim homines & moribus probatissimis, illis temporibus *Catones* vocatos nemo ignorat. *Ioseph. Scalig. lib. II. Auson. lect. c.* 32.

Nos temporibus Commodi aut Severi recentiorem non credimus &c. Ego mihi conscius sum, multos gravissimos & doctissimos viros non puduisse

jam

jam provectos ætate, hæc disticha memoriter discere. *Idem Notis in disticha Catonis.*

Si non dudum libellus iste ad pulverulenta magistrorum subsellia fuisset damnatus, inter posterioris ævi principes locum obtineret. Tersus est, latinus, acutus, eruditus, facilis, *C. Barth. lib. XXI. c. 21.*

Catonum alter appellatus est SAPIENS, alter nisi creditur fuisse, vix scio cui reliquerit huius nominis locum. *Quintil. lib. XII. c. 6. Vid. Ios. Scaliger.*

Cato ille *virtutum viva imago. Sen. Tranq. c. 15.*

Cato ob eloquentiam à Romanis DEMOSTHENES dictus. *Suid.*

Romanæ assertor facundiæ & veritatis sincerus interpres. *Egesip. l. V. Ex. c. 27.*

CATO.

M. Porcius CATO *Censorius*, ACCVSATOR assiduus malorum: ipse quadragies quater accusatus, gloriosè absolutus. *Aurelius c. 47.*

CATONES

Senior Censorinus & minor Vticensis propter summas virtutes tanquam à cœlo demissi judicabantur *juxta Proverb.* Tertius è cœlo cecidit Cato.

CATVLLVS

Vnus omnium & suauis maxime & Latinus Poëta est Catullus, DOCTI titulum ab coævis suis non alia caussâ retulit, quam quod Græcorum quæ inimitabilia putabantur, Latinis literis erudite expresserit. Neq; enim puto meliorem Græcarum Venerum interpretem ante Catullum fuisse quam illum ipsum. Qui metrorum genera, quæ illis solis grata videbantur incomparabili successu primus latinis transcripsit. Quod non ignoravit *Martialis* cum scripsit: *Verona docti syllabas amat Vatis.* Puritate verò sermonis vere latini, universo Latio nemo exstat his duobus comparabilis. *C. Barth. l. VIII. c. 22. & XXXVIII. c. 7.*

Tantum parva suo dedit Verona Catullo
Quantum magna suo Mantua Virgilio. Vulgat.

Doctus autem veteribus dicebatur, à natura ipsa numero vulgarium ingeniorum exemptus, & favente Venere, Jocoq; & Como, & quicquid talium numinum finxit antiquitas, ut sunt lepores, Gratiæ, Lubentia, Risus &c. ad conciliandos sibi hominum non nimis seriorum animos prognatus atq; eruditus. Verbo; homo nequitiarum consultus & urbanitatis, ut *Petronius loquitur*, vernulæ fons &c. *Idem lib. LII. c. 15.*

Epigrammatarius acutus, felix in eo genere princeps. *Dempster.*

Catullus elegantissimus Poëtarum. *Agell. l. VII. c. 20 f.*

Scaliger cur ipsi *docti* tributum nomen nondum vidit. *Lib. VII. Poët. c. 7.*

Rationem cognominis attulit *Floridus lib. 3. c. 9.*

CAVDEX

In gente Claudia fuit qui CAVDEX nuncuparetur, quod Romanos primus induxerit *navem* conscendere. *Rhodig. l. 24. c. 6.*

CEBES

Thebanus Philosophus, Socratis discipulus. Suid.

Cuius aureola illa tabula. *Barth. in Rutil. p.118.* Pinacem Cebetis vocat *Tertullian. de præscript. c.39.* Tabulam hanc penicillo latinitatis imbuit. *Idem C. Barth. in variis opusculis. p. 319.*

CEDRENVS.

Georgius CEDRENVS *monachus*, annales sive potius historiæ compendium scripsit, ab initio mundi, usq; ad Isaacium Comnenum; cuius & temporibus vixisse videtur. In centone, ac penè dixerim quisquiliis istis, aliquos purpuræ pannos reperire est ex Africano ab Eusebio, indeq; à compilatore hoc suo adsuta centoni. Nam ut Africanum Eusebius, Eusebium Georgius Syncellus; ita Syncellum itemq; Theophanem, qui Syncellum continuavit ad verbum exscripsit Cedrenus &c. Historia eius etiam legitur sub nomine Joannis Curopalatæ paucis exceptis &c. *Gerhard. Vossius de Histor. Græc. l.II. c.26.*

Eidem vix tressis scriptor.

Nullius admodum judicii scriptor; & veteris historiæ imperitissimus. *Casaub. ex. 2. c.17.*

Fabulatori quam historico similior. *Dempster.*

Anilium sæpe fabularum scriptor, & veri incuriosus vel ignarus. Cum judicio legatur tamen, dabit quod juvet. *Lips. cent 3. epist. miscel. 61.*

CETHEGVS.

Cornelius Cethegus primus eloquens inter Romanos, quem Ennius auditor eius SVADAM MEDVLLAM appellat, quam Græci πειθῶ vocant *Cic.* | *Gaza* vertit *γλυκύγηρυν Volater.*

CELSVS.

Aurelius Cornelius CELSUS scripsit non parum multa, Scepticos secutus non sine cultu ac nitore. *Quint. l. X. c. 1. p. 455.*

Medicinam eloquentissimè & peritissime tractavit octo libris. *Confer. Fab. l. XII. c. XI.*

Non ignobilis auctor latinitatis. *Heinric. Steph. de Latin. falso suspect.*

Proxime ad elegantiam *Ciceronis* accedit, quem propterea lego avide & jucundè *Bisciola. A. I. l.7. c.15.* Medicorum CICERO.

CENSORINVS

Vno pede claudicans vulnere, quod bello Persico Valeriani temporibus acceperat factus Imperator jam senex, scurrarum ioco CLAVDIVS appellatus est, *Pollio in XXX. Tyran. c. ult.*

Huius sepulcro inscriptum, felix ad omnia, infelicissimus Imperator.

In libro de die natali multa Philosophorum mysteria distincta curiositate descripsit *ab Heinrico Lindebrogio Hamburgi editus.*

Luculentus auctor & doctus. *Dempsterus.*

Nimia

Nimia in eo simplicitas elucet; qua qui peccant, innocentes quidem, sunt tamen simul ἀδέξιοι nec lumbos movent. *Barth. l. XIIX. c. 14. p.*

CHÆRILVS.

Samius Poëta, scripsit Atheniensium victoriam contra Xerxem singulorumq; versuum singulos *stateres aureos* accepit. *Suid. Volaterr.* Ergo dicendus meritò AVREVS POETA.

CHÆREPHON.

Tragœd. scriptor qui Heraclidarum res est persecutus, ob lucubrationes audivit NOCTVA, & ob corporis exinde attenuationem ioco locum dedit: Nihil figurâ à Chærephonte differs. *ap. Aristophan. in Nebulis & Eras. Adag. Brod. 2. epigram.*

NYCTERIDAI. *Vespertilionem* cognominatum putat *Rhodig.* quod nigricantis esset coloris, interfuso pallore, eundemq; dictum PYXINON. i BVXEVM. *l. 13. antiq. Lect. c. 1.*

CHALDÆORVM

Regio, altrix Philosophiæ veteris. Ammian. l. 23. c. 20.

CHILO.

Lacedæmonius patre Damageto fuit: primusq; omnium ephorus regi additus: βραχυλόγος: unde talis loquendi mos Chilonius. *Laërt. l. 1. p. 49.*

Vnus ex illo inclyto numero sapientium *Agell. l. 1. c. 3.*

Huic mortales oraculorum societatem dedere, *tria præcepta* eius Delphis consecrando aureis literis &c. eius *funus* tota Græcia prosecuta est. *Plin. l. VII. c. 32.*

CHRISTIANVS

Nomen à Christo de unctione deducitur. Perperam olim *Chrestianus* dictus.

Christiani sacerdotes sunt pacis, deprecatores DEI. dicti SARMENTARII & SEMISSII quod ad stipitem dimidii assis revincti, sarmentis additis concremarentur. *Tertullian.* itidem ASINARII. *Vide Rhodigin. lib. 30. c. 21.*

CHRISTVS

Salvator, omnium rerum Dominus & mundi huius opifex atq; gubernator, Magni Patris filius & Verbum & conciliator & Pontifex & throni consors. *Naz. p. 30.*

NAZARENVS. *Matth. 2. f. ext. Is. 11. 1. Zach. 6. 12. Adi Casaub. ex. 7. c. 2.*

Piorum omnium consensu REDEMPTOR MVNDI & SALVATOR dictus: cum servatorem vindicem, assertorem, elegantius dicere potuisset humana pietas. *Sabell. l. 6. c. 3.*

IESVS σοφὸς ἀνὴρ i. Sapiens Vir, si tamen virum eum fas est dicere. *Ios. l. 8. antiq. 4.*

παραδόξων ἔργων ποιητὴς i. mirabilium patrator operum. *ibid.*

Doctor eorum qui libenter vera susceperunt. *ibid.*

De voce Servatoris & Salvatoris vide *Abr. Scultet. l. I. exercitat. Evangel. c. 52.*

SEQVESTER, qui nos inter & Deum medius, pœnas nobis paratas excepit & scelera aliena expiavit. *Phebadius lib. de Trinit.*

φῶς τοῦ κόσμου i. Lumen mundi, *Ioan. 1. & 8.* Lumen de lumine. *Naz. or. 49.* de spuria & blasphema tam pii Soteris pictura. *Crinit. 1. c. 13. & Rhodiginus 1. c.*

CHRYSIPPVS

Apollonij F. Tharsensis, discipulus Cleanthis, in Philosophia non mediocris, vir ingeniosus ac acutissimus in omni genere orationis: adeo autem in Dialectica insignis, ut plerique dicerent, si apud Deos usus esset Dialecticæ, non aliam futuram quam Chrysippeam. Κρύψιππος à Carneade vocatus ob tenue corpusculum, cuius imago, quæ in Ceramico erat, fermè à vicino equite occulebatur. *Laërt. l. VII. p. 550.*

Φρονηματίας apud eundem dictus, quod suos instituit, quo pacto aliis illuderent & præceptis suis opinionibus acquiescerent *Iun. ad Tertull. de testim. anim. p. 55.*

Heinsio in dedicat. Horat. dicitur RETIARIVS Chrysippus.

Epicuri æmulus fuit in scriptorum multitudine, quapropter eum Carneades eius librorum PARASITVM nominavit. *Illustr. in Epicuro ex Laërt.*

Imo descriptor Epicuri quoad verba & numeros. *Volaterran.*

A Zenone CHESIPPVS contemptim vocatus.

Cicer. l. de N. D. c. 33. à χέζειν, quod est stilo sacro, pedes legere.

CHRYSOLOGVS.

Petrus Archiepiscopus Ravennas, vir eruditus atq; sanctissimus ex aurea ingeni atq; eloquentiæ ubertate *Chrysologi* cognomen consecutus: adeo verè ut si cum hoc quosdam neotericos ἐμιλιαχράφους aut commentatores conferas, Pygmæum Atlanti comparare videaris. *Auctor vitæ sub princ. operis.*

CHRYSOSTOMVS.

Ioannes cognomento Chrys. Antiochenus. Lingua eius Nili Catarractis uberior. Nemo certè ab omni ævo tanta dicendi copia affluxit, quanta solus ille abundavit, & solus absq; fuco aureum illud & divinum nomen est consecutus. Numerum autem scriptorum eius recensere non est hominis, sed Dei potius omnia scientis. *Suidas.*

Joannes prorsus illud spiritus AVREVM OS *Leo. Imp. Constit. 88. gr.* τὸ πάγχρυσον στόμα.

χρυσορρήμων χρυσόστομος *Richardo Montagn. in præfat. invect. eius* Libanius Syrus Sophista cum moriturus esset, rogantibus amicis, quemnam sibi velit successorem: Joannem dixisse fertur, nisi hunc sacrilegio Christiani surripuissent. *Sozom. lib. VIII. c. 2. fusè.*

ὁ μέγας χρυσόστομος. *Synodic. c. 79.*

O egre-

O egregium post mortem ducem! ô tristem etiam hostibus post sepulturam militem! ô lyram omni harmonia præditam, morte jam solutam! ô theatrum tanto tibicine orbatum! ô salutarem hominum lagenam in cœlum raptã! ô arborem in cœlum jam & terram extensam, & huic quidem corpus illi verò animam tradentem. *Theodoretus ap. Photium in Bibliotheca p. 1515. de Chrysost. Confer I. Lipsium cent. III. ad Belg. ep. 49. Caussin. in idea eloquent. sacra.*

Theatrum quoddam divinæ eloquentiæ, in quo DEVS abunde videri voluit quid posset vitæ sanctitas cum vi dicendi conjuncta. *Caussin. l. III. c. 14.*

CICERO.

M. T. Cicero, cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoq; optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit, immortalis ingenii beatissimâ ubertate. Non enim pluvias *ut ait Pindarus*, aquas colligit, sed vivo gurgite exundat: dono quôdam providentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentiæ experiretur, &c. Quare non immeritò ab hominibus ætatis suæ *regnare in iudiciis* dictus est, apud posteros vero id consecutus, ut Cicero jam nón hominis sed *eloquentiæ nomen* habeatur. Hunc igitur spectemus, hoc positum sit nobis exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valdè placebit. *Quintil. l. X. c. 1. p. 453.*

Velleius Paterculus ad Antonium: Rapuisti tu Marco Ciceroni lucem sollicitam & ætatem senilem, & vitam miseriorem te principe, quam sub te Triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit, vivetq; per omnium seculorum memoriam. Dumq; hoc vel forte vel providentia, vel utcunque constitutum rerum naturæ corpus, quod illè pene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume; comitem ævi sui laudem trahet; omnisq; posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur; citiusq; in mundo genus hominum, quam huius nomen cadet. *lib. II. c. 66.*

Ille altus, ille excitatus, ille alacer, plenus spirituum & sanguinis. *Lipsius. Cent. III. miscell. epist. ult.*

Illi vero in facundia simile non natum, non nascetur: post quem ut ille vere canit

Conticuit Latiæ tristis facundia linguæ.

Idem Cent. ad Ital. & Hisp. ep. 14. f. lemma *est Cornelii apud Senec. vid. Lips. cent. II. ad Belg. ep. 48. f.*

Omnia incrementa sua sibi debuit, vir *novitatis nobilissimæ*, & ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui effecit ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur. *Vell Pat. lib. II. c. 34.*

Milon Græcus Rhetor & disertissimus Ciceronis, cum Rhodi viveret, magister fuisse dicitur, quod per hunc Græcia eloquentiæ laude privaretur. *Aurelius Victor. c. LXXXI. de viris illustr.*

Tullius in foro, senatu, rostrisq; grandiloquæ facultatis majestate tonuit. *Martianus Capella. lib. V. p. 139.*

Apud Ciceronem omnia desinunt, apud Pollionem cadunt. *v. Senec. de Compos. Cic. ep. C. & CXIV.*

Quicquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. *Sen. Rhet. præf. Controv.*

Illud ingenium solum populus Romanus par imperio suo habuit. *ibid.*

Tulliana opulentia. *Symmacho l. I. ep. 26.*

Ecce enim in Cicerone vestro unus eloquentiæ tenor est, ille abundans, & torrens & copiosus. *Macrob. L. V. c. 1.*

Arpinas dat *Consu* lopem, *ibid.*

Ciceronum gentis auctor in extremo nasi cœcam incisuram in modum *ciceris* habuit, unde cognomen. *Plut.*

Cum cognomen eius exagitaretur dicteriis, amicique hortarentur ut id mutaret, dixit, se Ciceronis nomen effectum Catonum, Catulorum, Scaurorumq; nomine illustrius. *Plut apoph.*

Scriptor ut incomparabilis, ita ferè omnibus antiquis, quos à brevitate laudat, ipse admodum dissimilis. *Heins. cuius judicium lege præf. orat.*

Romani maximus autor eloquii. *Weitz. ad Hym. II. Prudentii:* Cui Prudentio Tullius Romani decus eloquii. *lib. I. in Symm. v. 634. vid. inf. Symma. h.*

Hieronymi studium Ciceron. *Vid. ap. Bodin. methodo Hist. p. 86.*

Aristarchus ipsius inter veteres Didymus Alexandrinus, de *quo suo loco.*

Erubescamus per Musas omnes parenti & eloquentiæ Romæ & Philosophiæ Latinæ lapsum ullum qualemcunq; opprobare, cum *doctiora sint illius errata*, quam nostra omnia benedicta. *Ludovicus Vives ad c. XI. lib. XXII. August. de C. D. vid.* Scaliger.

Salve primus omnium *parens patriæ* appellate, primus in toga triumphum, linguæq; lauream merite, & facundiæ latiarumq; literarum parens: atque (ut dictator Cæsar, hostis quondam tuus, de te scripsit) omnium triumphorum lauream adepte maiorem, quanto plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam Imperii. *Plin. l. VII. c. 30. fin.*

Sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Aristoteles, ut Æschines blanditur, ut Demosthenes irascitur, vernat ut Hortensius, æstuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, simulat ut Crassus, dissimulat ut Cæsar, suadet ut Cato, dissuadet ut Appius, persuadet ut Tullius. *Hic persuadere Ciceroni tribuit. Sidon. ep. 3. lib. IV.*

Ciceronis linguam ferè omnes mirantur: pectus non ita. *August. lib. III. Confess.*

Ciceronem *exanguem & elixum* appellavit Asinius Pollio nasutiore iudicio. *apud Fabium & Volaterr. in* Asinius.

Tullius non minus professus est philosophandi studium, quam loquendi. Convitiis impenetrabilis. *Macrob. 1 Saturnal. c.24.*

Cestius erat ex eorum numero qui contemnebant Ciceronis ingenium. Hic cum forte accumberet in eodem convivio cum M. Tullii Cic. filio, qui tum Asiam obtinebat & submonente quopiam è famulis, cognitum esse eum esse Cestium, cuius judicio nihil sciret M. Tullius; illico sublatus è convivio, jussus est flagris cædi. Hinc Sen. in declam. jocatur: *Ciceronem patri de Cestii corio satisfecisse.*

CINESIAS

Evagoræ F. Poëta dithyrambicus usq; adeo imbecillo & macro corpusculo ut tiliacus asseribus circumquaq; se cingeret, unde TILIACEI cognomentum illi apud Aristophanem: & in illum Plato. Comici quadrat: καλάμινα σκέλη φορῶν φθοῆς ϖροφήτης i. arundinea habens cruscula, TABIS PROPHETA. *Vid. Archestratus.*

Poëta procero quidem sed tam gracili corpore, ut *corticibus* arborum se circumcingeret ne inflecteretur, ea propter *Aristophani* dictus φιλύρινος. *Erasmus.*

CLAVDIANVS.

Claudius Claudian. Ægyptius. Poëtæ PRÆGLORIOSISSIMI titulo & statua à D D. Imperatoribus felicissimis & doctissimis Arcadio & Honorio mactatus, hac cum inscriptione:

Ἐιν ἑνὶ Βιργιλίοιο νόον καὶ μοῦσαν Ὁμήρου
Κλαυδιανὸν Ῥώμη καὶ βασιλεῖς ἔθεσαν.
Virgilii mentem, Musam, uno in pectore, Homeri
Hic statuunt Reges Romaq; Claudianum.

Cognoscite quanto in pretio fuerit *Claudianus*, cum in eo uno & Virgilii mentem & Homeri Musam fuisse testentur doctissimi Imperatores. *Sic Lilius Gyraldus Dialog. IV. de Poëtis.*

Non minore gloria & honore dignus, qui eum Poëtam suam vendicat, immo rei literariæ publicæ vindicat, & Animadversionibus præglorioissimis illustrat, *nunquam sat laudatus Barthius.*

Præcentor & Choragus poëtarum panegyricorum. *Idem l. LI. Adversf. c.12.*

Obeuntis iam eloquentiæ Romanæ posttemus fulgor. *Idem animadvers. Claud. de bello Get. p.369.* ubi multus in eo commendando.

Poëtarum *præglorioissimus*, omnibus Latinis rerum ubertate prior, soli Homero inventionis gloria inter Græcos cessurus. *Dempsterus in Rufin.*

CLAVDIVS

Imperator de supplendo senatu egit, unde PATER SENATVS d. cum alii Cæsares PATRES PATRIÆ dicerentur. *Cuspinian.*

CLEARCHVS

Heracleæ Tyrannus, sceptrum gestans, ex filiis unum nominavit FVLMEN *Plut. de Fortun. Alex. or. 2.*

CLEANTHES.

Cratetis discipulus, ita ad labores impiger (φιλόπονος) ut HERCVLES ALTER nominaretur. Nam cum deesset illi unde victum quæreret, nocturno tempore hauriebat è puteo aquam mercede, interdiu disciplinis gravioribus vacabat: unde pro Cleanthe Φρεαντλὴς PHREANTLES ceu *puteorum exantlator*, cognominatus est. *Illustrius, Laërtius, Suidas.*

Cleanthes q. majorum est gentium Stoicus, Zenonis auditor. *Cic. I V. Acad. qq. c.* 41.

CLEMENS

Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Pantani auditor. Post eius mortem Alexandriæ ecclesiasticam scholam tenuit & κατηχήσεως magister fuit. Feruntur ejus insignia volumina, plenaq; eruditionis & eloquentiæ, tam de scripturis divinis, quam de secularis literaturæ instrumento. *Hieron in Eccles. script.*

Penu eruditionis & scientiæ. *Heins. in edit.* additq;: *Arnobium*, quantus est formavit *Clemens.*

Plutarchus Christianus. Caussino.

Disertus & gravis auctor. *Dempstero.*

De libris Stromatum ipse: Mitti, inquit, ad senectutem reconduntur monimenta *oblivionis medicamentum.* &c. Continebunt hi libri qui dicuntur ςρωματεῖς i. e. stragulæ variæ contextæ, admixtam veritatem Philosophiæ decretis, vel potius coopertam & abscon sam, sicut testa operitur id quod esculentum est in nuce *sub. init. lib.* 1.

Eius λόγοι πλείσης χρησομαθείας ἔμπλεοι i. libri maxima optimarum disciplinarum materia referti. *Euseb. VI. hist. eccl. c XI.*

CLEOMENES

Propter insignem beneficentiam BENEFACTOR est appellatus. *Alex. l.* 2. *c.* 11. *Vid. Ptolem.*

CLEON

Cui nomen BOVIS inditum cum voce sed non lyra caneret: Stratonicus dixit in eum: Olim asinus ad lyram, nunc BOS ad lyram.

Κυνοκέφαλον i. Canicipitem se ipse appellat, perfrictæ frontis sibi conscius *ap. Aristoph. in Equit.*

COLVMELLA.

Iunius Moderatus Columella, magnus, utilis, eruditus, eloquens auctor *Dempstero.*

Placidissimi & amœnissimi versûs apud Columellam, unum ex optimis Poëtis. *Idem. lib. XX. c.* 19.

Principibus Latinæ linguæ scriptoribus merito accensetur Columella, sermonis suauitate, politia & vi quoque & eruditione. *C. Barth. l. XXXVII. c.* 7.

COLVMBVS.

Peru peninsulæ inventor: rectius dicitur *Christoph. Colonus. Tilem. discurs. Phil. p.* 307.

Hic est ille *Christoph. Columb.* stupendi alterius & nullis ante seculis cogniti terrarum orbis repertor: quem profecto benignâ salutarium siderum conspiratione natum fuisse existimare fas est; ut incomparabilis Liguribus honor, eximium Italiæ decus, & præfulgidum jubar seculo nostro nasceretur, quod priscorum Heroum, Herculis & Liberi Patris famam obscuraret. *Iovius in elog. bel. l. IV. p.* 123.

Nobilitatus eo facto annus CIƆ CDXCII. *Thuan. I. Histor. p.* 3.

COLVTHVS.

Lycopolites Thebanus, ἐποποιὸς seu *versificator*, qui fuit temporibus Anastasii Imperatoris. *Suid.*

Notas in eum dedit CL. Dausqueius additas Q. Calabro.

COMINÆVS

Philippus Cominæus scripsit ante annos paulo minus centum, ita laudabiliter ut nihil verear componere eum cum quovis antiquorum &c. Hoc quoq; laudem eius auget, quod tanta præstitit solo rerum usu peritus & naturali quadam judicii bonitate &c. Princeps noster hunc legito, & Enchiridium Cominæus illi esto. Dignus Alexandris omnibus hic *Philippus. I. Lipsius notis ad I. Polit. c.* 9.

Carolus V. lectione historiæ Ludovici XI. à Philippo Cominæo *prudentissimo equite* scriptæ delectatus fuisse perhibetur: in qua ut multæ prudentiæ præcepta tradi inficias non ierim, ita plura minus ingenii atque adeo parum regii animi exempla reperiri minimè negari potest. *Thuan. l. XXI. p.* 402.

COMMODVS

Hostis Deorum atq; hominum appellatus, cuius radendum nomen sanxit Senatus. *Aurel. in Cæs. c.* 17.

Vetusta illa prodigia Nerones & Heliogabalos & Commodos seu potius semper INCOMMODOS. *Vopisc. in Tacit. c.* 6.

Ipse autem COMMODVS se in titulo fastu turgido HERCVLEM vocabat. *Dion & Calvis. ubi titul. p. A. C.* 180.

CONSTANTINA

Galli Imperatoris uxor, MEGÆRA quædam mortalis, inflammatrix sævientis Cæsaris adsidua. *Ammian l.* 14. *c.* 1.

CONSTANTINVS MAGNVS.

Ὁ ἐν χειστιανοῖς βασιλεῦσιν ἀπόστολ☉. i. e. Inter Christianos imperatores APOSTOLVS. *Synodicon Græcum. c.* 34. φιλόχειστ☉ βασιλεὺς *c.* 35. 36.

Hic Constantinus primus Imperatorum Christo verè agglutinatus: & post: Hic factus velut ARGENTEA quædam TVBA (ἀργυροσάλπιγξ) quæ clarè ab extremis terræ partibus ad alias extremitates sonuit, ac fidem in Creatorem suo clangore cunctis in locis propugnavit. *Manasses Annal. c. XCI.*

Magnus immo MAXIMVS, *apud Nazarium*, Restitutor generis humani: Propagator imperii, ditionisq; Rom. Fundator æternæ securitatis atq; conservatos. *Cuspinian.*

Irrisor potius quam blandus, unde proverbio vulgari TRACHALA dictus, decem annis præstantissimus duodecim sequentibus LATRO, decem novissimis PVPILLVS ob profusiones immodicas nominatus. *Aurel. ep. c. 41. Diacon. l. X. misc. hist. c. 16.*

CONSTANTINVS.

Imperator Porphyrogenitus populorum omnium, quibus aliquid cum imperio suo commercii intercedebat, origines, rationes vivendi, belli pacisque instituta, partim usu, partim libris legendis cum accuratissimè didicisset, de eo argumento commentarium sanè quam doctum & utilem confecit, & filio suo Romano hoc paterni affectus monumentum excellentissimum reliquit.

Thesaurum appellant viri docti: *Meursius vulgavit Lugdun Batav.*

CONSTANTINVS

Imp. Heraclii F. POGONATVS dictus, quod Constantinopoli imberbis abiisset & paulo post barbatus rediisset. *Zonaras. Calvis.*

Impium fuisse testatur *Synodicon. c. 132.*

CONSTANTINVS

Imperatoris Leonis & Irenes F. dictus COPRONYMVS ob alvum sub Baptismo solutam: itidem CABALLINVS quod male olentibus stercoribus & caballino quidem potissimum delectaretur. *Miscell. 22.*

Vltimus Græcorum imperator Rex Peloponnesi, ante susceptum imperium sæpius cum Turcis cum ipsorum detrimento congressus, ob militarem virtutem nomen DRAGONIS accepit. *Cuspinian.*

CONNVS.

Γεροντοδιδάσκαλος i. SENVM *Magister. ap. Platon. Euthydemo.*

CONSTANTINOPOLIS.

Nova seu altera ROMA. *Suidas.*

Initiò Româ omnium consensu superior. *Sozom. l. II. c. 2.*

Orbis oculus orientalis atq; occiduæ oræ velut nodus & vinculum, Commune fidei EMPORIVM. *Naz. or. 32.*

Roma magna *Manassi. cap. 92.*

Roma imperatrix. *Ibid.*

Romæ formidanda *v. Scaliger. in urbib.*

Roma orientis. *Sidon. car. II.*

Roma

Roma carens rugis, nunquam ſeneſcens, ſed perpetuo juveneſcens, ſeq; renovans.

Roma illa deniq; de qua gratiarum rivi profluunt: quam terra continens amplectitur, & mare viciſſim excipit, quam iucunde ornant Europæ manus, & ab altera parte os Aſiæ deoſculatur. *Ibid. Confer Voſſ. II. de Hiſt. Gr. c. 25.*

Imperii etiam nunc Turcici caput, nomine Stambol. *Cluverius l. IV. c.* 14. V. BYZANTIVM.

CONSTANTIVS

Conſtantini M. Filius, ἐυελπίφρων I. EVRIPI inſtar mutabilis dicitur *in Synodico Cyraco. c.* 44.

Reliquit Conſtantinus M. tres filios, Conſtantinum, Conſtantem & Conſtantium. *Vid. ib. & Aurel. Victor. in ep. c.* 41.

CONSTANTINVS.

Imper. Pater Conſtantini M. princeps moderatiſſimus CHLORVS ob pallorem dictus. *Stephan. ubi ordine de Conſtantinis.*

CORINTHVS

Caput totius Achaiæ provinciæ. *Apul. X. Metam. p.* 393.

Totius Græciæ princeps urbs. *Suidas.*

ΔΙΟΣ ΚΟΡΙΝΘΟΣ I. *Iovis Corinthus* à robore & nobilitate dicta. *Vid. Eraſm. p.* 198.

Aſopia & Ephyræa à conditoribus dicta. *ap. Pauſan. in princ. Corinth.*

Corinthus oræ maritimæ *oculus. Cic. III. N. D. c. 38 f.*

Totius Græciæ lumen. *Id. Orat. pro L. Manilia c. V.*

Corinthii χοινικομέτραι ab *Apoll. Pythio* dicti, quod ſervos poſſiderent 46000, quibus chœnice demenſum diſtribuendum erat.

CORNELIVS

Princeps eius gentis ASINA dictus, quod hanc pecunia onuſtam produxit in forum emto fundo, aut filia data marito. *Macrob. I. Sat.*

CORNELIVS.

Fidus Cornelius gener Naſonis in ſenatum flens venit, cum illum Corbula STRVTHIOCAMELVM DEPILATVM dixiſſet. *Sen. in Sap. non cad.*

M. CRASSVS

ἀγέλαστος dictus, quem ſemel in vita riſiſſe Lucilius teſtatur *Cic. V. fin. c.* 30. cum aſinum vidiſſet carduos comedentem, quo de adagium, *ſimilem habent labra lactucam. Macrob. 2. Saturn.*

L. CRASSVS.

L. Craſſus. Eloquentium iuriſperitiſſimus, & SCÆVOLA iuriſperitorum eloquentiſſimus habebatur. *Cic. in Orat. & Volaterr.*

CRATES

Thebanus θυρεπανοίκτης APERTOR FORIVM dicebatur, quod in omnem domum ingrederetur & corriperet. *Laërt.l. VI.p.420. & Suid.*

Vt LAR familiaris, Athenis cultus, litium omnium & jurgiorum inter propinquos disceptator & arbiter. *Apul.IV. Florid.p.598.*

Vxore ductâ Hipparchia Maronitide, nuptias suas κυνογαμίαν i. e. *caninum matrimonium* appellavit. *Suid.*

Meminit eius *D. Georgius Nazianz. in laudem Basilii Magni*: Hac, inquit, mente præditus erat Basilius, atq; ita comparatus; ara quidem opus non habuit, nec inani gloria, nec publico illo præconio CRATES CRATETEM THEBANVM LIBERTATE donat. Non enim optimus videri sed esse studebat. *Orat. XX. p. 134. v. Apul.l.II.Florid.p.573.*

Petrus CRINITVS

Florentinus, jucundo eruditoq; ingenio iuvenis, cum à crispa patris coma Etrusco nomine RICCIVS vocaretur, idq; nomen fastidiret, *crinitus* appellari maluit. Is non iniquo iudicio habitus est inter Politiani discipulos disertissimus. *Iovius in elog p.69.*

Judicium super libros eius de honesta disciplina vide sis *apud Gifan. Apolog. pro Poëtis Latinis p.* 481. Cui *Crinitus* IOPAS festivè audit: *& Scaligerum Fil. in Manilio.* ubi homo nugator & qui confugiat ad nugas sæpe suas tanquam claudus ad equum.

Omnis Criniti oratio, non ut aures, ita animum implet: prope enim dixerim nugæ canoræ. *Gyrald. dial.1.de Poët. sui temp.p.390.*

Crinitus titulo specioso quem sumpsit non satisfaciens. *Dempster. in Rosin.*

Emericus CRVCEVS

Exquisitissimus Criticus. *Pareo.*

Criticus diligens. *Dempstero.*

CRITOLAVS

Atheniensis Philosophus Peripateticus, qui libram habebat, in quâ bona corporis & animi appendebat, animique in lance pondere usque ad inferos inclinabant. *Cic.Tusc. Volat.*

CTESIAS

Cnidius ferè in omnibus repugnantia Herodoto narrat, illum in multis & mendacem & scriptorem fabularum appellans: illo enim posterior est. Se autem eorum quæ narrat, magna ex parte *oculatum* testem fuisse, aut certe quæ videre non licuit, de iis à Persis, qui viderant, edoctum, ita demum ea memoriæ prodidisse dicit, *Photius in Bibliotheca.*

Vanitatis eum arguit *Plutarchus in Artaxerxe.*

Iosepho Scaligero, ineptus Græculus, qui modò Herodoto adversetur, nihil pensi habeat: multa ab eo human.tus, multa etiam consultò per ζηλοτυπίαν

peccari,

peccati, *in Notis Fragm. subiunctis de emendat. temp. p. 39 v. Gerhard. Voss. l. I. c. 5. de Hist. Gr.*

Iacobus CVIACIVS

Scholæ Bituricensis *anima. Lips. cent. II. misc. 61.*
Magnus Ictorum *Plato. C. Barth. l. I. Ablegm. Critic. c. 4.*
Juris & antiquitatum linguæq; Græcæ solertissimus. *Idem l. XL. c. 9. Adv.*
Optimus atq; acerrimus rerum æstimator ac censor. *Rittershus. in Salvian.*
Cui principatum juris omnes deferebant. *Heins. orat. I. p. 5.*
Princeps sui seculi eruditorum. *Dempstero.*

CVROPALATES.

Georgius Codinus Curopalates sapientissimus. Curopalates sive Curopallates est officii Palatini nomen, unde haud scio an nomen proprium, quamvis pereunte officio in huius familia permanserit. *Nadab. Agmonius Notis in lib. de official. Palatii Constant p. 244. Voss. l. III. hist. Gr. p. 286.*

Officiorum lapsi imperii scriptor exactissimus. *Dempstero.*

Q. CVRTIVS.

Probus legitimusq; historicus si quisquam fuit, &c. Proprius principum & assiduè iis in manu sinuq; habendus. *Lipsius in Notis ad I. Polit. c. 9. quem consule.*

Peculiare eius fatum, quod reliquorum scriptorum nemo certam & indubitatam illius faciat mentionem, &c. Dignus mehercule scriptor, qui ab omnibus prædicaretur quem penitius & totum nosceremus. *Valent. Acidal. Animadv. in IV. Curt. præf.*

Alexandreæ historiæ luculentissimus scriptor. *Eid. præfat. in lib. VIII.*

Regiæ profecto magnificentiæ par, ab Alexandro non degenerans, *apud Iacob. Pontan. Atticor. Bellarior. Syntag. 5.*

Sub Claudio principe Asiæ præpositus, venustus, suavis, disertus. *Dempster.*

Floriditas Curtiana quatenus laudanda, *dicit. C. Barth. l XXVII. c. 15.*

Alphonsus Arragoniæ Rex, cum gravissimo laboraret morbo, multaq; in cassum medici adhiberent, *Curtii* de Alexandro historiam legere cœpit, eaq; tantopere delectatus fuit, ut valetudini restitutus dixisse dicatur: Valeant Avicenna, Hippocrates, medici cæteri: vivat Curtius *sospitator* meus. *Anton. Panormit. de rebus gestis Alphonsi.*

CYDONIVS.

Demetrius Cydonius Philosopho Christiano dignam diatriben περὶ τοῦ καταφρονεῖν τὸν θάνατον, i. e. de contemnendâ morte scripsit, *quæ ex Fuggeri Bibliotheca prodiit Basileæ per Raphaëlem Seilerum.*

CYPRIANVS

Episcopus, Martyr, CÆCILIANI prænomen sumpsit à Cæcilio presbytero Carthaginiensi à quo ad fidem conversus erat. *Hieron in catal. vid. Nazianz. or. 18.*

Vnus præcipuus & clarus extitit, qui & magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsivit, & admodum multa conscripsit in suo, h. e. *sacro*

genere

genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuavi, & (quæ ſermonis maxima eſt virtus) aperto, ut diſcernere nequeas, utrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit. *Lactant. de juſtit. l.V. c.1. a.f.*

Becmanno in manuduct. c.2. f. CICERO CHRISTIANVS.

A docto quodam huius ſeculi immutata una litera COPRIANVS vocatus, quaſi quod elegans ingenium & melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contuliſſet. *Lactant. ib.*

Inſignis autor, interdum floridus. *Dempſterus in Roſin.*

CYPRIÆ.

Adſentatriculæ, SCALVLÆ appellatæ, quod regum coniugibus inclinantes ſe ſubmitterent ad currûs conſcendendum in Syria. *Plut. adulatorib.*

CYRILLVS.

μέγας ὁ τῶν ἀποστόλων συνήγορος, Apoſtolorum *adſtipulator Magnus Synod. c.81.82.*

D.

Nicolaus DAMASCENVS.

Familiaris Herodis Judæorum Regis & Auguſti Cæſaris, Philoſophus Peripateticus aut Platonicus. Scripſit hiſtoriam univerſalem libris 80. & vitæ Cæſaris inſtitutionem. Tanti autem eum faciebat Cæſar, ut placentas mellitas ſibi miſſas, *Nicolaos* vocaret: idq; in hunc uſq; diem permanet, &c. *Suidas ſub. N.*

Id quod de palmulis è Syria à Nicolao ad Auguſtum miſſitatis intelligi quoq; poterat, quas Imper. *Nicolaos* nominavit. *Confer. Hadr. Iun. Caſtig. in Heſych. p.75. & tit.* ART. LIBERALIS n.71.

Ioannes DAMASCENVS.

Cognomento MANSVR vir doctiſſimus, ætatis ſuæ nulli eorum, qui doctrina illuſtres fuerunt, ſecundus. *Suidas ſub. I.*

DAMASCVS.

Totius Orientis *oculus. Iuliano.*

DANDVLVS

Andreas Dandul. Venet. Dux, ab eloquentia & comitate vulgo COMESINVS nominatus eſt *Egnat. l.8. c.10.*

DANDALVS.

Franciſcus Dandal. Venetorum dux, CANIS cognominatus, quod catena collo innexa quadrupes Pontificem Clement. acceſſit, iratumq; ex Feraria erepta placavit. *Egnat. l.3. c.3.*

DARES

Phrygius, Sacerdos Troianus ab Homero celebratur, Iliad. E. Eius Phrygiam Iliadem ſua etiamnum ætate extitiſſe, *ait Ælianus l.XI. Var. c.2.*

Ludovicus

Ludovicus Vives Dareten & Dictyn istum, qui hodie exstant, esse figmenta eorum ait, qui bello famosissimo voluerunt ludere. *Voss.l.IV.Hist.Gr.p.*342.

Daretis nomine bellum Troicum decantavit *Iosephus Devonius*, *Iscanus Anglus* splendidissimo ingenio Poëta, cuius scripta ita probantur, ut ad veterum scriptorum laudem pervenerint.

Janus Rutgersius claruisse scribit Anno 1210. Cambdenus 1224. *Confer Barth.l. XXII. adv.c.11. & animad. in Claud.p.*200, & qui novissimè edidit *Sam. Dresemium.*

DARIVS

Xerxis pater, sextus Ægyptiorum Legislator, cum viveret Devs appellatus est mortuus regiis tantum honoribus cultus. *Diodor.l.*1.*c.*8.

DAVSQVEIVS.

Claudius Dausqueius, natione Belga, Theologus rarâ Græcarum literarum peritia. Qui quicquid in annalibus fidele, quicquid apud Grammaticos eruditum, quicquid Poëtis varium, unus hausit, Justvs hæres vetervm literarvm, *Clarus Bonarscius l.II. Amphit.c.*13.

Piè doctus, & doctè pius. Pareo.

DEMADES

Ex nauta & naupego & portitore factus est Orator Atheniensis & Demagogus ut homo callidus & fortunatus. *Suidas.*

Theophrastus interrogatus qui sibi videretur Demosthenes Orator, respondit, dignus hâc urbe. Qualis Demades? supra urbem. *Plutarch. in Demost. p.*850.

Hinc Demades derogator Demosthenis. *Sidon.ep.*1. *l.VIII.*

Excusans ipse actionum suarum varietatem dixit, sibi ipsum contraria sæpe, Reipub. nunquam dixisse. *Ib.*

Oratio eius de duodecennali subiuncta est Lycurgi, Herodis, &c. Oratoribus *Politicis à Grutero editis.*

DEMARATVS

Aristonis R. Laced. filius, sic vocatus q. Popvlo petitvs, quod ante eum natum omnis populus vota fecit, ut Aristoni omnium ante id tempus Regum præstantissimo, filius gigneretur. *Herodot.l.*6.*c.*63.*quem vide.*

DEMETRIVS

Grammaticus Adramytenus, cognomento dictus est Ixion, quod Euripidis tragœdiam quæ inscribitur Ixion clam subegisset & sibi adscripsisset. Alii quod in Alexandria Junonis statuæ argentea quædam ornamenta detraxisset, sive quod Ixionis exemplo parum gratus fuerit in Aristarchum præceptorem. *Brassicanus in Adag.p.*355.

DEMETRIVS

Phalereus, Philosophus peripateticus adeo venustus, ut per calumniam in

delitiis habitus & à quibusdam à Splendore LAMPETO & CHARITOBLEPHAROS propter elegantiam ciliorum diceretur. Ad magnam gloriam & potentiam evectus, & per invidiam dejectus & pulsus Athenis, in Ægyptum venit, & apud Soterem Ptolemæum degens ex morsu aspidis periit. *Suidas. v. Illustrium, Hesych.*

Omnium à Demosthene, Ciceronis sententia, politissimus, *l. II. de Orat. c. 23. & in Bruto*: Phalereus successit eis senibus adolescens, eruditissimus, ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus quam palæstra. *c. 9.*

Diversum ab hoc esse *Demetrium Rhetorem*, cuius sub nomine Phalerei, scriptum vetustum περὶ ἑρμηνείας & de elocutione habetur *probat Vossius IV. Instit. Or. c. 2.*

Nulli plures statuæ dicatæ quam Demetrio Phalereo Athenis nempe CCCXL. *Plin. lib. XXXIV. c. 6. Strabo lib. IX.*

DEMETRIVS

Poliorcetes liberatum Athenas ex Cassandri manu appellens, Σωτὴρ καὶ εὐεργέτης SERVATOR & BENEFACTOR dictus est *ap. Plutarch. in Demet. p. 892.*

Gaudebat dissimillimum superiorum Regis inscribi sibi cognomen. Hic enim πολιεὺς & πολιοῦχος, id est, *Urbium tutor & præses*: ille πολιορκητὴς i. e. expugnator urbium dictus est. *ibid. p. 999. E. Hinc Plinio*, EXPVGNATOR *l. VII. c. 38.* à machina bellica quam secum ferret. *Volaterr.*

DEMOCHARES.

Ob linguam procacem appellatus est παῤῥησιαστὴς. *Alex l. 2 c. 11.* & THERSITES. *Rhod. l. 21. c. 28.*

DEMOCRITVS

Abderites, cognomen habuit Sapientiæ & RISORVS Gr. Σοφία καὶ γελάσινος dictus, quod inania hominum studia rideret. *Suidas Confer V. Anthol. epigr. 26.*

Abderitæ Democritū nominabant PHILOSOPHIAM *inquit Ælian. l IV. c. 20.*

Πένταθλος etiam, seu Quinquercio dictus est. Callebat enim Physica, Ethica, Mathematica, liberales disciplinas, artium q; omnium peritus erat. *Idem sub π It.* παντοδαής i. e. omniscius. *Idem.*

Vir præter alios venerandus autoritateq; antiqua præditus. *Agell. l. 10. c. 17.*

Ante alios virtutis & philosophia gratia venerandus. *l. 5. c. 3.*

Epicuro Δημόκριτος Ληρόκριτος velut NVGARVM CENSOR, *ap. Laërt. l. X. p. 711.* Illustrius in Epic. LEMOCRITVS mavult legi *Hadrian. Iun.* ut composita sit vox à λήμη quæ gramiam oculorum, lippitudinis parentem sonat: cum lemæ Philosophis à Comicis obiectari solitæ, tum ob lippos oculos è studio natos, tum ob cæcutientiam in rebus. *Notis ad Hesych. p. 71. quo vide.*

Excœcavit semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non

posset

poſſet & doleret ſi non eſſet potitus. *Tertull. apol. adv gent. c. 46. Agell. l. 10. c. 17.* quia exiſtimaret cogitationes commentationesq; animi ſui in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores fore, ſi à videndi illecebris & oculorum impedimentis liberaſſet.

ABDEROLOGVS id eſt, *Stultiloquus*, eſt iſte homo Abderis natus. Sic de *Democrito, Tatianus Aſſyrius Adag. p. 279.* Et eius popularibus. *Martialis l. 10. epigr.*

Abderitanæ pectora plebis habes.

DEMOSTHENES.

Athenienſis, F. Demoſthenis Pœanienſis, gladiorum fabri: fuit (Hermippo autore) diligentior quam ingenioſior, & ad voluptatem propenſior. Vnde factum ut adoleſcens BATTALVS vocaretur, vt qui veſte muliebri ſæpe eſſet uſus: virili autem toga ſumpta ARGAS, quod eſt ſerpentis genus. *Suidas in* Δ *&* B. *&* Κάτων *Confer Brod. l. Miſcell. c. 20. & Rhodig l. 5. c. 13.*

Τὸ τῆς ἑλλάδ⟨ος⟩ κεφάλαιον, h. e. Totius Græciæ CAPVT. *Iſidor. Peluſ. l. III. ep. 81.*

Tria Rhetorices *ſidera*: Demoſthenes, Ariſtides, Thucydides, *Thomas Scholaſtic. l. IV. anthol. c. 31. epigr. 3.*

Σάλπιγξ Ῥητῆρος εὐκελάδοιο, πατὴρ σοφὸς h. e. *tuba* eloquens Oratoriæ beneſonantis, pater ſapiens. *lib V. anthol. 3.*

Saluſtius publicas Demoſthenis orationes memoriæ mandavit omnes. *Nonnum* item aiunt totum Demoſthenem ſexies edidiciſſe. *Suid. in Saluſt.*

Cuius nomen honeſta cum recordatione conſervavit tempus id omne, quod inter ipſum ætatemq; noſtram interceſſit. *Manuel. Orat. VII. pr.*

Huius inimici teſt s ingens in calamitate factus Æſchines. *V. Plin. l. VII c. 30.*

Εἴπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ Δημόσθενες εἶχες
Οὔποτ' ἂν Ἑλλήνων ἦρξεν ἄρης μακεδών. h. e.
Par menti robur tibi ſi, Demoſthenes, eſſet,
Non erat Amathiæ Græcia victa manu.

Epigramma eius ſtatuæ baſi à pop. Athenienſi inſcriptum. *Plut. in vit. p. 860.*

Oratorem plane perfectum, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenem facile dixeris. *Cicero in Bruto. c. IX. vide* LYSIAS.

Quo ne Athenas quidem ipſas magis credo fuiſſe atticas. *ait idem in Oratore c. VII.*

A doctis eſt *oratorum princeps* judicatus. *in Bruto c. XXXVII.*

Cum Demoſthenes dicturus eſſet, concurſus audiendi cauſſa, ex tota Græcia facti ſunt. *ib. c. LXXXIV. & Valer. Max. l. III. c. 4. & lib. IIX. c. 7. ubi*: cuius commemorato nomine MAXIMÆ ELOQVENTIÆ CONSVMMATIO animo oboritur audientis.

Pene *lex orandi. Quintil. l X. c. 1.*

Quem mirabantur Athenæ
Torrentem & pleni moderamen frena theatri. *Iuven. Sat. X.*

Homero & Demosthene utramq; eloquentiam censent veteres. *C.Barth. l.XLVI.c.3.*

Eloquentia & lychni eius, pro elaboratis operibus aut cura singulari venerunt in proverbium. *Id. l. V. c.19. V.* Thucydides.

Demosthenes ῥιψάσπιδος nomen in prælio quodam emeruit tam *ignarus* in bello, quam in concionibus invictus, quod nomen probrosissimum declarante *Platon.12.LI.*

DERCYLLIDAS

Sagacis ingenii vir, & ad excogitandum promtus, hinc cognomento Sisyphus. *Ex Xenophonte Rhodig.l.XI.c.7.*

DIACONVS

Paulus Diaconus Aquileiensis, historiæ miscellæ autor, Vir Apostolicus, Antistes doctissimus, vixit sub Carolo Magno. *C.Barth. l. XLII. c.14.*

Longobardus, homo, meo judicio, confidentissimus, ac uti res ipsa docet *ineptißimus. Iosepho Scalig. præf. in Festum,* quem Paulus ille malè mutilavit & Festo prorsus reddidit dissimilem.

Diaconus Festi corruptor: in additamentis Eutropianis & in Longobardicis rebus diligens, in notis futilis. *Dempsterus.*

DICTYS

Cretensis, bello Troiano Idomenea sequebatur. præter Italica, libris IX. litteris consignavit bellum Troianum: Homerus autem in poëmate suo eum est secutus, ut quidem autor *Tretzes Chiliad.V. hist.30. v. Voß. l. IV. Hist. Græc. c. I. adde Suid.* & de eius narratione fabulosa judicium *C. Barthii l. LVII.c.20.*

Septimius Romanus Dictyn loqui latinè fecit, Romanus sanè scriptor, ævo Theodosiano aut præter propter. *Barth.l. XIV. c. 13.* De occultatione & inventione libri eius. *Volat.* vid. Dares.

DIDYMVS ALEXANDRINVS

Grammaticus Aristarchius, Ciceronis σύγχρονος, cognomento Chalcenteros, quasi *aneis intestinis* præditus, ob assiduitatem lectionis & scriptionis. Dicunt enim eum ultra ter mille & quingentos libros conscripsisse. *Suid.* Vnde βιβλιολάθας appellatus. *Frisius.*

Multiplicis scientiæ, cœpti memorabilis, qui in illis sex libris ubi nonnunquam imperfectè Tullium reprehendit, Sillographos imitatus scriptores maledicos, iudicia doctarum aurium incusat, ut immania frementem leonem, putredulis vocibus vanus catulus longius circumlatrans. *Ammian. Marcell. l. XXII. c.24.*

Didymo, quo nemo plura scripsit, accidisse compertum est, ut cum historiæ cuidam tanquam vanæ repugnaret, ipsius proferretur liber, qui eam continebat. *Quint.l.1.c.8.*

S. DIDY-

S. DIDYMVS

Alexandrinus, captus à parva ætate oculis, & ob id elementorum quoq; ignarus tantum miraculi suis omnibus præbuit, ut Dialecticam quoq; & Geometriam, quæ vel maximè visu indiget, usq; ad perfectum didicerit, Is plurima opera nobilia conscripsit, &c. Inter ea de spiritu sancto librum unum, quem ego in latinum verti &c. Vivit usq; hodie & octogesimum tertium ætatis excessit annum. *Hieronymus de Doctor. Eccles.*

Hic ipse VIDENS *propheta*, Hieronymo. *Vid. Barth. l. LI. adv. c. 11.*

DIOCLES

GVRGES qui cum devorato pisce calido diceret, se cœlum extinxisse, Theocritus Chius unum, inquit, tibi superest, ut mare ebibas atq; ita tres res omnium maximas confeceris, terram, mare, cœlum. *Athen. l.* 8.

DIOCLETIANVS

Scribæ filius à matre & patria Dioclea se *Dioclem* appellavit, Augustus declaratus Diocletiani nomen adscivit. *Sigon l. 1. imp. occ.*

DION CASSIVS

Consul cum Alexandro Mammææ filio, qui & *Cocceius & Cocceianus*, historicus ille longe celeberrimus & Romanæ historiæ fons ab Henrico *Stephano* editus.

Dion nusquam propitius valde Philosophis, ne dicam ex professo eorum hostis. *Lipsius. cent. I. ad Belg. ep.* 15.

Ipse αὐτόπτης καὶ αὐτήκοος quæ suam ætatem attinuerunt, omnia penitissimè inquisivit, præteritorum memoriam ex publicis monumentis recollegit, & quia in clarissima luce Romanæ Reip. multos annos vixit, solus arcana Reipub. intellexit, notisq; conservavit, veteres leges, ac solennes formulas diligentius expressit, ut in illo nihil possit desiderari. *Tilem. disc. Philol. p.* 202.

Historicus diligentissimus. *Dempstero.*

DIO

Pasicratis filius, Prusaënsis, Sophista & Philosophus, quem CHRYSOSTOMUM appellarunt, magificentiam ita affectabat, ut etiam leonina pelle indutus prodiret. Corpore fuit tenui & maximam ætatis partem exegit apud Trajanum Cæsarem, ut etiam curru imperatorio veheretur. *Suid. Eunap. procem. p.* 7.

Fuit quoddam *Amalthea cornu*: ac quod ad dicendi facultatem attinet cum eloquentissimis quibusq; comparandus &c. Traianus Imperator Romæ illum in aureum currum assumens, quo invicti Imperatores de confectis bellis triumphabant, sæpissimè ad Dionem conversus: Quidnam, aiebat, dices, nescio*: te vero ego non minus quam me ipsum diligo. Philostratus de vitis Sophist. p.* 491.

Expressit imperator illud *Ciceronis*: quod si ipsi hæc neq; attingere, neq; sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus. *Pro Archia.*

Troica eius, seu orationem de Ilio non capto disertissimè in latinum sermonem transfudit *Laurentius Rhodomannus.*

Aureæ facundiæ vir. Themistio orat. in laudem Iovin. Imp. sub initio.

DIODORVS

Siculus, qui apud vos *clarißimus historicorum* habetur, is qui Bibliothecas distinxit & distribuit, cum triginta continuis annis & Asiam & Europam ut ipse scripsit, magna cum diligentia peragrasset, plurimarumque rerum ipse spectator exstitisset quadraginta historiæ suæ libros scripsit; is Mosen antiquum, primumque Legis latorem nominat. *Ad Gentes Iustin. orat. parænet. pr.*

Quantum solis lumen inter stellas, tantum inter omnes quotquot ad nostra tempora pervenerunt historicos (si utilitatis potius, quam voluptatis aurium habenda sit ratio) noster hic Diodorus eminere dici potest. Ac quanto universus orbis civitate ac gente una est capacior & amplior, tanto maior est scriptorum Diodori (si eorum argumentum spectemus) quam ullius eorum qui extant historicorum amplitudo. *Henricus Stephanus in Tractatu de Diodoro ubi & Ludovici cavillis respondet.*

Apud Græcos desiit nugari Diodorus, & βιβλιοθήκας historiam suam inscripsit. *Plinius Præf. Nat. hist. ad Trajan.*

Vixit Julii Cæsaris temporibus & Augusti, antiquæ eruditionis in quo nihil culpem, præter Epigraphen & corrupta Romanorum nomina. *Dempsterus.*

DIODORVS.

Alius dictus CHRONVS, ab Apollonio Chrono Præceptore, cuius famam obscuravit, DIALECTICVS etiam appellatus, quod primus involutum & corneum disserendi genus invenit. *Diog. Volat.*

DIOGENES

Icesii Mensarii, & pecuniç adulteratoris filius, Synopensis. Rogatus quidnam faciens CANIS vocaretur, Quod eis, inquit, blandior, qui dant: in eos vero qui nō dant, oblatro: malos autem mordeo. Solebat omnia palam facere, & quæ ad Cererem & quæ ad Venerem faciunt. *Cercidas Megalopolita sive Cretensis de eo.*

Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret

Quod de *Avidieno* sordido pronuntiabat *Horat. l. II. sat. 2. v. 56.*

ἦν γὰρ ἀλαθέως
Διογένης Ζανὸς γόνος, οὐράνιός τε κύων.

erat enim verè

Diogenes Jovis filius & *cælestis* CANIS. *Laërt l. VII. p. 414.*

Celebratur Diogenis fortitudo, mansuetudo Xenocratis, Aristotelis elegantia & eruditio, Theophrasti gravitas, Zenonis austeri & viriles mores, Platonis majestas, Polemonis continentia. Nam horum nullus cum non ab omni parte præstans esset, multum tamen à cæteris differebat. *Suidas.*

Hic liber ac fe... us, non secus quam AVIS *ratione prædita* circumiit: *Maximus dissert. XXI. quam vide.*

Platoni

Platoni dictus est Diogenes Σωκράτης μαινόμενος, i. e. *Insanus Socrates* *Æl. l. XIV. c. 33.*

Diogenes de dolio latrat, *Tertull. de pall. c.* 4. superbos Platonis toros alia superbia deculcat. *Apolog. adv. gent. c. 46.*

Excessit *è morsu canis*, eodem die quo Alexander Babylone. *Volat.*

Percontanti qualis ipse canis esset, lepide respondit: Esuriens Melitæus; satur molossus, quod cibi appetens blandiretur; saturatus morderet. *Laërt. l. 6.*

DIOGENIANVS

Heracleotes Ponticus Grammaticus fuit sub Hadriano Imperatore omni doctrinæ genere eruditus. *Suid.* Inter cætera Paræmiographus elegantissimus, *ab Andrea Schotto dictus.*

DIONYSIVS

Alexandri F. Halicarnassensis, Augusti temporibus floruit, eo curatiùs nemo tempora observavit, *Scaligero teste in Animadv Eusebianis.* Hac quoq; parte Livio præfertur, quod & plura & accuratius multa tradat, quæ ad Romanas antiquitates pertinent, Stilus eius καινοπρεπής, h. e. gratam ac decoram habet novitatem. *t. Photio. v. Voss. lib. II. hist Gr. c 3.*

Historicus clarissimus, eloquentissimus, veracissimus, Antiquitatis studiosissimus, *Dempsterus.*

Omnium historicorum utilissimus. *ibid.*

Doctissimus atq; acerrimus alienorum laborum stilq;, qualis apud Latinos Quintilianus, *Censor æstimatorq; egregius.* Ipse eximius inter seculi Rhetoras, tantæq; existimationis *Criticus* erat, ut omnes libenter sequerentur eius, de quocunq; sive antiquo, sive recente scriptore sententiam. *Sigismundus Gelenus*, quo munere post illum perfunctus LONGINVS *spirans* quædam *Bibliotheca* ac *vivum Museum* dictus. *Eunapius.* V. LONGINVS.

DIONYSIVS

Areopagita, scriptor sane antiquissimus & elegantissimus, sed quem illum esse de quo habetur mentio in Actis, soli in hac luce literarum imperiti & cum linguæ Græcæ tum antiquitatis Ecclesiasticæ penitus rudes audent affirmare. *Casaub. ex. 16. p. 406.* Videatur de prisca opinione *Suidas.*

DIONYSIVS

Poëta ac Orator appellatus est ÆREVS, quia Atheniensibus consulebat, ut nummis æreis uterentur. *Athen. l. 15. c. 2.*

DIOSCORIDES.

Vir in literis haud inexstimatus, *Rhod. l. 6. c. 1.* ubi inexistimato existimatum opponit.

Herbariorum dictator. *Scalig. ex. 153. s. 2.*

Cognomento PHACAS i. e. LENTINUS, quod lentigine os dehonestaretur. *Suid.*

DIOTIMUS

Atheniensis dictus CHONE i. INFUNDIBULUM quod eo ori apposito ἀπνευςὶ vinum hauriret. *Ael. l. 2. Rhod. l. 24. c. 6.*

DOMITIUS

Clarus Romæ Grammaticus, quod natura intractabilis ac morosior esset INANUS dictus. *Volaterr. Agell.*

CN. DOMITIUS.

In hunc dixit L. Crassus Orator: non esse mirandum eum *æneam barbam* habere, cui *os ferreum* & *cor plumbeum* esset. Proconsul fuit & Orator. *Liv. l. XXI. Volaterr.*

L. DOMITIUS

ÆNOBARBUS simul & cognominis & familiæ princeps fuit: Cui revertenti è rure gemini juvenes imperasse traduntur, vt victoriam de Latinis populo Romano nuntiaret, & in fidem maiestatis adeo permulsisse malas, ut è nigro rutilum pilum, æriq; similem reddiderint. *Tranquill.*

DOMITIANUS

Se DOMINUM DEUMq; dici coegit. *Aurel. in Cæsarib. c. XI.*

DONATUS.

Donatus, Servius, Priscianus, tanquam *triumviri*, de quorum principatu inter eruditos quæritur, quibus ego tantum tribuo, ut post eos quicunq; aliquid de Latinitate scripserunt, balbutire videantur. *Valla præfat. l. 2.*

DONELLUS

Antecessorum jubar.
Vir examussim factus ad Gallam nivem.
Expers dolosæ fraudis, & plenus fide. *Baudius in funeribus.*

DRACONTIUS.

Dracontius Hispanus adeò acutè & nervosè de plerisq; incidentibus loquitur ut vix se ipsum satis intellexisse videatur. *C. Barth. lib. VII. c. 20.*

Poëta sensu & eruditione quam eloquentia longè melior & instructior. *C. Barth. lib. LIV. c. 9.*

Floruit temporibus Justiniani Imperatoris & Athanagildi regis Gothorum: composuit HEXAEMERON CREATIONIS mundi. *Ioannes in Chron. Hispan. Anno Dom. DCLI.*

Consimilitèr ut in *Prudentio*, sic in eo elegantiarum flosculi ceu *purpuræ* quædam insitæ interlucent ac scintillant. *Melchior Goldastus ep. ad Iohan. Weitzium Dracontii editorem.*

DREPANUS.

Pacatus DREPANUS *Panegyristes provincia Aquitanus*, patria Aginnensis Theo-

sis Theodosii Magni coætaneus cui panegyricum dixit. *Savaro ad Sidon. ep. XI. lib. VIII.*

Scriptor, ut illa ætate, minimè aspernandus, & quem ego sane amo æstimoq; nec si optio detur, unam eius orationem illam, nisi sunt eiusdem inter Panegyricas etiam plures, quod alibi quærendi erit locus, haud equidem multis aliorum, una etiam atq; altera penè dicam Ciceronis mutem. *Valent. Acidal. Animad. in lib. III. Curt. p.* 24.

Drepanius Florus, doctus & acutus Christi vates. *Barth. in Rutil. p.* 92.

DRVSVS

Ex Liviorum familia, hostium duce DRAVSO cominus trucidato, cognomen invenit. *Suet. Tib.*

DVSA.

Janus DVSA *Apollo Vatum. Dominico Baudio in funeribus.*

Venerum & Cupidinum sacerdos. Heinsio in manibus Dous. VIII.

Multiplex erat in viro lectio: incredibilis pene memoria: Græcarum ac Latinarum literarum; historiæ veteris ac novæ nihil; de quo rogatus non ex tempore responderet. Vnus ipse, quod de *Longino* ait Eunapius, erat *Bibliotheca animata & museum spirans*: unus *Bataviæ* VARRO & Academiæ commune ORACVLVM.

Fuit hic verè è paucis χρηστὸς ἀνὴρ κοινὸν ἀγαθόν, qui plurima & in patria gessit: & pro eâ legationes obivit plurimas: nec unius ore sæpius locuta est Batavia, quam Dousico. *Vit.*

Janus Dusa *filius* θαῦμα τῆς νεότητος. *Pareo.*

E.

EBION.

πολύμορφον τεράστιον, i. e. MVLTIFORME MONSTRVM, quod *Samaritanam* quidem haberet abominationem, Judæorum autem nomen; tum vero Obeorum & Nazaræorum opinionem Cerinthianorum formam, Carpocratianorum improbitatem & Christianorum appellationem. *Papp. ep. hist. Eccl. sec.* 1. *f.*

EDMVNDVS

Ethelredi Fil. Rex Angliæ FERREVM LATVS cognominabatur ob bellicam fortitudinem. *Polyd. l.* 7.

EGESIPPVS.

Supposititius est & planè infimæ vetustatis scriptor, qui non contentus verbis Josephi, vt videatur aliquid novi afferre, sæpe nobis sincerum vas incrustat. *Ioseph. Scalig. in Animadv. Eus.*

Pseudo Egesippus dicitur *Petro Scriverio Animadv. ad epigr.* 76. *l. I. Mart.*

Egesippus licet fictitius, inter minorum gentium non adspernandus scri-

ptor. Vix ullus scriptor glossematis & mendis plenior ad nos pervenit. *C.Barth. XXXV.c.10. & ad Claudianum p.204.*

ELIAS.

Beatus & magnus Propheta, nubibus excelsior. *Basil.Sel.or.XI.*

Huic creaturæ habenæ permissæ. *ib.*

Divinæ in homines caritatis discipulus & mansuetissimus administer. *ibid.*

ELMENHORSTUS.

Gebhart ELMENHORSTUS philologus solertissimus. *Pareo.*

EMPEDOCLES.

Agrigentinus, severitatis semper plenus in uno eodemq; perseverabat, sic in publicum prodibat, non defugientibus imo jubentibus id civibus, tanquam IMPERII cuiusdam INSIGNE. *Illustrius.*

Auream coronam gestans in capite & aureis calceis indutus, & coronas Delphicas in manibus gerens, pertransibat urbes, ut *Divinitatis* opinionem consequeretur. *Suidas.*

Κωλυσανέμας q. VETIVENTUS dictus. *Laërt. lib. VIII. p. 605. v. tit.* Polym. *Tempestas* n. 3. & *Pythagoras.*

ENNIUS.

Ennius & sapiens & fortis & *alter Homerus. Horat. II. ep. 1. v. 50.* Dicebat enim animam Homeri in corpus suum immigrasse. *Confer. Lambin. p. 370.*

Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulchro suo imponi jussit: clarumq; illud nomen imo vero spolium ex tertia orbis parte raptum in cinere supremo cum Poëtæ titulo tegi. *Plin. l. VII c.30. Cic. pro Arch. c.10.*

Vir tamen ille (Scipio) Homerico, quàm rudi & impolito præconio dignior. *Valer. Max. l. VIII. c.13. p.*

RUDIUS à patria dictus, quæ eo tempore barbara, atq; idcirco in Valerii loco legendum Rudio, *C. Barth.* arbitratur sagacissimè *l. XIX. c.15.*

Q. Ennius tria corda habere sese dicebat, quod loqui Græcè, Oscè & Latinè sciret. *Agell. l. XVII. c.17.*

Gyraldo & Savaroni TRICOR.

Tripectorum diceret *Lucretius.*

Qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Lucretius. l. I. v. 117. ubi æternos eius versus vocat.

Qui literarum jucunditatibus instructas habent mentes, non possunt non in suis pectoribus dedicatum habere, sicuti Deorum sic & Ennii poëtæ simulachrum. *Vitruvius de Architect. l. 9. c. 3.*

Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora jam non tantum habent speciem, quantam religionem. *Quint. l. X c.1. p. 450.*

Summus

Summus Epicus Poëta. *Cic. de opt. orat. c. 1.*

Virgilium solitum dicere accepimus, *aurum se ex Ennii stercore colligere. Gyrald. Dial. IV. p. 137.*

Eius epitaphium est *tit.* FAMA HOM. *n.* 8. *Vid. & Agell. l. XII. c. 11.*

ENNIVS primus magni nominis Heroicorum, Antiquitatis studiosus, interdum generosus. *Dempster.*

Ennius ipse Pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. Horat. l. 1. ep. 19. v 7.

Leviter curare videtur, Quo promissa cadant. *Id. de eod. l. II. ep.* 1. h. e. negligenter scribit, expositore *Lambino.*

ENNODIVS.

Felix Ennodius Ticinensis. Summa eius intentio est aliter omnia dixisse quam cæteri, ideoq; totum quod loquitur exquisita quâdam intricatione complicat, & innodat, ut rectius INNODIVS quam ENODIVS debeat appellari. *Arnolfus Lexoviensis ep. XXXI.*

Vt durus atq; difficilis, ita mirum in modum densus sententiis, & MENTIS EXACTÆ scriptor. *C. Barth l. XIX. c. 6.*

Affectator quidem, tamen eruditus & mirè ingeniosus autor. *Id. l. X. c. 11.*

ENOCHVS.

Penna justitiæ elatus, supergressus est naturæ terminos, cum primus mortis decretum ostendit inefficax. *Basil. Sel. or. 14.*

EPHESVS

Generis principium ab Attica purissimâ ducens, supra omnes Joniæ, Lidiævè civitates adaucta est. Prominet autē mari, quod terram ambit, in qua ipsa posita est. Abundat autem bonarum artium studiis, & Philosophis, oratoribusq; redundat: ut verè dici possit eam civitatem non robore equitum sed clarorum hominum millibus cæteras superare, & in ea plurimum vigere sapientiam. *Philostr. de vita Apoll. l. VIII. p. 393.*

Ephesus Amazonum opus. *Plinio l. V. c. 29.*

Templum magnificentiæ vera admiratio Ephesiæ Dianæ, ducentis viginti annis factum à tota Asia, ibi celebre. *Idem l. XXXVI. c. 14. Confer Actor. XIX. v. 27.*

EPHORVS

Cumanus, Isocratis discipulus, qui cum nullo profectu scholam eius reliquisset atq; à patre Demophilo denuo remitteretur, ut ab integro data mercede discipulum ageret DIPHROS appellatus est ab Isocr. ἀπὸ τοῦ δὶς φέρειν *Vid. Erasm. in Adag.*

EPRICATES

Orator nobilis Athenis SACESPHORVS à Platone in Comœdia vocatus q. *scutum præ se ferens* eo quod propensam ad pectora barbam ferret. *Volaterr.*

EPICTETVS.

Phryx Hierapolitanus, *Philosophus*, Romam traductus servit servitutem Epaphrodito Neronis, qui fuit à custodia corporis illi principi: claudus autem è destillatione, corporis in eam partem illapsâ, id quod ipse de se Epigrammatio:

Δῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σῶμ' ἀνάπηρος
Καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Servus Epictetus sum, natus corpore claudus
Irus pauperie, Deliciæ superum.

Ille vir totus à se & à Deo, nihil à fortunâ fuit. *Lips. l. I. Stoic. Philosoph. dissert. ult.*

Philosophus optimi sensûs. *Idem cent. III. misc. ep.* 88.

Certissimus ad sapientiam magister. *Cent. III. ad Belg. ep.* 95.

Cum crus ipsi frangeretur, velut in alieno corpore philosophabatur, citiusq; crus perfractum esse visum est, quam ipse vim doloris persensisse. *D. Gregor. Nazianz. ep. LVIII.*

Et nostrâ ætate fuit quis, & adhuc superest opinor, qui Stoici Epicteti *fictilem lucernam* ter mille drachmis emit. Sperabat enim opinor & ille, si noctu ad eam lucernam legeret, continuo & Epicteti sapientiam in somnis se adepturum, & similem se fore Admirandi illius Senis. *Lucianus dialogo ad indoctum multos libros coëmentem. tom. II. p.* 767.

Epictetum duo Antonini (ut alios nunc taceam) magno in pretio habuere. *Themist. orat. in laudem Iovin. imper. sub. init.*

Διαλέξεις eius, quas obiter in viâ, domo, schola habuit ab Arriano digestæ sunt. *ex Agell. l. XIX. c.* 1. *Lipsi. Stoic. Phil. l. d. vid.* Arrianvs.

Enchiridion illius sanè egregium & Stoicæ moralis Philosophiæ velut anima. *Lips.*

Gravis herclè rerum magis pondere quam mole magnus liber & exosculandus, nocturnâ diurnâq; manu versandus. *Remus ad Themist. l. d.*

Epicteti Enchiridion moribus utile, dissertationes graves, prudentiæ plenæ. *Dempsterus.* præterquam quod favet Veneri.

EPICVRVS

Athieniensis, sancta & recta præcipit, & si propius accesseris, tristia: voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur: & quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati &c. Itaq; non dico quod pleriq; nostrorum *sectam Epicuri flagitiorum magistram* esse: sed illud dico, male audit infamis & immerito. *Senec. de vit. beat. c.* 13.

Vir fortis, stola indutus, *ibid.*

Apud me Epicurus est fortis, licet manuleatus sit. *Idem epist. XXXIII.* v. tit. Voluptas. *n.* 52. *&* 20.

Volvptatis Magister certis diebus famem experiri solitus. *Id.*

πολυγρα-

πολυγραφώτατος Laertio, adeo ut multitudine librorum omnes superârit. *lib. X. p. 723.*

Eius instituta *Dogmatica Sirenes* vocantur. *ibid. p. 712.*

Natus septem annis post Platonis obitum adolescens de lecto non facile descendere poterat, cæcutiens & ad solis splendorem ferendum ignavus, quod solis radios ferre non posset, & illustrissimo ac *manifestißimo Deo erat odiosus Suidas qui in eius vituperia prolixus.*

Timocrates eius Philosophiam nocturnam arcanamq; conventiunculam νυκτεριλκὰς φιλοσοφίας καὶ τὴν μυστικὴν συναγωγὴν vocat. *Laërt. l. X. p. 710.*

Epicurum nec poëtis meritò, nec Philosophis annumeres. *Max. diß. XXIX. & diss. XXXI. de eius Philosoph.*

De natali eius à discipulis celebrato *Laërt. l. I. & Plin. l. XXXV. c. 2.*

Eius librum de regula & judicio διοπετῆ i. *de cœlo delapsum* dixerunt discipuli, quasi non humano sed divino confectum ingenio. *Cic. 1. N. D.*

EPIGRAMMATA GRÆCA.

Tractant argumenta diversissima rerum partim gestarum, partim tanquam gestarum, suntq; tanta argutia & ingenio elaborata ut in hoc genere apud Græcos & Latinos nihil uspiam reperiatur argutius, nihil festivius, nihil absolutius. *Obsopæus annot. pr.*

EPIMENIDES

Cretensis, Cnosius, versificator. Cuius *animam* ferunt, quoad vellet, *excesßisse è corpore & in id esse reversam.* Eius defuncti cutem longi tempore post, literis distinctam repertam esse tradunt. *Unde Proverbium.* Epimenidea cutis, de rebus arcanis. *Suidas.*

Eius versus citatur à Paulo. *Tit. I. v. 32.*

Epimenides primus se ÆACUM dixit: à Cretensibus autem & CURES dictus est, atq; sacrificiis pro DEO cultus. *Laert. l. 1. p. 81.* Vixit annos CL. Sex vero integros dormivit. *Suidas: alitèr Laërt.*

EPIPHANIUS

Constantiæ Cypri Episcopus, quondam Salaminis. Scripsit contra omnes hæreses sermones, qui *Panaria* dicuntur, & alia multa: quæ ut à doctis ob res, sic ab indoctis propter verba leguntur. *Suidas.*

Huius maximi & doctissimi Patris scripta verissimo elogio à *Iosepho Scalig.* ornata; cum πάσης τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀρχαιολογίας ταμεῖον, h. universæ antiquitatis Ecclesiasticæ *promptuarium* illa dixit. *Casaubon epist. Martiali præfixa.*

ERASMUS

Roterodamus ex Insula Batavorum, perpetuis eruditæ laudis honoribus extollendus. Ad arcana cuiusq; doctrinæ, infinitâ lectione, inusitataq; memoria penetravit. *Iovius in elog. p. 113.*

VARRO sui seculi & CICERO Germaniæ. *Ibid.*

Alterum orbis jubar, maximumq; rei literariæ decus. *Gifanius Apol. pro Poët. Lat. p. 510.*

Vbiq; ἐράσμιος i. d. *amabilis. in vit.*

Vtilis juventuti veterum compilator. *Dempstero.*

Vir ubiq; magnus, sed an tantus fuerit, quantus à nonnullis existimatur, haud mihi parum liquet, certè inter Germanos Latinus, inter Latinos aliquando Germanus. *Gyrald. de Poët. sui temporis. dial. II. p. 496.*

De eodem monachi: Erasmum posuisse ova, Lutherum & cæteros exclusisse pullos.

Et Lutetiæ illud Psalmi quidam sic exposuit: Conculcabis *Leonem*, h. e. Lutherum, & *Draconem* h. e. Erasmum.

Constantiæ quidam Doctor Erasmi effigiem chartæ impressam affixit in conclavi suo, tantum ut quoties in ambulando præteriret, eam conspueret: percontantibus odii caussam, respondit: *Se Erasmo acceptum ferre calamitosum illud seculum. Hæc in vita.*

Contra Doletum Erasmo patrocinatur *Floridus Sabin. l. 1. subcis. lect. c. 1.*

Luciano addictum & ἄθεον plerisque Germanis apertissimè dictum notat *lib. 3. c. 6.*

ERICVS

Canuti Regis Vand. frater, Pedis Leporini cognomen traxit, quod in præliis desertus fuga sibi consuluerit. *Crantz. l. 3. Vand. c. 36.*

ERATOSTHENES

Cyrenæus, Alexandrinæ Bibliothecæ præfectus, Mathematicus summus, quod summis proximus in omni disciplinæ genere secundas teneret, Beta dictus, seu literæ B cognomento vocitatus est. *Illustrius.*

Plato minor ob doctrinam vocitatus. *vide Volaterran.*

Primus cognomen Philologi sibi vendicavit: proxime ab eo *Atteius. Sueton. illustr. Gram. c. 10. vide* Atteivs.

ESAIAS.

Gloriæ & Seraphinorum spectator, ac post eum Hieremias, qui magnam adversus gentes & Reges potestatem accepit: alter divinam vocem audit, atque priusquam prophetæ munus obeat, per carbonem purgatur: alter ante formationem cognoscitur & ante ortum sanctificatur. *D. Nazianz. or. XIX p. 111.*

Præ cæteris Evangelii vocationisq; gentium *pronuntiator apertior. August. l. 9. Confess.*

Propheta Evangelicus verè nominatus. *Casaub. ex 2. 7.*

Evangelista non minus quam Propheta. *Chrysol. s. 57. p.*

ESAV.

Ab edulio ex lentibus ruffo quo prærogativam ætatis cum fratre permutaverat, cognomen Edom invenit. *Gen. 25. 30. i.* Rvfi.

ETYMO-

ETYMOLOGICUM

Magnum, Amaltheæ cornus variis refertum fructibus: Alvearium: horti Adonidis: opus quo universa Hellas continetur. *Nicolai Blasti & Zachariæ Calliergæ Cretensium, teste Marco Masurio & ipso Cretensi V. Bisciolam l. 1. Horar. Subsec. c. 3. t. 1. & de Calliergorum familia Gyral. dial. II. de poët. sui temp. p.* 402.

Auctor Etymologici Magni *Marcus* forte *Masurus* ait Andreas Schott. præf. in proverb. Gr. *De hoc Musuro Synchrono suo Rhodig. l.* 17. *c.* 4.

EVA.

f. CHAVVA. mater omnium viventium. *Gen.* 3. *v.* 20. Atq; hoc fuit nomen proprium post lapsum inditum & quæ ante lapsum nuncupatur vocabulo sexus communi ISCHA, h. e. VIRA, aut virago, Gr. ἀνδρὶς, *Symmacho Vid. Basil. Seleuc. or.* 2.

Mortis conciliatrix or. 3. αἰσθησις ut Adam νοῦς, *Ambrosio lib. de Paradiso cap.* 1.

Adiutorium ad generationem constitutionis humanæ, *eid. l.* 10.

Adamus Dei figmentum, EVA figmenti SEGMENTUM & fœtus. *Naz. or.* 37.

Eva tum generis nostri, tum peccati mater. *Id. or.* 11.

Pro socia hostem se præbuit, pro coniuge adversariam, ut quæ voluptatis illecebra maritum in fraudem induxerit. *or.* 19.

EUMENIUS

Panegyrista celebris & bonus. *Barthio l. XIV. c.* 9.

EUNAPIUS

Sardianus Valentis & Valentiniani Impp. temporibus, nitido & picturato stilo, Philosophorum ac Sophistarum vitas descripsit: in quibus altiorem quandam doctrinæ Sirenen mentibus instillat, & rerum aliis scriptoribus omissarum aut etiam ignoratarum cognitionem tradit. *Hadrianus Iunius interpres illius, & Eunap. ipse proœm. p.* 8.

RABIOSUS CANIS DIABOLI. *Barthio in Rutil. p.* 148. *Ibid. sceleratus* rabula. *p.* 149. *Confer Gerard. Voss. de Hist. Gr. l. II. c.* 18.

Impiorum laudator, piorum vero imperatorum, sicut & Zosimus, insectator. *Photius, Caussinus.*

Doctus sed impius scriptor. *Dempstero.*

EURIPIDES

Initio *pictor*, deinde Prodici quidem in Rhetoricis, Socratis vero in doctrina de moribus & in rebus Philosophicis auditor; postmodum nobilis poëta Tragicus: ob tetricitatem & austeritatem μισογύνης i. e. OSOR MULIERUM habitus. Ab Archelao Macedoniæ Rege multis honoribus auctus. A Canibus sive λυκοῤῥαίσταις i. e. lupicidis illis, æmulorum invidia immissis

sive

five à mulieribus noctu laceratus. *Ex Suid.* Narratur ad nuncium mortis eius omnes Athenienses luxisse. Monumentum eius universa Græcia. Ab Euripo nomen derivat. *Epigr. 4. l. V. Anthol.*

SCENÆ PHILOMELA suaviloqua. Ornamentum Athenarum τῇ σοφίῃ τραγικὴν μιξάμενος χάριτα, sapientiæ tragicum miscens leporem. Musarum famulus. Perpetuo Pieriæ thalamo fruens. *In Epigramm. lib. III. Anthol. c. 25 epig. 30. 31. &c. & l. V. epigr. 4.*

Γνωμότυπος appellatus. Vide SILIVS ITAL.

SCANDICOPOLA quoq; dictus à matre, quæ λαχανοπωλήτρια seu olearia, quæ ne hortense quidem, sed agreste olus venderet, ut *Turnebus interpretatur lib. XV. Adv. c. 3. ex Plin. l. XXII. c. 10. & Suida in σκάνδιξ.* Scomma id tantum esse, atq; nobilem fuisse fœminam matrem illius, *Suidas sub. Σ. asserit.*

Omnium oratorum non minus *Pater*, quam *Optimus Poëta.* Sæpe tamen Tragicus vix ultra affectus. *Heinsius in Animadvers. ad Senecæ Tragœd. p. 491.*

Diffusa eloquentia & magis parabili, primo Anaxagoram, deinde Socratem secutus, scholam ad theatrum contulit: quem idcirco SCENICVM PHILOSOPHVM dixerunt: Qui tam ardens atq; animosus VIRTVTIS fuit PRÆCO, ut cum *solem sapientiæ* Athenienses extinxissent *Socratem*, publicè hoc illis in Tragœdia objecerit: & ingratam civitatem, reliquis tacentibus coram orbe cædis postulârit.

Omnium hominum sapientissimus, voce oraculi pronunciatus, ipse VITÆ HVMANÆ ORACVLVM: ad quod omnes actiones suas domi forisq; Græci dirigebant, &c. *Idem in dedicat.* V. SOCRATES.

EVSEBIVS

Cognomen PAMPHILI sibi assumpsit in gratiam & amorem PAMPHILI presbyteri Laodiceni. *Euseb. l. 3.*

EVSTATHIVS.

EVST: *Archiepiscopus Thessalonicensis*, Homeri interpres doctissimus, Philosophus acutissimus, Theologus religiosissimus, qui sensus abditos eruit, speciem omnem deformitatis abstergit, arcana sapientiæ & pietatis aperit. Imprimisq; id agit, ne quam totius philosophiæ partem artificiis poëticis occultatam ignoremus. Incredibile est memoratu, quantas opes Græcæ eloquentiæ, quantos thesauros omnium disciplinarum expromat. *Hæc Nicolaus Maioranus in præf. Eust.*

Alius est Eustath. qui vixit ætate Constantini M. cuius tanta sermonis gratia & suavitas, ut qui vocem hominis audirent, obliti sui, tanquam qui Lotum degustassent, à verbis illius penderent. *Eunap. p. 51. quem vide.*

EVTROPIVS.

EVTR. Historicus sub Valente Aug. nec diligens nec eloquens. *Dempsterus.*

EZECHIEL.

EZECH. Magnorum mysteriorum & spectaculorum Conspector & interpres.

interpres. *Nazianzen. orat.* 1. Prophetarum omnium maximè admirabilis. *Ibid.*

F.

FABIVS.

CÆCILIVS FABIVS, AMBVSTVS vocatus, quod dum adoleſcens fulmine tactus in naribus fuerit: hinc etiam PVLLVS IOVIS, q. dilectus ab eo videretur. Et mutata litera, poſtea RVLLVS dictus, & EBVRNVS à candore, *ut Feſtus ait. Vid. Volater.*

FABIVS GVRGES nepos RVLLI, ob devoratum patrimonium in luxu ſic dictus: ſed inſecuta virtus vitia prioris compenſavit ætatis *Volater. & Macrob.*

FABIUS PICTOR. Cognomenti cauſa, quod ædem ſalutis pinxit, *t. Plin.* juris, literarum & antiquitatis peritus. *Cic. in oratore, Volaterr.*

FABIVS RVLLIANVS, primus ex ea familia ob virtutem MAXIMVS d. *Aurel. c.* 32. fuit RVLLI filius. *Volat.*

Q. FABIVS Dictator omnem Forenſem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, urbanaſq; eas appellavit, adeoq; eam rem acceptam gratis animis ferunt, ut MAXIMI cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum diſtributione pareret. *Livius lib. IX. f.*

CVNCTATOR *lib. XXII. c.* 12. ſic dictus ab obtrectatoribus, quia Hannibalem mora fregerat. *Aurel. c.* 14.

SALVS PVBLICA AC PARENS. *Silius lib. VII. f. Vid. Plin. l. XXII. c.* 5. dictus OVICVLA à clementia morum: itidem VERRVCOSVS à verruca in labris ſita. *Aurel. c.* 43. *Plut.*

IMPERII SCVTVM. *Iornand. de regnor. ſucceſſ. c.* 41.

PATER ET PATRONVS. *Val. M. l.* 5. *c.* 2.

FABIVS.

FAB. VENOX d. ob indagine ſolerti conquiſitas Appiæ aquæ vias. *Rhod.* 24. 6.

FAERNVS.

FAERNVS omnium qui unquam fabulas ſcripſerunt longo intervallo exactiſſimus & ſubactiſſimus. *C. Barth. XXXV. Adv. c.* 21.

FAVORINVS.

FAV. Philoſophus eloquentiâ inter Sophiſtas celebris: *Hermaphroditus. Tria* hæc *admirabilia* de vita ſua vaticinatus eſt: Quod *Gallus* Græce loqueretur: quod *Eunuchus* adulterii cauſam ageret: quod cum Imperatore *contenderet* & viveret. Maiori enim laudi erat Adriano, ſi Imperator cum eſſet, ex æquo diſceptaret cum eo, quem interficere licebat. *Philoſtr. l. I. de vitis Sophiſtar. p.* 493. Cum aliquando in diſputatione ceſſiſſet Adriano, ob id mirantibus reſpondit: nonne cedam ei, qui XX. habet legiones? *ex Æliano Volaterr.* vid. HADRIANVS.

FENESTELLA.

FENEST. obiit novissimo Tiberii Cæsaris principatu. *Plin. l. XXXIII. c. 11.* Hinc de illius commentario de magistratibus censet. *Tileman. p. 50.* Suo auctori, nempe Andreæ Dominico Flocco Florentino restituit EGIDIVS *Wütsius. Antverp.* 1611.

FERRANDVS.

Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis, cuius extat ad Reginum comitem Parænesicus, Qualis esse debeat Dux Religiosus in actibus militaribus.

FESTVS.

Sextus Pompeius FESTVS Grammaticus, Marci Verrii Flacci insignis illius Grammatici *abbreviator*. Sine cuius ope nullæ ferè paginæ ad antiquorum Scriptorum lucem expleantur. *C. Barth. lib. XL. Adv. c. 11. pr.*

Quod de naturali historia dixit quidam, eum doctum videri non posse, qui Plinium non legisset, id ego sanè meritissimò dicam de Festo. *Fruterius 1. verisimil. c. 11. & 16.*

Grammaticorum eruditissimus *Dempstero*: cum castigationibus. *Ios. Scalig. editus.*

FICINVS.

MARSILIVS FICINVS divinæ Philosophiæ amore incensus, Platonem & eius sectæ autores nobiles Latinos fecit, de eo *Politian.*

Mores, ingenium, Musas, Sophiamq; *supremam.*
Vis uno dicam nomine? Marsilius. *Iovius in elog p. 56.*

FIRMICVS.

IVLIVS FIRMICVS *Maternus*, vetustate multis melioribus prior: ita scribit, ut penitiorum demonstrationum potius discipulus, quam Doctor haberi mereatur. *C. Barth. l. VI. c. 27.*

Homo *trifatuus. Eidem lib. II c 11. f.*

Hic est ile FIRMICVS, qui solus Latinam astrorum scientiam fecit. Hic est ille, qui omnem penitus à scholastica turba deinceps errorem eradicabit. Hic est ille, qui doctam veridicamq; impostorum astronomorum turbam educet. *Pescennius Franciscus Niger præfatione Firmici libris præfixa.*

Elegans est FVL. FIRMICI de errore profanarum religionum, liber, quem non tantum mutilum, verum etiam in paucis quæ supersunt, ita maculosum habemus, & variis nævis deturpatum, ut vera illis facies vix agnosci possit. *Carrio. l. 2. emend. 19.*

FIRMVS.

FIRMUS; qui contra Aurelianum sumsit Imperium, dictus est plerisque CYCLOPS, ob vastum & robustum corpus. *Vopisc. in vit. c. 4.*

FLACCVS

VALERIVS FLACCVS, *Patavinus*: hinc latis Antenorei alumnus *Martiali.*

de eo

de eo *Scaliger Hypercrit. c. VI. p.* 839. Cuius cum esset ingenium felix, judicium magnum, diligentia non vulgaris, immaturâ morte præventus, acerbum item poema suum nobis reliquit. Est autem omnium duriusculus: penitus v. nudus Gratiarum comitate.

Poeta nobilissimus, & Romanæ Musæ genuinus: Sonus, Spiritus, eruditio, gravitas, in eo sunt insignes. Sic *Barth.* Quintilianum contra & Scalig. *l. XIIX. adversc.* 15. *lib. XXVI. c.* 3. *& LVI. c.* 11. *Argonautica eius edidit Ludov. Carrio.*

VERREVS FLACCVS

Qui proposito præmio declamantium ingenia commisit. *Sueton. illust. Gramm. n.* 17.

FLORENS.

SETIMIVS FLORENS V. DICTYS.

FLORIDVS.

Franciscus Florid. doctus homo, sed certè parum verecundus. *Claudius in embl. Alciat:* CLXIII.

Cui Alciato quia nonnihil detraxisse putabatur, apologeticus redditus in *Rancifcum Olidum.* ibid.

Floridi judicium aperitur ille *de auctoribus legendis & imitandis judicio*, quod ad nostram onomatologiam non parum fecerit, si libuerit perlustrare *lib.* 1. *lection. subcisiv. c.* 2.

FLORVS.

LVC. Annæus FLORVS Epitomen rerum humanarum conscripsit; quæ quidam Panegyricus est. *Barth. in Rutil. p.* 65.

FLORVS verè floridus, plus habet palæstræ declamatoriæ, quam virium & lacertorum. *Caußin.*

FLORVS brevitate sua se implicat potiùs, quàm explicat; cuius opera multi libri perierunt, Scelus laqueo dignum. *Claud. Verderius. ap. Pontanum. Confer Volaterr.*

FORTVNATVS.

V. VENANTIVS.

FRANCI.

His familiare ridendo fidem frangere. *Vopiscus in Proculo. c.* 13. de iis quos avida fortitudo hucusq; in libertate conservavit, & quomodo absq; fide? vide GALLIA.

FRIDERICVS I.

Imp. vir industrius laboris patiens & sapiens, à ruffa barba dictus BARBAROSSA i. e. ÆNOBARBUS. *Calvis. p. c.* 1152.

Itidem MALLEVS ITALIÆ, quod Italorum contumaciam severius retunderet. *Pezel. mellif. parte* 3. *p.* 251. *vide* GVNTHERVS.

FRISCHLINVS

Nicodem. FRISCHLINVS argutus non minus poëta, atq; festivus Orator. *Tileman. in disc. Philol. p.* 197. *ubi de eius fato.*

Cecropia dices HYGIENVM *voce, Latina*
Si vis me, poteris dicere VIGETIVM.
Ipse de se, ad eum à quo FRÖSCHLINVS appellabatur.

FRONTINVS.

SEXTVS JVLIVS FRONTINVS, Vir Consularis, summus Juriscons. Rei militaris peritus, Traiano libros stratagematicos dicavit, *nunc à Petro Scriverio cum Vegetio editos, God. Stevvechii notis illustratos.*

Vetuit sibi exstrui monumentum his verbis: Impensa monumenti supervacanea est: memoria nostri durabit, si vitâ meruimus. *Erasmus l. VIII. Apoph.*

FRONTO.

CORNELIVS FRONTO, inter antiquos est authores Grammaticæ latinæ, qui de differentiis vocabulorum scripsit.

Meminit & FRONTONIS *Sidon. l. IV. ep. 3. &* Frontinianæ gravitatis.

FVLGENTIVS.

FULGENTIUS PLANCIADES, Scriptor Mythologicus, utilior quam eloquentior: Semipoëtans: Afer affectator. *Barthio lib. XVII. c. 7.*

Inter Christianos referendus. *Tritheminus de script Eccles. p.* 183. & p. 209.

FVNDANVS.

M. FUNDAN. homo nullo numero, cognominatus BAMBALIO, ab hæsitantia linguæ & stupore cordis. *Rhodig. l. 13. c. 2.* ubi de Græco *bombalobombax* deducit.

G.

GABINIVS.

GAB. SALTATOR. CALAMISTRATUS. *Cic. or. post. red. in sen.*

Gabinius & Piso Imperatores, VULTURII PALUDATI, quod pretio nundinarentur omnia. *Cic. pro Sextio. c. 33. Cal. l. 8. c. 18.*

GALEACIVS.

GALEACIUS I. *Matthæi Magni Vic. comitis, Mediolanensium Principis* F. sic dictus, quod inter Gallorum cantus ederetur. *Iovius.*

GALENVS.

Cl. GALENUS *celeberrimus Medicus Pergamenus*, qui sub Marco, Commodo, & Pertinace Impp. Romæ fuit, Niconis Geometræ & Architecti filius. *Suid.*

Optimus Medicus. *Diaconus l. X. Hist. Misc. c. 17.*

Criticorum non minus quam Medicorum princeps. *Casaubono in Athenæum ad Lectorem.*

Medicorum ex primo primus. *Dempstero.*

PONTIFEX MAXIMUS Medicorum. *Scal. ex 61.*

Philosophus & Medicus singularis, cuius scientissima & plurima extant ingenii monumenta, quæ genuinam sapiunt eruditionem: memoriæ proditur à nonnullis, cibi & potus abstinentia, centum & quadraginta annos vitam protelasse,

protelasse, & odorificum semper anhelitum spirasse. Vnde adagium, ut *Galeni valetudinem* dicamus, pro ea quæ ultra humanum captum nimis sit prospera, nimisq; inoffensa. *Cœlius Rhodig. lib. XXX. c. 12. quem vide.*

Abscessu tamen dextri hypochondrii laborasse Galenum *t. Cal. l. 4. c. 21. & Zvving. vol. 2. p. 353.*

Mare eruditionis, *Oceanus* disciplinarum, omnium ingenuarum artium *Promus Condus*, & quasi *Bibliotheca* quædam est *Galenus*, è quo Medici cum omnia hauserunt, nihilo tamen minus Criticorum industriæ relinquunt. *Heinsius orat. III. pro Biblioth. mun. grat. act. p. 31.*

Galenus avidissimus carpendi se meliorem Scal. ex. 194. s. 4.

Censuram de GALENO notat *Bisciola. t. 2. hor. sub. l. 2. c. 1.*

GALERIVS

GAL. MAXIMIANVS, cognomento ARMENTARIUS, eò, quod ortus parentibus agrariis, pastor armentorum. *Aurel. epit. c. 40.*

GALLIA.

GALLIA terrarum illa regina, parens illa optima ingeniorum & nutrix. *Heinsius orat. II. p. 19.*

GALLI.

Gens hominum inquietissima, & avida semper vel faciendi principis vel imperii, *Vopisc. in Saturnino.*

GALLORUM orthodoxiæ Confessores HUGONOTTI dicti, quæ de Nomenclatura *sic Thuanus lib. 24. hist. p. 472.* Hugonoti ridiculum simul & odiosum nomen, quô, qui antea *Lutherani* dicebantur vocari cœpere. Origo hæc fuit, quod cum singulæ urbes apud nos (Gallos) peculiaria nomina habeant, quibus *Marmones, lemures, manducos* (Kinderfresser) &c. huiusmodi monstra inania anilibus fabulis ad incutiendum infantibus ac simplicibus fœminis terrorem, vulgo indigitant, Cæsaroduni *Hugo* Rex celebratur, qui noctu pomœria civitatis obequitare, & obvios homines pulsare ac rapere dicitur, ab eo *Hugonoti* appellati, qui ad ea loca ad conciones audiendas ac preces faciendas itidem noctu, quia interdiu non licebat, agminatim in occulto conveniebant.

GALLIENVS.

GALLIENUS Imp. *labes improbissima*, natus abdomini & voluptatibus. *Pollio in vit. c. 14. 16.*

Prodigiosus Imperator. *id. in Claudio c. 1.*

Quo nihil prodigiosius passa est Resp. Romana. *Id. in 30. Tyran. c. 31.*

GALLVS.

Cn. Cornelius GALLUS poëta, qui Ægyptum in provinciam redactam rexit: *Virgilij delicium. Pion & Euseb. ac Marcellin.* propria se manu confecisse prodiderunt, quibus & eo carmine subscripsit. *Ovid.*

Sanguinis atque animæ prodige, Galle, tuæ.

Scribit & *Dion historicus lib. LIII.* Proculeium, cum aliquando Cornelio Gallo occurreret, *nasum & os compreßiſſe manu*, id ſcilicet ſignificantem, non alicui tutum eſſe illo præſente, necloqui, nec reſpirare: tantæ namq; fuit GALLVS *insolentia*.

Tralatitii & ementiti verſus, ſub GALLI poëtæ nomine qui editi ſunt, nec tempori nec dictioni illius reſpondent. *Maximiani* vero, nugatoris cuiuſdam & nebulonis potius eorum verſus plurimi ſunt. *Gyrald. III. Dialog. p.* 154. Confer *Giſan. Apolog. pro poët. Lat. p.* 486. *Vid. Barth. XVII. Adv. c. XI.*

GALTERVS.

GALTERus *dictus de Caſtellione*, oriundus autem ex Inſulis, oppido Flandriæ: vir in divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, atq; in ſecularibus literis egregie doctus, Philoſophus, Poëta & Theologus clariſſimus: ingenio ſubtilis, ſermone Scholaſticus, metro valde promptus & peritus. Scripſit eleganti carmine GESTA ALEXANDRI MAGNI: opus profectò non abiiciendum, quod tantæ auctoritatis in Scholis Grammaticorum antiquitus fuit, ut præ ipſo veterum poëtarum lectio neglecta videretur. *Trithemius in Catalogo Virorum. illuſt. p.* 141. *adde Gyraldum Dial. IV. de poët. p.* 156.

Philippus Galterus, homo pro eo ævo & ingenioſus, eruditus & eloquens, modò argutias Scholaſticas caviſſet, & non miſceret omnia abſq; judicio. Sed id vitium temporum fuit, quo nihil diſſimulare poterant, quod ſcirent, quin quovis loco infercirent ad oſtentationem Polymathiæ ſcilicet. C. *Barthius lib. LII. c.* 16 *f.*

GALTERVS affectat peſtilentes illos Rhytmos. *Id. lib. LIII. c. XI.*

GARSIAS.

GARS. SANCTIVS *Arrag. R.* TREMVLVS d. à tremore quo futura bella præſentiſcens concipiebatur, etſi in illis ipſis intrepidus. *Tarapha de Regib. Hiſp.*

GEDEON.

GEDEON diruta Baalis ara impunè, dictus eſt JERVBBAHAL: eo quod dixiſſet Joaſch per inſultationem: contendat contra eum ipſe Bahal, quia diruit altare ipſius. *Iud.* 6. 32.

GELLIVS.

Vel AGELLIVS, nam utravis formâ ſcribatur, in ea re ſalutem Græciæ non verſari *ſcitiſſimè cenſet* C. *Barth. l. XXXV. c.* 7. *qui tamen pro Gellio pronuntiat. Vide ſis argumenta argutiſſima. &* AGELLIVS.

GERMANI.

Nulli mortalium armis aut fide ante Germanos. *Legati Friſiorum apud Tacit. l. XIII. Annal. c.* 54. *Confer eundem de moribus Germanorum.*

Litteræ non Latinæ modo cum pudore noſtro, ſed Græcæ & Hebraicæ, in eorum terras fatali commigratione tranſierunt. Occulta herclè ſiderum commu-

commutatione effectum arbitramur, ut illud cælum molestis Boreæ flatibus, frigore geluque damnatum, horrida dudum torpentiaq; ingenia mollierit ac excitarit. Neq; enim contenti sua vetere militiæ laude, qua Martium decus Romanis gentium victoribus ereptum, stabili disciplinæ severitate feliciter tuentur: ipsa etiam pacis ornamenta, litteras, optimasque artes decoquenti Græciæ, ac Italiæ dormitanti (quod pudeat) abstulerunt, &c. *Iovius Italus in Elogiis. p.* 143.

GEPHYRI.

Gephyri q. Pontani dicti liberi quos illustris quædam fæmina, fæcunditatis nimiæ convitium verita, cum de ponte in profluentem demergi mandasset, Pater interventu inopinato liberavit. *Eustath. il.* 13.

GIFANIVS.

Obertus Gifanius *Buranus Belga* J. C. ac Philosophus insignis.

Philologorum Princeps. *Pareo.*

Juris Consult. celeberrimus. Vestigia reconditæ eruditionis ac doctrinæ stupendæ specimen, in *Collectaneis Lucretianis* super miraculum eruditis universo literatorum circo ante complures annos exhibuit.

Vnio Suadæ Romanæ.

Liber observationum singularium in latinam linguam, cum dissertatione de ratione discendarum Linguarum, de sermone Latino, Apologia pro poëtis Latinis, nuper admodum Francofurti prodiit.

GORDIANVS

Senior: Vir nobilis & magnanimus, disertus, justus continens, bonus. Amatus ab Afris ita ut nemo ante Proconsulum: ita ut eum alii *Scipionem, Catonem* alii, multi *Mutium* ac *Rutilium*, aut *Lælium* dicerent. *Capitolin. in vit. c.* 5.

GORDIANVS

Junior, Appellatus sui temporis Priamus; quem vulgo jocantes, quod esset naturâ propensior, Priapum, non *Priamum* sæpe vocitarunt. *Capitol. c.* 19.

GORGIAS.

Gorgias *Leontinus in Thessalia* Rhetoricæ philosophiæ deditæ, h. e. priscæ Sophistarum artis principatum obtinuit, ut & in promptu oratione. Nam cum Athenienfium prodiisset in Theatrum, *Proponite, quodcunque libuerit*, dicere ausus est. Atq; primus tale periculum se subiturum professus est, ostendens se Omnia Scire, & de quaq; re compositè ex tempore se posse dicere. *Philostr. lib.* I. *de vit. Sophist. p.* 487.

In hunc tanquam in *patrem Sophistarum* ars referenda. *Id p.* 496. *Adde Cic.* II. *Fin. c.* 1. *de orat. c.* 12. *V. Halicarn. de Thucyd. judicio.* 28.

Apud

Apud Athenienſes, ob Eloquentiæ vim, in tanto precio habitus eſt, ut dies, quibus orabat, ἑορτὰς vocarent, orationes vero λαμπάδας. *Cœl. Rhodig. l. XI. c.25.*

Gorgiacum dicendi genus Theſſali ſectati. *Philoſt. de Vitis.p.504.*

Eloquentiſſimos quoſq; ſuſpenſos ab ore tenere potuit, ut puta Critiam & Alcibiadem adoleſcentes, & Thucydidem & Periclem ad ſenium declinantes.

In Græcorum Panegyricis uſque adeo venuſtus & decens, ut Pythicam orationem ex ara enunciaverit: in qua *aureus* in Pythii templo erectus eſt. *Philoſtr.l.I.*

Hinc Gorgiæ Delphis Athenas reverſo Plato obvius dixit: *Ecce formoſum* AUREUMq; *Gorgiam. Athenæus lib.XI.c.15.p.505.*

De ſtatua eius plura *Plin.l.XXXIII.c.4. ibidemq; Dalechampius.*

Gorgiam & Protagoram tantum à ſapientia abfuiſſe, quantum à viris pueri, cenſet *Ælian.l.I.c.23.*

GOROPIUS.

GOROPIUS Hoc unum habuit propoſitum; ingenii ſui ſublimitatem per incertiſſima ſubtiliter experiri. *Tilem.diſc.phil.p.165.quem vide.*

GODEFRIDUS.

Dux Lotharing. quod infans in cunis vagiens de arbore editiore dependens, appoſito vexillo Brabantinis animum adderet, ſic ut vincerent hoſtes Grimbergenſes, dictus fuit GOTFRIED in der Wiege. *Calviſ.p.c.1144.*

GOTHOFREDUS.

DIONYSIUS GOTHOFREDUS. Vir immenſorum in Juriſprudentiam Romanam meritorum, quibus una quoque litteris philologicis egregie profuit. *C. Barth. l.LX.Adv.c.3.*

Huius ſeculi PAPINIANUS, Rei litterariæ lumen incomparabile. *Parco.*

I.C. acutiſſimus, *Dempſtero.*

GRACHUS.

TIBERIUS GRACHUS, *Tiberij Grachi, clariſſimi & eminentiſſimi viri filius,* &c. Vir vitâ innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus, tantis deniq; adornatus virtutibus, quantus perfecta & naturâ & induſtriâ mortalis conditio recipit. *Velleius Paterc.l.II.c.2.*

GRÆCIA.

Omnis Græciæ fabuloſitas, ſicut & literarum claritas, ex hoc primum ſinu effulſit. Tertium Europæ ſinum nominat, qui Acrocerauniis incipit montibus & finitur Helleſponto, *Plin. IV. præf.*

Omnium literarum præclara *cuſtos & altrix* Græcia. *Cic. in conſolat.*

Græcia fama, gloria, doctrina, plurimis artibus, Imperio etiam, & arte bellica florentiſſima. *Cic. pro Flacco, c.27.*

A Græcis

A Græcis Philoſophiam, & omneis ingenuas diſciplinas habemus. *Cic. II. Fin c.21.*

Artes multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditiſſima omnium gens invexit. *Liv. XXXIX. c.3.*

Multa lætum antiquitatis Græcorum genus incertæ vetuſtati affingit. *Tacit. II. Hiſt. c.4.*

Vanitas Græca. *Plin. III. c.ult.*

Græci genus in gloriam ſuam effuſiſſimum. *Id. c.5.*

GRATIANVS.

GRAT. Imp. dictus FVNARIVS, quod funem portanti, quinq; etiam robuſtiſſimi milites extorqueri nequirent. *Diaconus.*

GRATIVS.

GRATIVS luculentus Poëta, & in quo merito ſeculi felicitatem agnoſcit *Incomparabilis Cenſor Scaliger.* Eruditiſſimum illius Poëmation, quod CYNEGETICON inſcribit, primus ex carcere ſqualoris & ſitus vindicavit C. BARTHIVS; cui paſſim; Poëta nullo poſt Maronem inferior: egregius & ſummo proximus vates, *audit*: in quo caſtigata & erudita phraſis preſſaque & ſemper ſibi æqualis.

Poëta cultus ac terſus, *Dempſtero.*

GREGORAS.

NICEPHORVS GREGORAS inſignis ſcriptor, & mirum tam incelebrem eſſe, cum parum tamen ad eius ingenium ſapiant plerique tales Hiſtorici. *Barth. lib. V. c.19.*

Hiſtoricorum illius ævi utiliſſimus. *Dempſter.*

Scripſit ab urbe (Byzantio) capta res, ad Andronici Palæologi poſterioris mortem (*hoc eſt ad ſuam usque ætatem*) *quæ incidit in Annum Chriſti* CIↃ CCCLXI.

Pleraq; eius hiſtoria ab noſtro ævo non diſſidet: Imo lites diſſenſuſque *in ſacris* reperies haud diſſimiles hodiernis. *Lipſ. Notis ad I. Polit. c.9. quem conſule, ut & Gerh. Voſſ. l. II. hiſt. Gr. c.28. Editus eſt Coloniæ Anno* DCXV. *inter* HISTORIÆ BYZANTINÆ SCRIPTORES.

GREGORIVS.

Primùm *Saſimorum, deinde Nazianzenus Epiſcopus.* vir eloquentiſſimus præceptor meus, à quo ſcripturas explanante didici. *Hieronymus.*

GREG. Nazianzenus Theologi fuit Pater *Synodicon. c.63.*

Vas electionis & puteus profundus, Os CHRISTI *Gregorius Baſilio.*

Effigies quædam & *columna* ex omnibus virtutibus conſtans. *Simeoni Metaphraſtæ.*

A patriâ, quam non minus ut Alexander Pellam, Cyrus Perſas nobilitavit, NAZIANZENVS: à dogmatum ſublimitate ſolus, poſt Johannem Evangeliſtam, THEOLOGVS peculiari & proprio cognomento dictus. Conſecratione

matris SAMVEL: Zelo ferventi HELIAS: vitæ austeritate JOHANNES: divina humanâq; scientiâ quasi divinitus infusa, MOSES aut DANIEL: Vineæ Domini Spiritualis plantatione NOE: Ille pacis ARBITER, ille Christi mansueti & humilis, mansuetudinemq; nobis lata lege promulgantis, discipulus. Martyr sine periculis, & sine vibicibus laureatus. Dissidentibus, de eo in Episcopum Byzantinum eligendo, Episcopis, in medium progressus: Quod si vobis, inquit, nullo modo dissidii causa sum, *Ionam* prophetam vitæ integritate non supero, Proiicite in mare, & tumultuum tempestate agitari desinetis, &c. *Ex Gregorio vitæ ipsius scriptore.*

Secutus est Polemonem dicendi charactere. *Suid.*

Eius pietas ex æquo propemodum certat cum facundia, *Budæus de asse l. 5.*

Tota eius phrasis nonnihil accedit ad structuram Isocraticam. De rebus divinis quæ vix ullis verbis humanis explicari possunt, libenter ac frequenter philosophatur Ambrosio non dissimilis. *Erasmus.*

Græcorum Patrum μεγαλοφωνότατος, *Richardo Montagu* super invectivas Gregor. Naz.

GREGORIVS

GREG. qui & Theodorus à miraculis quibus claruit THAVMATVRGVS, Neocæsariæ Ponti Episcopus. *Suidas leg. Imp. Constit. 88. Synodicon. Græc c. 27.*

Vir Apostolicarum virtutum maximè compos inter omnes Patres. *C. Barth. l. I. c. 13.*

GREGORIVS.

GREG. NYSSENVS Episcopus, frater Basilii Cæsariensis, vir & ipse clarissimus, omniq; doctrina refertus, magis tamen eloquentiæ studiosus. Itaq; in multum profecit & illustris evasit, ut quisquam veterum. *Suidas.*

Dulcis ille & illustris ecclesiæ fons. *Leo Imp. Constit. 88.*

Quid Gregorius *Nyssenus* & *Cæsarius*, num & ipsi, *Gregoriorum* fato, aureum flumen orationis fundunt? *Caussin. l. III. c. 13.*

GREG. Nyss. THEOLOGVS. ex doctrina vocatus, Rhetoricæ & eloquentiæ studiis legitimè imbutus. *Volaterr.*

GREGORIVS MAGNVS.

GREG. MAGNVS Papa. Nulla virtute maior & admirabilior, quam quod ambitionem illam contemsit, quæ maximos quosq; Christianæ Confessionis antistites afflixit. *C. Barth. l. LV. c. ult. f.*

Eius homiliæ mirificè bonis rebus plenæ, & exemplar sequentium seculorum doctoribus. In summo pretio fuerunt, adeo ut qui aliorum librorum potiri non possent, ex præscripto, istum sibi parare omnimodis oportuerit. *ibid.*

GREGORIVS

GREG. Episcopus TVRONENSIS vel Turonicus: *de quo Fortunatus.*

Forte

Forte Decus generis Turonicensis Apex
Alpibus Arvernis veniens, MONS *altior ipsis.*

Idem hunc Gregorium comparat Nazianzeno, tanquam ille datus sit *Orienti*; Romanensis autem (Gregorius Magnus, cui σύγχρονος fuit) *Meridiei*; at hic noster *Occidenti*.

Ipse tamen in frontispicio Historiæ suæ fatetur, se Grammatica arte adplenè non imbutum.

GROTIVS.

HVGEIANVS GROTIVS voluptas Musarum, atq; corculum *Belgij gloria.*

Vir summi & incorruptissimi Judicii. *Heins. in anim. ad Sen. Trag. p. 512.*

Criticus acutus & insignis. *Dempster.*

GRVTERVS

JANVS GRVTERVS Ὦ πόποι! Qui Vir! ΑΕΤΟΣ ΕΝ ΝΕΦΕΛΗΣΙ. Criticorum huius seculi ἄλφα καὶ ὦ μέγα. Cuius scripta merum nectar spirant, & ambrosiam. *Pareo.*

Præstantissimus GRVTERVS, vir intimè bonus, prudens & super quàm credibile eruditus & acutus. *C. Barth lib. XVI. Adv. c. 29.*

Vir emendandi prudentissimus ac perspicacissimus. *lib. XII. c. 10.*

Optimus & longè omnium eruditissimus. *lib. XXX. c. 21.*

Incomparabilis judicii ac lectionis Criticus. *Dempstero.*

Admirandæ eruditionis Vir, seculi nostri alter *Varro. Eidem.*

GVICCIARDINVS.

FRANCISCVS GVICCIARDINVS *patritius Florentinus* nobilis, Vir *sapientum* eius tempestatis in Italiâ, unus *è septem, Cælio secundo Curione teste*: qui ingenuâ libertate & candore, nullius sive gentis sive personæ habita ratione, quæ laudandæ sunt; laudat, & vituperanda vituperat.

Inter nostros summus est Historicus: inter veteres Mediocris. *Lips. Notis ad I. Polit. c. 9.*

Cum alius aliter, & ferè suo quisq; arbitratu fingeret historias, unus inventus est, qui tàm altè ædificavit, ut non modo levissimorum hominum, sed etiam Jovii & Bembi luminibus obstruxisse videatur. *Bodinus Meth. Hist. p. 94. c. IV.*

GVICCIARDINVS historiæ parens, omnium iudicio verissimè scripsisse putatur. *Bodin. ibid. p. 73. Confer Tilem. disc. philol. p. 243.*

GVNTHERVS.

Poeta Spiritus & ingenii haud spernendus, imo, ut illo ævo, mirandus. *Lips. l. II. Poliorc. dial. 4.*

Poeta, prout Barbari seculi captus erat, perelegans. *Casaub. in Polyb. p. 171.*

Res suo ævo domi forisq; fortiter & sapienter atq; magnanimiter gestas à max. & opt. potentissimoq; Imp. Germanici nominis FRIDERICO I. cui à barbæ colore ÆNOBARBO vel BARBAROSSÆ cognomen fuit, carmine supra

 quam

quam seculum suum ferat, elegante bonoq; & erudito descripsit. *Cunradus Rittershusius Iuris Consultorum elegantium non eorum quibus tantum est cum bonis auctoribus & litteris, quantum cani & balneo. ut ipse in propylæo Guntheri, à se cum notis editi.*

GYRALDVS.

LILIVS GYRALDVS vir solide doctus, & in scribendo accuratus. *I. Casaub. Notis ad Laërt. p.* 103.

Vir eruditissimus. *Eidem ad Persii vitam.*

Magnæ lectionis, acris Judicii Criticus. *Dempster.*

Alciatus seculi sui *Varronem* vocat: divinus noster doctor. I. *Scaliger* aliquoties eruditissimus Viri titulo mactat, qui honos rarò tamen alicui ab illo tributus est, eumq; secutus *Isaacus Casaubonus.* Gyraldum æstimo virum eruditissimum, & de omni antiquitatem studio apprime benè meritum. *Verba Barthii animadv. Claudian. de Bello Gildon. f. p.* 368. *& seq.*

H.

HADRIANVS.

HADR. Cæsar. Princeps eruditus, & eruditorum amans; præterquam eorum, qui palmam ei doctrinæ præriperent: imprimis si tam dira eos gloriæ cupido cepisset, ut cum Imperatore triginta habente legiones, de eruditione contendere auderent. *Phavorinus* enim ab Hadriano Cæsare aliquando culpatus ab sermonem quem defendere optima ratione posset silere maluit. Reprehendentibus hoc amicis, dicebat, nolle sibi cum eo negotium esse, qui triginta haberet legiones. *Gerhard. Voss. lib. II. Gr. Hist. c.* 10. 11.

Græcis literes impense eruditus à plerisq; GRÆCVLVS appellatus est. Atheniensium studia moresq; hausit non sermone tantum sed & cæteris disciplinis canendi, psallendi, medendiq; scientiâ, Musicus, Geometra, Pictor, fictor ex ære vel marmore proximè Polycletos & Euphranoras, perinde omninò ad ista erat factus, ut elegantius nunquam quidquam humanæ res expertæ videantur, &c. *Aurel. us Victor in Cæsar. c. XIV. Ælius Spartian. c.* 2. 3.

Vno tempore scribebat, dictabat, audiebat, & cum amicis fabulabatur. *Spartian.* Confer CÆSAR.

Altercatio Hadriani Aug. & Epicteti Philosophi in manibus est, libellus festivus.

HALICARNASSÆVS V. DIONYSIVS.

HANNIBAL.

HANNIBAL expeditæ mentis & callidæ. *Ammian. lib.* 15. *c.* 26.

ANNIBAL & SCIPIO duo omnium & ante postea ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor. *Annæus l.* 3. *c.* 6. §. 6.

Scivit vincere, sed non uti victoria. *ibid.* §. 2.

HARPOCRATES.

HARPOCR. Isidis F. extectricineus digito ori apposito silentium indicere pingitur, hinc SIGALION *Ausonio.*

HECE-

HECEBOLIVS.

Sophista Constantinopolitanus, Sub Constantino ardens Christianus, sub Juliano *brutus Græcanicus ac fatuus Gentilis.* Cum enim ante oratoriæ domus Januam se prostravisset, conculcate me (clamitabat) FATUUM SALEM. Adeo leves & temerarius & ante & post fuit Hecebalius. *Suidas.*

HECTOR.

ἄμαχος ἀστραβῆς κίων. Troiæ inexpugnabilis & firma columna. *Pind. od. II. olymp. στ. ε.*

Hector MAGNUS *Virg. 6. æn.* Posteris temporibus ALEX. MAGNUS, CAROLUS MAGNUS, MAGNUS POMPEIUS; & ultra VALERIUS MAXIMUS, FABIUS MAXIMUS, de quibus suo loco.

Vid. ÆNEAS.

HECVBA.

Priami uxor omnia mala ingerebat, quem quem aspexerat, Itaq; adeo jure cæpta est appellari CANIS. *Plaut. Menæch.* vid. adag. *Intus Hecuba foris Helena.*

HEGESIAS.

HEGES. *πεισιθάνατος* MORTIS SVADA dictus. *Suid. in π.* Is à rege Ptolomæo prohibitus est in scholis dicere de morte, quod multi his auditis, mortem sibi consciscerent. *Cic. I. Tusc. c. 34.*

HEGESIAS eandem ob rem dictus *ἀγρία μέλιττα*, i. APIS AGRESTIS, quod aculeo orationis relicto necem inferret.

HEINSIVS.

Daniel HEINSIUS Huius seculi *Varro. Pareo in Plaut.* Vir absq; pari ingeniosus, eruditus & disertus, scriptor huius seculi primarius, veterum non paucis superior, paucis omninò inferior, cuius Græcas Latinasq; Musas, cuius eruditionem & eloquentiam, omnis posteritas amabit & venerabitur: Cuius Lepor & Gratia nulla non præconia merentur, satis autem extolli nequeunt, quia post homines natos vix quicquam tale inter eos paruit, &c. *C. Barth. lib. LIX. c. 13.*

Poeta ad ipsorum veterum palmam argutus. *Eid. ad Claudian. p.* 406.

Admirandæ doctrinæ & ingenii maximi Vir. *Casaub. ep. Martiali præm.*

HELIODORVS.

Vir Phœnix, Emesenus, ex genere Solis, Theodosii filius. *Ipse lib. X. Æthiopicarum orationum fine.*

Thessalici oppidi Triccæ Episcopus, cui provincialis Synodus iniunxit, ut aut igni aboleret *Æthiopica*, quæ Juvenis composuisset, aut Episcopatu abiret: quod & maluit. *Nicephorus l. XII. Eccl. Hist. c.* 34. *Vide judicium Photij ap. Caussinum.*

AMADEVS quidam Græciæ.

Disertissimus & castissimus amorum Scriptor, suavis, in persequenda narratione supra modum artificiosus. *Dempsterus.*

HELIOGABALVS

HELIOGAB. dictus est AUREL. ANTONIN. VARIVS à proavo materno, qui fuit *Solis Sacerdos* apud Phænices, quem ipsi Heliogabalum nominabant. *Aurel. epit.* 23. Vel Varius dictus, quod vulgò conceptus putaretur. *Lamprid. in vit. c.* 2. vel ab avia cui *Varia* nomen. *id. c.* X. Appellatus post mortem *Tiberinus* & *Tractitius*, & *Impurus*. Ipse privatus dicebat se *Apicium*, Imperator verò *Neronem*, *Othonem* & *Vitellium* imitari. c. 18.

HERACLIDES.

Calletianus, dictus LEMBVS, quòd ut scapha navem onerariam sequitur, ita ille parasitus & mensarum esset assecla. *Iunius adag. ex Laërt. & Athenæo.*

HERACLIDES.

HERAC. Ponticus Didymi Alexandrini auditor, scripsit libros, quos *Leschas* seu *Nugas* appellavit. *Suidas.*

Alius Platonis Auditor, ob molliculam vestem & corpus tumens, pro Pontico, ab Atticis POMPICVS dictus. *Laërt. l. V. p.* 358. quasi pompaticè & regali superbia elatus. *Volaterr.*

HERACLITVS.

HERAC. *Ephesius, philosophus Physicus*, cognomento Σκοτεινὸς OBSCVRVS. Corpus negligi, & sterquilinio fædius haberi jussit: ipse habuit, fimo bubulo se inungens, quod aqua intercute laboraret: sic verò stercore delibutum canes dilacerarunt, vel ut alii, arena obruit. *Suidas. Cic. II. Fin. c.* 5.

Tenebrosus, *Tertulliano de an. c.* 2. *quem & vid. lib. ad Martyr. c.* 4.

Inter Philosophos *apathes*, ob rigorem torvitatemq; naturæ duram & inflexibilem, *numeratur à Plinio lib. VII. c.* 19. *f.*

In eum hoc Epigramma extat.

Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος, τρισμύριοι: οἱ δ' ἀνάριθμοι
Οὐδείς.

Vnus homo est nobis id quod ter mille. Sed unus
Vix sunt innumeri. *Apud Laërt. lib. IX. p.* 637.

Κυκητὴς i. e. MEROBIBVS aut TVRBATOR potius (*Hadr. Iun. in notis*) seu juxta illustrium μιμητὴς SIMIVS & Affectator, audiebat Epicuro *apud Laërt. lib. X. p.* 712.

Est de eo Epigramma elegans *lib. V. Anthol.* 63.

Confer Titulum de ADOLESCENT. *n.* 25.

HERCVLES.

Θρασυμάχανος ἡρακλέης, σεμνὸν θάλος Ἀλκαϊδᾶν, i. e. Audax machinator Hercules nobile germen Alcaidarum. *Pindarus od. VI. olymp.* ἀντ. δ.

Tradunt fuisse præstantissimum Philosophum, & gestasse leonis pellem, clavamq;

clavamque & tria mala manu gestasse. Quæ tria mala ipsum abstulisse fabulati sunt, devicta varia malæ cupiditatis ratione clavâ philosophiæ. Amiculum, generosus animus, velut Leonis spolium. *Tria mala* tres virtutes, τὸ μὴ ὀργίζεσθαι καὶ τὸ μὴ φιλαργυρεῖν καὶ τὸ μὴ φιληδονεῖν, *non irasci, non esse pecuniæ cupidum, & voluptatibus addictum non esse.* Nam tolerantis animi clava, & spolio audacissimæ & sapientissimæ ratiocinationis, vicit venenum malè cupiditatis, ad mortem usq; philosophatus. *Suidas.*

Hercules dicti Theseus, Cleanthes, Briareus, Titormus, Ruticellus, & fortes alii. Vide suo loco.

Hercules TRIVESPERVS *d. Naz. or.* 3. *&* 4.

Ἀλεξίκακος, malorum propulsator invocatus. *Suidas.*

MELAMPYGVS, q. fortis ac strenuus. *Idem in Cercop. & Lycophronis Interpres.*

Hercules ob virtutem clarissimus, & quasi AFRICAN[illegible] INTER DEOS habetur. *Lactant. lib. I. c.* 9. *p.*

Ter binos Hercules cultos *memorat Ambrosius lib. IV. p.* 8[illegible] *de nat. Deor. c.* 16.

Hercules mortalium ferocissimus CHAROPS cognominatus à χαρᾶς ira, q. iracundè intuens, aut TORVVS, epitheto militibus congruo ap. Poëtas.

Quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum superavit, compescuitq; natrices, Divorum relatus in cœtum. *Arnob. lib. I. p.* 13. *Consule lib. IV. Anthol. c.* 8. *epigr.* 4 5. 6. *Max. Tyr. dissert. XXXIII. p.* 329. *Auson. Idyll. XIX.* qui duodecim labores Herculis numerat cum sint tredecim, addita constupratione quinquaginta virginum, *ex Naz. or.* 4. Casp. Barth. lib. XLV. Adv. c. 20.

Scytalo Sagittipelliger qui totam epithetismi sortem cum muliebri cultu compensavit. *Tertull. de pallio. c.* 4.

HERMES.

HERMES *Trismegistus*, Mercurius *Ter-maximus*: ut qui maximus *philosophus*, maximus *Sacerdos*, & maximus *Rex* extiterit. *Gyrald. dial. II p.* 57.

Sapiens Ægyptius; floruit ante Pharonem. Ter maximus à Trinitatis, qua de locutus est, doctrina dictus. *Suidas. Volaterr.*

Ob virtutem multarumq; artium scientiam, *Trismegistus* nominatus: non modo Platone, verum etiam Pythagorâ septemque illis sapientibus antiquior. *Lactant. de ira Dei, c. XI. Confer Ciceron.* III. *de Nat. c.* 22. *Vide judicium* Tilemann. *in discursu philol. p.* 48. *& Casauboni ad apparat. annal. exerc. I. c.* 20. *p.* 55.

Mysteria in eo multa & arcana nostræ legis: & si Ægyptium fuisse traditum sit, nec imbutum veris sacris. *Lipsius* 1. *misc. ep.* 99.

— *quid vetustus ejusdem* (scil. Canopicæ aut Ægyptiacæ)
Tyrannus aulæ, terq; maximus, Nili

Regnator

Regnator Hermes, qui logisticis punctis
Collegit astra: cœlici penetralis
Reseravit adyta: Venit ad DEOS ipsos,
Cœlo potius sic per astra captivo?

Scal. dedicat. Manil.

August. l. 8. *C.D.* Hermetem reprehendit, quasi pugnantia sit locutus, quòd cum patriam superstitionem deriserit; eam tamen quandoq; perituram doluerit. *Volaterr.*

HERMANNVS

Lotharingiæ Dux, opulentissimus Henrico IV. Imp. aliquandiu substitutus à Saxonib. REX ALLIORVM Knoblochskönig ab Imperatoriis per contumeliam appellatus est, quoniam ad arcem prope Islene, ipsi datam, allium abunde proveniret. *Crantzius.* 5. *Sax. c.* 10.

HERMODORVS.

Λογέμπορ[illegible] ORATIONVM CAVPO seu mercator. Platonis auditor, orationes ab illo [illegible] positas, profectus in Siciliam vendidit. *Suidas.*

HERMOGENES.

Tarsensis, cognomento XYSTER quasi SCALPTOR, Sophista, quem & Musonius Philosophus, & Marcus Imperator audivit. Annos natus circiter XVIII. artem Rhetoricam scripsit. Cum XXIV. ætatis annum attigisset, de sano mentis statu deturbatus, & à facundia atq; Sapientiâ sua desertus est. Quamobrem *Antiochus Sophista* de illo per risum: Ἑρμογένης ὁ ἐν παισὶ γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς *Hermogenes inter pueros senex, inter senes puer. Suidas. Philostr.*

Pari scommate verba eius dicta sunt *alata*, ob amissum facultatis dicendi habitum. *Volaterr.*

Si nomen spectes, *patrem* merito voces ipsum eloquentiæ, *præsidem, Mercurium. Gerard. Voss. VI. Inst. Or. c.* 5.

HERMOLAVS

Barbarus, omnium scientiarum alumnus, idem ac parens. *Iulio Scal. orat. de verbo inepti. p.* 372.

Qui quæ urbs orbis terrarum lumen est, eius ipse urbis maximum lumen fuit. *Muret.* 8. *var.* 12.

Hermol. lectionis vir incredibilis, ac in re literaria detritus planè & retorridus, & exactissimi Judicii, quem κατὰ πόδα insequi turpe videri posset nemini. *Cæl. Rhodig. l.* 6. *c.* 1. contra Theoninum dentem defendit. *l. XII. c.* 18.

HERO.

Philosophus Alexandrinus, quo de *Nazian. or.* 23. Adesdum CANIS, non impudentia, sed oris libertate; non ingluvie, sed boni custodia, vigiliisq; pro animarum salute susceptis, atq; etiam quia virtutis quidem familiares ac domesticos mulces, alienis autem oblatras!

HERODES ATTICVS.

Athenis natus, nobilitate generis potentiâ ſimul & Sophiſticâ facultate præclarus.

Ob ſplendorem & magnitudinem orationis à quibuſdam ſiccitatem amantibus, Orator SAGINATUS eſt dictus. *Volaterr. ex Philoſtrato.*

HERODES ASCALONIVS.

Παιδοκτόνος i. INFANTICIDA, quæ propria quaſi appellatio illi indita, non ſolum propter infantes Bethlehemiticos; ſed etiam propter tres filios proprios quos occidit, Alexandrum, Ariſtobulum, Antipatrum. *Cedren. Caſaub. ex. 2. c. 16.*

HERODES ANTIPAS

VVLPES d. Salvatori, cùm ob fraudulentiam quâ de *Perſ. ſat. 5.*

Aſtutum vapido ſervas ſub pectore vulpem

tùm ſævitiam. *Luc. 13. 32.*

VULPIO pro doloſo palpatore ac veteratore: ap. *Apul.* eidem *Amaſio* ſubdolus, impoſtor, fraudulentus dicitur *Vulpinari.*

Archilochus in apologis à ſe ſcriptis vulpem ubiq; callidiſſimam introduxit, unde *Archilochi vulpes* proverbio dicitur ſeu *Archilochi vulpecula.* Hinc ap. Platonem ſuadet Glauco, *ſapientiſſimi Archilochi* vulpem à tergo trahere. 2. *Rep.*

HERODIANVS

Alexandrinus Grammaticus, Apollonii Grammatici, cognomento DYSCOLI, filius. Fuit ſub Marco Antonio Imp. *Suidas.* Artium minutiſſimus ſciſcitator. *Ammianus Marcellin. lib. XXII. c. 42.*

Ad fidem pleraq; dixit. *Iulius Capitolinus in Clodio Albino. c. 13.*

Stilus eſt elegans, perſpicuus, ac talis planè, ut vix Hiſtoricorum ulli ulla virtute cedat. *Photius in Biblioth.*

Nulla Romana hiſtoria extat, quæ tam mirabiles rerum in Romano Imperio viciſſitudines non plurium annorum ſpacio complectatur. Ipſe eorum quæ commemorat αὐτόπτης & αὐτήκοος, *Henricus Stephanus in editione ſuâ.*

Hiſtoricus elegans, copioſus. *Dempſtero.*

HERODOTVS.

Thurius Scriptor. Iuliano in Epiſt. & Straboni lib. XIV. à Colonia Athenienſium quam incoluit.

Pater hiſtoriæ. Ciceroni I. *de L. L. c. 1. & in Orat. c. 12.* ſine ullis, *inquit* ſalebris quaſi ſedatus amnis fluit.

Dulcis & candidus & fuſus Herodotus. *Quintil. lib. X. c. 1.*

In Olympiis cantillans hiſtorias memoriæ à ſe proditas ac præſentium aures orationis ſuavitate demulcens, MVSARVM nominibus *eius libri* nobilitari & vocari cœpti ſunt, & illis novem exiſtentibus. *Lucianus in Herodoto.*

Aiunt Thucydidem recitationibus illis interfuiſſe, & quum eas audiviſſet, lacrymaſſe. quod ubi animadvertiſſet Herodotus, dixiſſe eum ferunt Oloro,

patri Thucydidis: Filii tui, ô Olore, ingenium magno impetu ad literarum studia fertur. *Marcellinus de vita Thucydidis.*

Inter Melicos *Stesichorus & Alcæus*: inter Tragicos, *Sophocles*: inter Historicos autem *Herodotus*: inter Oratores *Demosthenes* eximii. *Dionys. Halicarn. de vocum struct.*

Principes in dicendo *duo*: ex Historicis *Herodotus* ex philosophis *Plato. Idem de Demosth. vehementia.*

Herodoti libros mihi difficilius esset deponere quam cyathum. *Scalig. IV. de re poët. c. 11. Confer Telem. p. 244.*

Illustris, sæpe fabulosus Historicus. *Dempstero.*

THVRIVS λογοποιὸς i. nugax & fabularum, non historiæ parens & scriptor, *Iuliano in Epist. ad Suid.*

Prodiit emaculatissimè ab Oliva Pauli Stephani M. DC. XVIII. V. CTESIAS.

HESIODVS.

Cumæus à solo nativitatis; *Ascræus* à loco educationis, circa centum viginti annos, distinctus ab Homeri ætate, vir perelegantis ingenii, & mollissima dulcedine carminum memorabilis, otij quietisq; cupidissimus, ut tempore, tanto viro, ita operis auctoritate proximus. *Velleius Paterculus lib. II. c. 7. Plutarch. consolat. ad Apoll. p. 105. D. Confer* de ætatis discrepantiâ *Agellium lib. III. c. 11. Ciceron. lib. I. Tuscul. & lib. VII. epist. Famil. 12. Scaliger. I. poët. c. 5.*

Datur ei palma in illo mediocri genere dicendi. *Quintil. lib. X. c. 1.*

Dum armenta paterna puer custodiret, *à Musis amatus* fuisse perhibetur: quæ illi gustandam laurum dedere, unde vates factus est. *Plutarch.*

Homerus Lacedæmoniorum Poëta: *Hesiodus* Helotarum; quoniam ille bellligerandi hic agros colendi rationem præscriberet, appellatus à Cleomene. *ep. Ælian. lib. XIII. c. 19.*

Princeps ac primus omnium de Agricultura præcepit. *Plin. l. XVIII. & c. 24. & l. XIV. pr. Columella. 1. de re rust. c. 1. m.*

Pythagoram scripsit *Philosophus Hieronymus*, cum ad inferos descendisset, Hesiodi animam vidisse ad columnam æream suspensam adstrictamq; adeò ut stridere videretur, & cum ea Homeri quoq; animam serpentibus undiq; incinctam, ea videlicet solummodo causa, quod de Deis falsa suis carminibus confinxissent. *Gyrald. dial. II. de poëtis.*

Ex Hesiodi charactere miti illo facili, amœno, cuius periodi tanquam ad amussim quandam factæ, brevitate quadam æquali se mutuò excipiunt, totus inter Tragicos *Euripides*, inter Lyricos *Sappho*, inter Oratores *Isocrates* fluxit. *Daniel Heinsius ad Ianum Dusam Notis ad Hesiodum à se editum.*

Hesiodi opuscula quantus thesaurus infucatæ sunt Sapientiæ! *Casp. Barth. lib. XXIV. c. 9. Adv.*

Est de eo Epigramma III. Anthol. c. 25. n. 16.

HESY-

HESYCHIUS MILESIUS.

Illustris vulgò, dignitatis nota, in cognomentum ex errore abeunte, ut docuit, *Ioan. Meursius in Glossar.*

Vixit sub Anastasio Rege; scripsit Onomatologum, sive indicem eorum, qui doctrina celebres evaserunt. *Suidas.*

Alienis in vitam revocatis, lucem sibi addidit. *Ioannes Sambucus editor. v. Gerhard Voss. l. II. c. 22. de Hist. Gr.*

Christianum fuisse suspicatur. *Stephan. in notis p.* 791. contra ac *Suidas.*

Hesych. pluribus in locis author futilis est, ac planè Grammaticus. *Scal. ex* 131. *s.* 4.

HIEREMIAS.

Prophetarum omnium ad commiserationem propensissimus. *Naz. orat.* 17. Hierosolymam usq; adeò luget, ut rebus quasi inanimis luctum imperet ac muros ad lacrymas invitet. *Id. Or.* 4. Vid. ESAIAS.

HIERONYMUS

Stridonensis Episcopus. Blandum facundiæ nomen, & summus in omnibus artifex. *Causino lib XV. de forma Sacræ Eloq.*

Hieronymi Ingenium hoc fuit, ut conscius sibi profundissimæ eruditionis, paucis dicere plura & salem quendam acuminis in animo legentis velit relinquere. C. *Barth. l. LI. Adv. c.* 11.

Instruit ut *Hieronymus*, destruit ut *Lactantius*, astruit ut *Augustinus*, attollitur ut *Hilarius*, submittitur ut *Ioannes*, ut *Basilius* corripit, ut *Gregorius* consolatur, ut *Orosius* affluit, ut *Ruffinus* stringitur, ut *Eusebius* narrat, ut *Eucherius* sollicitat, ut *Paulinus* provocat, ut *Ambrosius* perseverat. *Sidon. de suo Claudiano, epist. III. lib. IV.*

Scientia tanta præditus, ut quod ipse ignoraverit, nullus hominum unquam scieverit. *Augustini de Hieron. testim. ap. Volaterr.*

Divus Hieronymus, ut divitem quandam ex omni disciplinarum & authorum genere constructam penum habuit in pectore: ita nemo doctrinæ suæ opes in scriptis ambitiosius (ut ita dicam) ostentat. Adeo sancta quadam gloria; quicquid in Vetere, quicquid in N. Testamento retrusum, quicquid in fabulis, in historiis, quicquid in Græcis, quicquid in Hebræis literis exquisitum, id objicit, infulcit, inculcat, *Erasmus adag. p.* 333.

Quo tandem modo, aut quibus ego verbis, tuam, *maxime Hieronyme*, ingentem simul pietatem ac facundiam describam? Quonam modo tot linguarum simul & totius prope antiquitatis ac philosophiæ admirabilem peritiam? Quomodo Heroicum illum in scribendo & cælestem ardorem tuum, quo imbelle Hæreticorum agmen, non secus quam mucrone quodam stricto, persecutus es ac profligasti? Quæ omnia prophanos etiã in admirationem rapiant, &c. *Heins. orat. III. pro Biblioth. munere Grat. act.*

Sanctus & eruditissimus & supra omnes eloquentissimus Ecclesiæ Doctor. *Dempsterus*.

HIEROSOLYMA.

Media Judææ, unde quibusdam ὀμφαλὸς τῆς χώρας i. *umbilicus* eius terræ dicta. *Ioseph.l.III. bell. Iud.c.2.* ex Ezech.38.12. Prima est tanquam *regia* Hieros. præ cæteris inter omnes accolas eminens, velut caput in corpore. *ibid.* τὸ πρόσωπον καὶ κεφαλὴ ὅλε τε ἔθνες, i. Caput & facies totius gentis: *id.l.4.c.6.* clarissima & ap. omnes hom. prædicatissima civitas *l. VII.c.18 f.*

Civitas perfecta pulcritudine, *gaudium* toti terræ. *Threnor.2.v.15.*

Nonnulli in ipsa urbe certum locum designârunt, in quo ipsum *umbilicum terræ* constituerunt, sed videatur *Casaub.ex.16.c.83.*

Vrbs PROPHETICIDA *Matth 23.37 act.7.52.*

HIGINVS.

Fabularum coacervator. C. *Barth lib. XI. c.1. advers.*

Antiquitatis studiosus. *Dempstero.*

HILARIVS.

Pictavensis Episcopus, murus fidei valida atque columna, Paulino I. de vita S. Martini.

Tuba Latini sermonis, *Hieronymo ap. Becman. c.1.*

Hilarius Gallicano cothurno attollitur: Eloquentiæ latinæ RHODANVS. *Hieronym. epist. ad Paulin. & procem. Epist. II ad Galat. Vid. Sidon. sub Hieron.*

HILAR. Lucifer ecclesiarum, pretiosus lapis, pulcro sermone aureoque ore universa loquitur, si & semina aliqua secus viam cedidisse potuissent: tamen ab eo in scripturis messis exorta est magna: Hunc ego alium à priore suo tempore fuisse putaverim. *Hæc censura Hieron. ap. Volaterr.*

HILARIVS.

HILARIVS Præsul Arelatensis, vir sanctus, *pauperumq; Sustentator. Volaterr.*

HIMERIVS.

Sophista sub Iuliano Imp. Proæresii Athenis æmulus, in senectute orbatus oculis. *Suidas.*

HIPPIAS.

E numero Sophistarum, artium multitudine prior omnibus, eloquentia nulli secundus: ætas illi cum Socrate; patria & genus ignoratur, gloria verò magna & fortuna modica: sed ingenium nobile, memoria excellens: studia varia, æmuli multi &c. *Apuleius II. Florid. pr. cuius verba sub tit.* ART. LIB. *n.68.*

De *Hippia Elæo Sophista,* eiusq; memoria, etiam senescentis, vi & gloria, qua n parvarum magnarumque civitatum tribubus inscriptus est. *vide Philostratum, lib.I. de vitis Soph. p.503.*

HIPPOCRATES

Cous Medicus, *Heraclidæ filius*: artis medicæ peritissimus. Præfertur enim etiam avo, patri Heraclidæ, quamvis eiusdem nominis esset, quod tanquam SIDUS & LUMEN fuerit MEDICINÆ in vita utilissimæ. Ἀστὴρ καὶ φῶς τῆς βιωφελεστάτης ἰατρικῆς. Apud omnes clarus: Adeo ut magnus ille Persarum Rex *Artaxerxes*, huius viri sapientiam expetierit, auri dona, quot ipse nominaret, & honorem Persarum principibus parem offerri jubens. Libri eius, Medicinæ studiosis sunt notissimi, eosq; adeo amplectuntur, tantiq; faciunt, ut divinas, non autem ex humano ore progressas voces esse putent. *Suidas*.

Primus ex omnibus memoria dignis ab studio sapientiæ disciplinam hanc (medicam) separavit, vir & arte & facundia insignis. *Cornelius Celsus. lib. I. princ.*

Omnis MEDICINÆ PARENS. *Eidem lib. VII. proœm.*

Divina vir scientia. *Agellio lib. XIX. c. 2 f.*

VERITATIS TRIBUNAL. *Laurentio Anatomico p.* 138.

Maximus ille Medicorum & huius scientiæ *Conditor. Sen. epist. XCV. pr. & mox.* Maximus Medicorum ac naturæ peritissimus.

Nec ego multorum ægrorum salutem non ab Hipocrate potius, quam ab *A*sculapio datam judico. *Cic. III. de Nat. D. c.* 38. *v. Plin. lib. XXVI. c.* 2. *f.*

Hippocratis proprium, ne fallere aut falli sciat. *Macrobius in I. somnij c.* 6.

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων, καὶ σώετο λαῶν
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπάνις εἰν ἀΐδη.

quod elegans Epigramma recurrit ordine retrogrado: sic à nobis redditum.

LUX *erat Hipocrates hominum*, SOTER *Populorum*;
MORS *necis, infernæ* PAUPERIESq; *domus.*

lib. I. Anthol. c. XXXIX.

Hippocrati quod pestilentiam ab Illyriis venientem prædixisset, dimissis ad auxiliandum circa urbem discipulis, Græcia ob meritum eosdem decrevit honores, quos *Herculi*: nam & is ἀλεξίκακος habitus est. *Plin. l.* 7.

Quid cum solo conferendum *Hippocrate*, ulla ætas vidit? Nam ut nihil in doctrina viri & cælesti judicio, experientia autem plusquã humana, putidè arrogare mihi videar, mira perspicuitas scribendi, accurata brevitas, incredibilis *Ionismi suavitas.*, etiam dicendi magistris pudorẽ incussit. *Heins. orat. III. pro Bibl. mun. grat. act. p.* 30.

Eius libri tanquam divino emanaverint ore, ab omnibus celebrantur. *Volat.*

HIPPOCRATIS Filius ob indocilitatem & incomtos mores à Comicis proscissus SUEM SAPERE ferebatur. *quin de eius liberis Eupolis Comicus.*

Sunt liberi Hippocratis nothi, insititij.
PECUDES BALANTES *moribus nullis bonis.*

Adag. p. 668. *& Galen. lib. quod animi mores corporis temperamento respondeant.*

HIRTIVS

Aut Oppius, Commentarios de bello Alexandrino, Africano, Hisp. scripsit, Julii Cæsaris adiunctos.

Hirtius Gallici belli novissimum imperfectumq; librum supplevit. *Sueton. in Cæs. c. 56.*

Hirtius, si quis alius autor styli militaris, libri de bello Africano. *C. Barth. lib. I. animadv. in Rutil. p.* 102.

Eloquens Historicus. *Dempster.*

HISPALIS

Metropolis Andalusiæ, utriusq; orbis nexus atq; commercium aliàs Sevilla. de ea omnium recte sentientium judicio factum diverbium: Qvem Devs Amat, Hvic Domvm Ac Victvm Hispali Largitvr. *Theatrum Vrbium, & Paul. Merula.*

Eundem in morem Pannonii olim de suo solo: *Extra Pannoniam non est vita, aut si est non est ita. Referente Cælio Rhod. l. 21. c. 24.*

HOESCHELIVS.

David Hoeschelius Græcæ literaturæ facile princeps.

Eruditus Græcorum quorundam interpres. *Dempsterus.*

HOMERVS.

De hoc nihil verius atq; illud *Suidæ*: ἄγνωστος τοῖς ἀνθρώποις, h. e. Ignotus hominibus.

Id quod *nomen, parentes, patria* contestantur.

I. *Melesigenes* quidem ipsi Nomen proprium, quod iuxta Meletem fluvium natus, secundum eos, qui Smyrnæum volunt: *Suid.* sed ὅμηρον dictum putant alii ab ὁμηρεῖν i. e. *sequi*, propterea quod Homerus etiamnum puerulus, Lydis de Smyrna relinquenda cogitantibus, & se secuturum dixit; *cum Plutarcho*: Alii ὅμηρος i. e. *obsidem* quod bello inter Colophones & Smyrnæos gesto, obses hosti datus. *Lucian. Verar. hist. l. 2.* Alii à voce ὁ μηρὸς. i. e. *femur* quod in utroque femore inde usq; ab ipso partu ingens longitudo crinium ipsi luxuriaret. *Cum Heliodor. in Æthiop.* Alii à *cæcitate*; cæcos enim à Cumanis & Jonibus ὁμήρους appellari: eo quod ὁμηρευόντων, h. e. ductorum indigeant. *cum Herodoto in vita Hom. & Ephoro Cumæo ap. Plutar. Æmilio Porto* dictus est ὅμηρος, q. ὁ μὴ ὁρῶν, i. e. *non videns*, non tam ex eo quod cæcus; quam quod cupiditate victus non fuit, quæ per oculos intrat: *ut inquit Suid.* quippe eum si quis cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbus est. *Vell. l. 1 c. 5. Vide Silium. l. XIII. p.* 571. *ubi Dausquius* Homeri luminibus hoc desecratum venit.

Si Solem Eridano nimis improba fata dedissent:
Mæonidem Solem vellet uterq; Polus.
Sol animus, Soles oculi, Sol totus Homerus,
Qui radiis hebetat signa minora suis.

II. A PARENTE *Mæone*, dicitur vulgo *Mæonides* & Mæonius. ſed & præter hunc, aſſignantur apud *Suidam*: inter alia, Apollinis & Calliopes Muſæ filius, & patria *cæleſtis* audit, *in epigram. Antipatri.*

Πάτρα σοι πλέθει μέγας οὐρανὸς, ἐκ δὲ τεκούσης
οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο καλλιόπας.

III. De PATRIA noti ſunt eiuſdem *Antipatri verſus ex Antholog. l. IV. c. 27.*

Septem urbes pugnant genus ob Sapientis Homeri.
Smyrna, Chios, Colophon, Ithace, Pylus, Argus, Athenæ.

Confer *Agell. l. III. c. XI.*

Nec tantum hæ ſeptem urbes, verum ſi ex *Suida* & *Plutarcho* rationem ineas, vel ter ſeptem, interque has & *Roma*, civem ſuum Homerum vendicabit, quæ ſane rei incertitudo *Appionem*, ſcil. *Grammaticum* movere potuit, ut umbras evocaret Homericas ad percunctandum, qua patria, quibuſve parentibus eſſet genitus. *Vid. Brodæum. in I. Anthol. p. 132. & Spondan. præf. Homeri*: Heſiodus eo hoc cautior, quod & patriam & parentes ſuos nominavit. *Vell. l. I. c. 7. Ælian. XIII. var. hiſt. c. 22.*

Eſt autem *his* ambiguus, quod propter ingenii magnitudinem, nullo modo creditum fuerit eum eſſe mortalem. *Suid.* quos certè ita omnes non ſuperaſſet, niſi è *divinis* quibuſdam revera fundamentis extitiſſet, *Heliodor. l. III. f.* aut certe Muſis genus & patriam reliquiſſet, *ut eſt in epigram.* 3. dictumq; confirmant *Antipatri ibid. IX.*

Ἐι θεός ἐστιν Ὅμηρος, ἐν ἀθανάτοισι σεβέσθω·
Ἐι δ' ἂν μὴ θεός ἐστι, νομιζέσθω θεὸς εἶναι.

quod ſic forte reddimus.

Si DEus eſt, inter divos veneremur Homerum,
Si nondum DEus eſt; eſto hodie ille DEus.

Ita Silius. l. XIII. v. 788.

—— —— *meruit DEVS eſſe videri,*
Et fuit in tanto non parvum pectore Numen.

Sic Sannazarius. *Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ*
Cedite jam; cælum patria Mæonidæ eſt.

Et X. Epigram. Antipater:

Εὗρε φύσις, μόλις εὗρε. τεκοῦσα δ' ἐπαύσατο μόχθων
Ἐις ἕνα μοῦνον Ὅμηρον ὅλην τρέψασα μηνοινήν.

Quod aut hoc noſtro, aut tu meliori diſticho:

Viſcere nixa omni, vix hunc enixa Poetam eſt
Docta Phyſis, vatem non paritura novum.

Eidem Antipatro. l. III. c. 25. epigr. 3. eſt.

Ανδρῶν ἡρώων κοσμήτωρ θεῖος Ὅμηρος, h. e.
Heroum ornator divinus Homerus.

Heroum

Heroum Vates Suidæ in ἥκαχον.

Καλλιόπας γλυκερὸν στόμα. *Dulce os Calliopes. Moſcho Idyll. III. v. 73.*

λῷστος ἀοιδῶν Optimus Poëtarum. *Theocrito Idyll. XVI. v. 21.*

Fons ingeniorum. Plin. lib. XVII. c. 5.

Primus doctrinarum & antiquitatis parens. *Eid. XXV. c. 2.*

Priſcæ poëticæ divinus auctor apud Graios. *Apul. IX. metam. p. 349.*

Homerus Heroicus Sophocles, ut Sophocles Tragicus Hom. *Polemoni ap. Suid. in Pol. & Laërt. l. IV. p. 266.*

Ὁ ἄριστος καὶ ὁ θειότατος τῶν ποιητῶν. Socrati ap. Plat. in Jone. Sic Plato qui civitate ejecit, cælo oſtendit dignum. *ait Lipſ. ad Vell. l. c.*

Ἐν τοῖς πρεσβυτάτοις καὶ σοφωτάτοις τῶν ποιητῶν. h. e. in antiquiſſimis & ſapientiſſimis Poëtis poſitus ab *Æſchine orat. in Timarchum p* 189.

Omnis vetuſtatis certiſſimus author. *Apul. in apolog. 1 p* 49.

Divinarum omnium inventionum origo. *Macrob 2. Somnii.*

Tyrius eius ſe laudibus non parem fatetur niſi mutuatis ab illo his verſibus:

Ἔξοχα δή σε βροτῶν, ὦ Ὅμηρε. αἰνίζομαι πάντων
Ἤ σέ γε μοῦσα δίδαξε διὸς παῖς, ἢ σέ γ' Ἀπόλλων. h. e.
Præ quovis hominum mihi magnus Homeree es,
Seu te Calliope docuit, ſeu flavus Apollo.

Diſſert. XVI. ubi inter cætera: Ille animo ubiq; vagatus eſt, perluſtravit omnia. Ille, quæ in cælo moventur, quæ in terra mutantur; Ille Deorum conſilia, hominum naturas, Solis lumen, Siderum choros, generationem animalium, refluum maris gremium, fluviorum oſtia, aëris diverſitatem perſpexit. *adde diſſ. VIII. & VII. f.*

Non mirandum ſi in eo *naturæ Idea* quædam, non ars extare dicatur, &c. *Scaliger V. poët. c. 2.*

Clariſſimum Homeri ingenium ſine exemplo maximum: qui magnitudine operum & fulgore carminum ſolus appellari POETA meruit. In quo hoc maximum eſt, quod neq; ante illum, quem ille imitaretur, neque poſt illum, qui eum imitari poſſet, inventus eſt, neq; quemquam alium, cuius operis primus auctor fuerit, in eo perfectiſſimum, præter Homerum & Archilochum reperiemus. *Vellei. l. I. c. 5.*

Hinc αὐτοδίδακτος *Pelufiotæ lib. IV. ep. 30.*

Κορυφὴ ἁπάντων καὶ σκοπὸς, ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα, καὶ πᾶσαι κρῆναι. Vertex omnium & q. Scopus, ex quo cuncta flumina, cuncta maria, cuncti fontes. *Dionyſ. Halicarnaſſ. de collocat. Verborum. c. 85. Confer Macrob. V. Saturn. c. 13. f.*

Hinc Galaton pictor eum finxit *evomentem*, reliquos v. poëtas ea, quæ ipſe evomuiſſet, haurientes. *Æl. l. XIII. c. 22. Confer. c. 20.*

Sophiſtarum *pater*, Sophiſtarum *vox*: ut *Archilochus Spiritus*: *Hippodromo ap. Philoſtrat. p. 615.*

Homerum cunctos sui temporis poëtas, in quo quisq; maximè excelleret, superasse. *Philost. iterum in Heroicis. p. 665.*

Certè similis Homero nemo. *Cic. II. divinat. c. 47.*

Plato primum ad artem poëticam animum adjiciens, & Heroica carmina cæpit condere, quæ postea combussit, cum ad Homeri versus examinans, longè illis deteriora videret. *Ælian. II. var. hist. c. 30.* Illius Musæ alumnus Plato. *Max. diss. XVI.* Confer. & *Æl. l. XIII. c. 19.* sub Hesiodo.

Interea autem, quæ de Homero dicta sunt, hoc omnium est verissimum, solum hunc Poëtam fastidia hominum evitasse, novum semper & ad captandum gratiam, florentem. *Plutarch. de garrulit. p. 504. D. adde Tyr. diss. VII.*

Humani ingenii modum excedit; ut magni sit viri, virtutes eius non æmulatione (quod fieri non potest) sed intellectu sequi. *Fab. l. X. c. 1.*

Homerus Sapientissimus, ferè complexus est suis Poëmatis omnes res humanas. *Xenophon in convivio p. 881. Adde Aristophan. in Ranis a. IV. s. 2. v. 29.*

Pater omnis virtutis. *Iustiniano in constitut. omnem §. fin.*

Præcipuus Poëtarum *l. aut facta. 16. §. 8. ff. de pœnis.*

Summus ap. Græcos poëtarum. l. qui venenum. 236. ff. de V. S.

Cum *poëtam* dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius. §. *2. tit. II. lib. I. Instit. de I. N. G. & C. Cic. top. ad Trebat. c. 13.*

Elegantiarum pater: Nam ex eo nomina & verba, ut ex Oceano, Mæotis, & Mæotide pontus, ex ponto Hellespontus, ex Hellesponto mare defluxerunt. *Max. diss. XVI. p. 158. quo ad res* Chrysippo & Crantori præfertur ab *Horatio. l. I. epist. II. p.*

Acexander Magnus scrinium Darii, auro gemmisq; ac margaritis pretiosum, librorum Homeri custodiæ dedit, ut preciosissimum humani animi opus, quam maxime diviti opere servaretur. *Plin. l. VII. c. 29 Plutarch. in Alexandro.*

Homerum ante omnes æstimabat *Arcesilaus*, cuius adeo studiosus erat, ut semper ante somnum aliquid ex eo libaret. Manè vero cum surgeret pariter: & cum lecturus, aiebat; *ad Amasium se ire. Laërt. l. IV. in vita Arces. p.*

Alcibiades Magistro, qui Homerum non habebat, colaphum impegit. *Vide Æl. l. XIII. c. 38. Plutar. apoph. p. 186. D.*

Sed quod *veterum* laudes volumen capiat? ne quid dicam de *hesternis encomiis* quibus passim, *ut divinarum omnium inventionum fons & origo*, PALMA *ingeniorum* celebratur, *à Lipsio cumprimis II. physiol. Stoicæ disser. 14. l. I. manud. diss. 7. & in animadvers. ad Vellei. ubi cum Scaligero hac de re agit, & concludit*: nemo tam consentienti Judicio sapientum omnis ævi laudatus est; & id ab iis maxime, qui ipsi laudatissimi. Abi igitur imperitia aut Livor! tu capere, tu carpere non potes *immortalem hanc cælestemq; naturam* (quæ Fabii verba l. d.)

Quin Lipsianis addit *Philostratus*: *eos qui Homerum haud diligunt insanire.* in Heroic. p. *665.*

Et hunc *Adrianus* tollere, & substituere Antimachum voluit, *Xiphilin. p. 353. n. 10. Confer Tileman. p. 211.*

Hom. Fons, doctor, magister, *modimperator* unicus, omnis poëseos APOLLO. C. *Barth. XLII. adv. c. 22.* cui displicet *Scaligeri* judicium, Virgilium Homero præponentis *l. c.* nec tamen eius floccifacit rationes. *l. LVIII. c. 10. quo remittimus lectorem.*

Homeri imaginem vide *l. V. Anthol. epigr. 61.*

Primus sine exemplo & supra fidem admirandus. *Dempstero.*

Laudibus arguitur vini VINOSUS *Homerus.*

Horat. lib. I. ep. 19. v. 6.

Homer. peritus texere fabellas, & dulcissimè vanus. *Aug. 1. Confess. ubi in eum plura.*

Cum Christiani à Juliano prohiberentur uti Græcarum studiis, *Apollinaris Syrus* ad imitationem Homeri, Hebræorum antiquitatem heroico carmine scripsit, usq; ad imperium Saul XXIV. libris, unicuiq; libro literæ nomen ponendo, ut in Homero legitur. *Sozomenus. Volaterr.*

Hom. ingeniorum *Vertex. Minoi in embl. 11.*

HORATIUS.

Quintus Horat. Flaccus Venusinus (est autem Venusium Apuliæ oppidum) patre, ut ipse quidem tradit libertino & exactionum coactore, ut vero creditum est, *Salsamentario*, cum illi quidam exprobrasset in altercatione, *Quoties ego vidi Patrem tuum brachio se immungentem?* Habitu corporis brevis fuit atque obesus: qualis & à semetipso in Satyris describitur: hinc ab Augusto HOMUNCIO appellatus. *Sueton in vita.*

Lyricorum HORATIUS ferè solus legi dignus. Nam & insurgit aliquando, & plenus est jucunditatis & gratiæ, variis figuris & verbis felicissime audax. *Fabius instit. l. X. c. 1.*

Hinc inter Lyricos sublimi vertice vates
Sidera summma ferit. &c. ap. Crinit. l. III. c. 38.
Flaccus Lyricos Pindaricum ad melos
Frenis flexit equos plectripotentibus, &c.

Sidonius. lib. IX. ep. 13.

Vafer. Persio Sat. I. v. 116.

Latinum *fidicinem* seipsum nominat *l. I. epist. 19. v. 33.*

Romanæ *fidecinem* lyræ se vulgo dici adprobat. *l. IV. od. 3.*

Scriptor non urbanus modo, & quæ virtus multum ab hac est diversa gravis, cum hoc agit, ac sublimis: sed imprimis optimus vivendi autor; & qui si fateri verum volumus, pręstat aliquid quod non promittit. Quo fit, ut dum quisq; tanquam ad poëtam accedit, fructum tanquam à Philosopho reportet. Locum puta illustrem, aut præclarum aliquam sententiam. *Heinsius sua edit.*

Brevius; autor plurimæ urbanitatis, & si quisquam, optimus virtutis ac sapientiæ Magister. *Idem.*

Potamonis, eius cuius discipuli ab ipsa veritate *Philaletes* dicti & *Eclectici*, quod optima seligerent, discipulus. *Idem.*

Flaccus ita placuit *Augusto*: ut se invidere Mæcenati unum hominem tanto maiori, fateretur. *Ibid.*

Archilochi animos, numeros atq; ingentem Spiritum in Epodis expressit. *Id. lib. de Sat. Horat. p. 4.*

A numerorum elegantia, quam in Lyricis amaverat, solus ab antiquitate NVMEROSVS appellatus est. *ibid. p. 6. Ovid.*

Syllabarum observantissimus Poëta & unicus artifex Horatius summâ meritissimaq; laude, à viro nostri seculi, aut superioris verius, principe *Iul. Scaligero, elaboratissimus* perhibetur. *Barth. l. VIII. advers. c. 22. Confer Scal. V. poet. c. 7.*

In odis alto & sublimi spiritu poëtam dedit, qualem ipse describit, cum inquit:

Ingenium cui sit, cui sit, cui mens divinior, atq; os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.

l. I. Sat. IV. v. 43. Heinsius. not. in art. poët. p. 67.

Lyricorum phænix. *Dempstero.*

Hic quia moribus & verbis familiaribus obscænior, inter jocos alios, *purissimus penis* ab Augusto dictus est. *In vita Horat.* Ein Garsthammel. Idq; ex speculato eius cubiculo admodum liquet: *quo de alij*: Nam sanè fæditates nemo bonus nominare debet, nedum ut literis mandet, *divinum divini Viri monitum est. III. poët. c. 98 quo ipso.*

HORATIVS ingratus atq; animo barbaro ac servili dicitur.

HORATIVS

COCLES d. quod in prælio oculum amiserat. *de quo Horatio Aurelius c. 11.*

HORTENSIVS.

Q. Hortensius Orator, PISCINARIVS dictus Ciceroni, quod lautitie præsertim piscinarum delectaretur. Fertur *clamore diruptus* in actione causæ. *Macrob. Q. Serenus. Volat.*

Hortensius omnibus fermè Oratoribus ætatis suæ, nisi M. Tullio, clarior, compositè indutus & manibus inter agendum gestuosis, maledictis, appellationibusq; probrosis jactatus est & dictus HISTRIO: & à *L. Torquato*: GESTICVLATORIA DIONYSIA, notissimæ saltatriculæ nomine; Respondit tamen in judicio Torquato infestivo & agresti, voce molli atq; demissa: Dionysia malo equidem esse, quàm, tu Torquate, ἄμουσος, ἀπροσδιόνυσος, ἀπρόσιτος i. e. illiteratus, rusticus, inaccessus s. minus affabilis. *Agell. l. 1. c. 5.*

HORVS.

Apud Ægyptios idem quod *Apollo*: *Niliacus* dicitur à Nilo urbe Ægypti: Hic cum de sacris literis suæ gentis scripsisset, Philippus Græcus auctor eius

libellum Ægyptium in Græcam linguam vertit: *Nicolaus Caussinus Parisiis edidit, A. M. DC. XVIII. quem Consule, ut noscas Auctorem, & ab aliis dignoscas.*

HYPERECHIVS.

Quidam gastrensis apparitor i. ventris minister & gutturis. *Ammian. l. 26. c. 23.*

HYPERIDES.

Orator Atheniensis, inter X. in dicendo ad populum fertur omnibus aliis præstitisse. Sunt qui eum ante Demosthenem ponant. Dicitur absque fuco ad populum orasse, & rebus ut erant gestæ, narrandis contentum, judices non perturbasse. *Plutarch. in X. orat. vit. p. 849. & seq.*

Huic lingua traditur excisa. *ibid. & in Demost. p. 859.*

Phrynen meretricem nudato eius pectore coram judicibus à calculis damnatoriis liberavit. *Plutarch. l. c.*

Dulcis imprimis & acutus Hyperides, sed minoribus causis non dixerim utilior, magis par. *l. X. c. 1. Fab.*

I.

IACOBVS Minor,

Christi discipulus ob sanctitatem supra ætatem incredibilem, SANCTVS dictus vulgò, *Sabell. l. 6. 3.*

IACOBVS ET IOANNES.

Acceperunt à Magistro nomen BOANERGES i. FILII TONITRUI. διὰ τὸ μεγαλόφωνον. *Nazianz.* quia illis daturus erat sonoram vocem, quam tonarent in toto orbe. *Marc. 3. 27. ubi Theodorum in not. vide.*

IACOBVS Martyr.

Persa genere, à præfectis membrorum nodis DENODATVS nuncupatus est. *Zvving.*

IACOBVS EPISCOPVS Genuensis.

Ob crebras allegorias VORAGO dictus est. *Trithem.*

IACOBVS

ARRAGONVM Rex, ob res magnificè sanctéq; gestas FORTVNATVS & FELICIS MEMORIÆ fuit appellatus. *Marin. l. 10. rer. Hisp.*

IAMBLICHVS

Vt Clarissimi nominis Philosophus, ita & illustris genere, natus familia amplissima & locuplete. Patria illi Chalcis, Syriæ, quam Cælen nominant, civitas. Hic cum Anatholio, qui à Porphyrio secundum locum obtinuit, consuetudinem aluit, sed multis eum modis superavit & *ad summum philosophiæ gradum adscendit.* Ab eo coniunxit se Porphyrio, quo nulla in re fuit inferior, præterquam in concinna orationis structura dicendiq; facultate: quippe (quod de Xenocrate dictitabat Plato) *non sacrificavit Mercurialibus gratiis. Eunapius in Iamblicho. p. 20.*

Magnus

Magnus & divinus Academicorum Philoſophorum Sacerdos. *Marſilio Ficino in dedicat. operis.*

Ad hunc Iulianus Imp. ep. 35. Tu non ſolum Pindarum aut Democritum, aut Orpheum illum antiquiſſimum ſed omnes omnino Græciæ philoſophos, qui in eo genere floruiſſe memorantur, tanquam in lyræ variis è ſonis concentu, ad perfectam muſicam coniunxiſti: atq; ut Argum, qui Io delicias Jovis cuſtodiebat, pervigilibus oculis undiq; Poëtæ obſepiunt: Sic te *virtus verum & Germanum cuſtodem* puris doctrinæ luminibus illuſtrat eloquentia &c. *Nam ibidem Proteo, Orpheo, maiorem: Homero,* Platoni, Socrati, vita & oratione parem facit, hocque proſequitur voto: Vtinam (ô Servator Jupiter & ſancte Mercuri) contingat Jamblichum optimum. i. e. *commune orbis terrarum commodum* (τὸ κοινὸν ἁπάσης τῆς οἰκουμένης ὄφελος) longiſſima vita frui.

Eidem Iuliano ep. 40. Ψυχῶν ἐλλογίμων ἰατρὸς i. e. animorum ſtudioſorum *medicus & Æſculapius: de cuius ita epiſtolis ibid. f.* Ac ſane epiſtolam unam Iamblichi malim, quam totum Lydium aurum poſſidere.

Quæ Eunapius fuſe de hoc, ea compendio Suidas in Iamblicho. confer G. Voſſ. l. II. de Gr. Hiſt. c. 19.

IGNATIVS

Martyr, & Theopoleos Antiochiæ Archiepiſc. THEOPHORVS, Θεοφόρος & Θεόληπτος appellatus *ap. Niceph. II. hiſt. c. 35.* eo quod à Chriſto DEO manibus aſſumptus ſive geſtatus fuerit: licet alii plures Θεόφορον idcirco dictum fuiſſe putent, quod intimis animi receſſibus nunquam non Deum præ ſe tulerit, & IGNE charitatis, unde forſan & *Ignatius* appellatus eſt, exarſerit. *Maſtraus in edit. ſua Pariſ. notis p. 7. Confer Chemnit. parte I. examinis L. de traditionibus.*

IOANNES BAPTISTA.

Præcurſor Chriſti, Angelus Chriſti, & Lucerna lucens ante Chriſtum. *apud Tertull. lib. adverſ. Iudæos c. IX. ex S. literis.*

Præcurſor Verbi, ſacerdotii ſpeculum, ſanctitatis exemplum, Evangeliſtarum princeps, *clauſula* Prophetarum. *Chryſol. ſer. 86.*

Prophetarum apex, Legis perfectio V. ſimul ac N. Teſtamenti SEQVESTER, eremi civis, temperantiæ opifex. *Baſil. Sel. or. 18.*

Solitudinis alumnus ac nullius cibi homo, NOVUS ELIAS, qui eum etiam qui prædicabatur, vidit, inter V. ac N. Teſtamentum interiectus. *Naz. or. 39.*

Prænuncius Chriſti: Præco Judicis: Propheta Altisſimi: Vox verbi: Amicus Sponſi: Teſtis Domini: Lucerna luminis: Terminus Prophetarum: Baptiſmatis initium. *Iſidorus Hiſp. lib. I. de Patrib. V. T.*

JOANNES

THEOLOGVS divinitatis intimus & ſine pari CONTEMPLATOR ac (ut ſic dixeris) A SECRETIS in Apocalypſi. *Rhodig. l. 7. c. 24.*

IOBVS.

Verè magnus ille & generosus VERITATIS PVGIL, primus aperuit gymnicum illud, & ingens, atque adeo totum terrarum orbem includens stadium, hic adversarium omnibus congressibus prostravit: hic vicibus & plagis ad ipsa ossa penetrantibus acceptis permansit invictus: hic vermibus scatens corollam meruit: *& post præconia alia*: habes & librum eius, multo & Homerica & Platonica luscinia cantillantem argutius. *Suidas.*

τῆς ὑπομονῆς ἀπερίτρεπτον πύργος. Immota illa patientiæ TVRRIS. *Chrysost. hom. de pat.*

Ἄνθος ὑπομονῆς FLOS patientiæ. *Eidem Hom. III. de pœnit.*

O felicissimum illum quoque, qui omnem patientiæ speciem adversus omnem Diaboli vim expunxit. Quem non abacti greges, non ille in pecore divitiæ, non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipsius deniq; corporis in vulnere cruciatus, à patientiâ (fide Domino deditâ) exclusit, quem Diabolus totis viribus frustra cæcidit. Neque enim à respectu DEI tot doloribus avocatus ille est, sed constitit nobis in *exemplum & testimonium*, tam spiritu quam carne, tam animo quam corpore, patientiæ perpetrandæ: ut neq; damnis secularium, nec amissionibus charissimorum, nec corporis quidem conflictationibus succidamus. Quale in illo viro *feretrum* DEUS de Diabolo extruxit! Quale *vexillum* de inimico gloriæ suæ extulit! &c. *Tertull. lib. de patientia. c.* 14. *Vbi &* operarium victoriæ DEI *nuncupat.*

Spiritui Sancto est ἀνὴρ ἁπλὸς καὶ ὀρθός. Vir SIMPLEX & RECTVS. Sua enim & simplicitati sinceræ laus, *Tilem. disc. philol. p.* 384. *ubi Plin. adducit VI. ep.* 26. qui perfectissimos cuiusdam mores descripturus, dicit eum esse puerum *simplicitate* comitate juvenem, senem gravitate.

IONAS.

Imprudens ipse inhumanitatis vitio sauciatus. *Basil. Sel. or.* 12.

Malorum potius tolerantiâ Christum est imitatus, quàm verbis prædicarit, nec verbis Domini sepulchrum prædixit, sed in Ceto sepultus & post triduum sine noxa redditus, omnes docuit mortales, immortalitatis januam esse mortem, ac de sepulchro vitam erumpere. *id. or.* 13.

IORNANDES,

Aut IORDANES *& Iordanus, Episcopus Ravennas*: *qui de se, de reb. Get. c. L. a. f.* Ego, quamvis agrammatus, ante conversionem meam *notarius* fui. *Gruter. de eod. in not. pr.* Adeo ignarus fuit aut scriptor iste, aut eius utiq; exscriptor Latinæ linguæ, ut millies migret rationem usitatam loquendi.

Episcopus Gothicæ originis, non contemnendus Historicus. *Dempst. Edidit Lindenbrog. Hamburgi. A.* 1611.

IOSEPHVS Patriarcha.

Patriæ senectæ cultor, Osores amans, N. Testamenti conservationem enuncians,

enuncians, *mansuetum mancipium*, perpetiens servitutis sine dispendio libertatis, in potestate humanissimus & in dominatu mitissimus divinæ bonitatis imitator. *Basilius Seleuc. or.8.f.*

Speculum castitatis *Ambros. de Ios. c. 1.*

Dictus à Pharaone, PSONTHOMPHANECHUS i.e. κρυπτῶν εὑρετής, *occultorum inventor* ob incredibilem prudentiam *Ioseph.2. antiq. c.5. p.44.*

TZOPHNATHPHANEACH. *Gen. 41. 45.*

IOSEPHVS IVDÆVS.

Antiquitatum Judaicarum *vernaculus vindex. Tertull. apologet. adv. gent. CXIX.*

Ἀνὴρ ἐπὶ παιδεύσει καὶ ἐδήσει λόγων ἐπισημότατος i.e. vir eruditionis & eloquentiæ nomine clarissimus. *Isidoro Pelusiota l. III. ep.81.*

διάκονος τῆς τοῦ θεοῦ φωνῆς i. minister ac *internuncius vocis DEi ad Vespasian. s. de eius imperio. Ios.5. bel. Iud.12.*

Hic ob ingenii gloriam Romæ statuam meruit, & libri eius Bibliothecæ publicæ traditi. *Hieron. de Scriptorib. Eccles. Euseb. l.III. c. 9.*

Diligentissimus καὶ φιλαληθέστατος omnium Scriptorum *Iosephus*: de quo nos hoc audacter dicimus, non solum in rebus Judaicis, sed etiam in externis tutius illi credi, quam omnibus Græcis & Latinis. *Ioseph. Scalig. de emendat. tempor. proleg.*

IOSVA.

SECUNDUS MOSES populi secundi, qui imaginem nostram in promissionem DEI induxit, in quo primo nomen Domini dedicatum est. *Tertull. lib. de monogamia. c.6. f.*

περὶ τὰ ἔργα καὶ τοὺς κινδύνους εὔψυχος, καὶ μεγαλότολμος. i. e. in re imperatoria fortis & impiger. *Ioseph. V. antiq c.1. f. ubi plura.*

IOVIVS.

Paulus Iov. Novocomensis, Episcopus Nucerinus, in cuius effigiem inter alia *Bonaventura Vulcanius.*

Quis JOVIUM certare JOVI non dixerit ipsi?

Musarum CUPIDO *Ioanni Latomo.*

Hunc simulare falsa, vera dissimilare *Bodinus* scribit, eumq; cur ita? rogatum, respondisse: amicorum gratia id à se factum. *Method. histor. c. 4. p. 72. Censuram Tilemanni vid. in disc. philol. p. 235.*

Lipsius sane *Bodinum* dixit *judicio & fide ambiguum.* ubi affectus non distrahunt, rectum; ubi illi adsunt, obnoxium. Ad gratiam scil. se dare & auram. Laudationum sæpe nec causam nec modum habere: Genti suæ nimis ex professo addictum. *Notis ad I. polit. Confer Rittershus. animadversionib. in vitam Friderici I. Imp. à Iovio descriptam, sub finem Güntheri p. 213.*

IPHICRATES.

Iphic. Sutoris F. Atheniensis Orator & Imperator, primus spoliis Epigramma addidit, quo *Ducis* mentio fieret, cum superiori tempore solius *urbis* nomen inscriberetur. *Suidas.*

IRENÆVS.

Omnium doctrinarum curiosissimus explorator. *Tert. advers. Valent. c. V.*

ISAAC.

ISAAC. i. RISVS parentum nempe *Gen. 21. 6. Aug c. D. 16. c. 31.*

ISÆVS

Vnus X. oratorum, discipulus Isocratis, magister Demosthenis, genere Atheniensis. Demetrius eum Chalcidensem esse dicit. *Suid. ex Plurarcho & Dionysio Hal.* qui Isæum sublimitatis Demosthenicæ, quam nemo est, qui non absolutissimam omnium habeat, semina scribit & initia præbuisse. *fin. judic de Isæo.* Eius orationes interpretatur *Alphonsus Miniatius Bononiensis.*

ISCANVS. V. DARES.

ISCHYRION

Mareotidis Episcopus, *à semetipso electus* gr. αὐτοχειροτόνητος, Athanasii accusator in Synodo Mareotica. *Synodicon. c. 37.*

ISIDORVS PELVSIOTA.

ISIDORVS *presbyter* vir eloquentissimus, philosophus atq; Rhetor, epistolas 3000. divinam scripturam interpretantes scripsit, & alia quædam. *Suidas.*

In Pelusio Ægypti monte monachis præfuit Abbas, D. Joan. Chrysostomi discipulus. Iste carnem sic maceravit, sicque animum arcanis & divinis doctrinis saginavit, ut Evangelicam in terris vitam traduceret, *&* VIVA *animataq; divinæ contemplationis* COLUMNA, *& velut primarium quoddam exemplum flagrantis æmulationis, doctrinæq; spiritualis esset. Evagrius l. 1. c. 15. Nicephor. Callistus lib. 14. c. 53.* ἔμψυχον κίονα ἀσκήσεως dixit instituti monastici ANIMATVM COLVMEN.

Claruit sub Theodosio Iuniore A. Dom. 440.

ἀψίγλωττον appellat *Damascius ap. Suid. in ἀφέλεια*: quod una cum simplicitate veritatem amaret, probaret, & sine omni simulatione eloqueretur.

Ἄκραν ἐν θεολογίᾳ ἐπιστήμην περιβεβλημένον, i. e. Summa Theologiæ scientia instructum. *Suid. in Σαραπίων.*

ISIDORVS

HISPALENSIS *Episcopus*, Auctor originum sive Etymologiarum: quibus tamen quandoq; nil nisi nugas agit, & risum movet. *t. Christiano Becmanno de propria significatione vocum. p. 13.*

Vir non tam doctrinâ, quàm vita philosophus: & in dicendo non tam rudis, quam inexercitatus. *Volaterr.*

Grammaticus necessarius in quo pleraq; quæ nusquam alibi. *Dempster.*

ISOCRATES.

Theodori *tibiarum fabri* filius, Atheniensis Rhetor: Gorgiæ discipulus, Platonis

Platonis æqualis: qui *Plato omnium exagitator Rhetorum*, hunc miratur unum. *Cic. Orat. c.13. & de optimo genere orat. c.6. Plato in Phædro.*

ISOCRATES doctor singularis. *Cic. III. de oratore. c. 9.*

Pater eloquentiæ. II. de orat. c.3.

Hoc in eius summis laudibus ferunt, quos verbis solutis numeros primus adiunxerit. *Id. in orat. c.52.* Hinc suavitas ipsi tributa. *Id. III. orat. c. 7.*

Hinc orator mellitus. *Lipsio III. Polit. I.*

Suavitatem ISOCRATES, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Æschines, vim Demosthenes habuit. Hinc dictus ATTICA SIREN. & Siren quidem eius sepulchro, cantantis speciem præ se ferens insistit. *Philostratus in vita Isocr. p. 2.*

ISOCRATES magister istorum (Rhetorum) omnium: è cuius ludo tanquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt. Sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt. *Cic. II. de orat. c. 22.*

Φάος ῥήτρης. Lux oratoriæ. *l. V. Anthol. epigr. 49.*

ISOCRATIS domus cunctæ Græciæ quasi ludus quidam patuitatq; officina dicendi: magnus orator & *perfectus Magister*: quanquam forensi luce caruit, intraq; parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem est postea meo judicio consecutus. *Id. in Bruto. c. 8. In orat. c. 13.*

Clarissimus ille præceptor ISOCRATES, quem non magis libri benè dixisse, quàm discipuli bene docuisse testantur. *Quintil. II. institut. orat. IX.*

ISOCRATES in diverso genere dicendi nitidus & compositus, & palæstræ quàm pugnæ magis accommodatus, omnes dicendi Veneres sectatus est: nec immerito. Auditoriis enim se, non iudiciis comparat. In inventione facilis, honesti studiosus: in compositione adeo diligens, ut cura eius reprehendatur. *Id. Quintil. l. X. c. 1.*

Nec vero ISOCRATI, quo minus haberetur summus Orator, offecit, quod infirmitate vocis, mollitie frontis, ne in publico diceret, impediebatur. *Plin. VI. ep. 29. ad Quadratum.*

Viginti talentis vendidit unam orationem ISOCRATES. *Plin. VII. Nat. hist. c.30. Confer Halicarnass. judicio de Isocrate, & Gerhard. Voß. IV. institut. orat. c. 4. f. & Caussinum.*

Vah hodie Martialis ista ruditas, omnes Musarum & eruditionis tabernas semisse non mercetur, id quod canitiem nostram experientia, dicam, docet, an indigentia!

IVL. CÆSAR. Vid. C. IVL.

IVLIANVS.

ὁ παραβάτης i. e. DESERTOR, Flavii Constantii & Basilinæ Fil. cum Constantio Constantini Filio imperavit, eiq; successit. *Voß. II. de Hist. Gr. 18. ubi Suidam refutat.*

P Hunc

Hunc Ædesius τέκνον σοφίας ἐπήρατον, h. e. amabilem *Sapientiæ filium* nominat. *ap. Eunapium in Maximo, quem vide.*

Homo judicio *suo* mortalium omnium facundissimus. *Nazianz. orat. III. p. 19. m.*

Prudentia Vespasiani filius TITVS alter æstimatus, bellorum gloriosis cursibus *Traiani* simillimus, clemens ut *Antoninus*, recta perfectæ rationis indagine congruens *Marco*, ad cuius æmulationem actus suos effingebat & mores. *Ammianus. l. 16. c. 1.*

Providus & cunctator. *ibid. c. 3.*

Orationum epistolarumque eius cum gravitate comitas incorrupta. *ibid. c. 6.*

VICTORINVS iniurii ssimè dictus. *ib. c. 34.*

Affectavit nomen Eloquentiæ, natura & arte satis ad id instructus, *& paulo post*: melius fuisset si avitæ potius pietati, quam Græculorum Sophistarum nugis studuisset. *Caußinus.*

Naz. orat. III. p. 30. Julianum IDOLIANVM, & Pisæum & Adonæum & Tauricremum vocat: p. 31. Melampum & Proteum: *& p. 34.* PERSECVTOREM, Hydram, Chymæram, Cerberum, Scyllam, Rapsacem. *p. 38. Adde Nonni exposit. in I. invectivam p. 242.*

NVBECVLA citò transitura, *Athanasio.*

Porcus fæti lus: volutus in luto sus. *Manaßi c. XCIII. & seq.*

—— —— ductor fortißimus armis,
Conditor & legum, celeberrimus ore manuq;
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Relligionis, amans tercentum millia divûm.
Perfidus ille DEo, quamvis non perfidus urbi, &c.

Prudentius apotheosi v. 517. & seqq.

Aper Sylvestris, Hostis vineæ Domini, *apud Theodoret. l. 3. 19. eccl. hist.*

JVLIANVS

CAPPADOX *Sophista ad Ædesii tempora floruit*, & regnum quoddam Athenis obtinuit, nam universa undecunque juventus ad eum confluebat, colens atq; observans virum ob dicendi vim & ingenii magnitudinem. Huius *domum* Athenis exilem quidem & humilem, sed *Mercurium ac Musas undiq; spirantem* se vidisse *Eunapius memorat in Iuliano. p. 120.*

IVNIVS VALENS.

Meruit in prætorio D. Augusti centurio: *Rusticellus* HERCVLES appellatus, quod mulum suum tolleret. *plura ap. Plin. & Volaterr.*

IVNIVS.

Franciscus JUN. vir rerum divinarum humanarumq; peritissimus: *Meursio init. Critici Arnobiani. Plura Thuan. lib. LXXI. a. f.*

IVNIVS HADRIAN.

Magni Judicii Criticus. *Dempstero.*

IVSTINIANVS

Imp. RELIGIOSISSIMUS. *Suidas in* JESUS. Pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, semper Augustus. *Qui titulus eius Epistolis passim antefixus in corpore.* Imp. *itid. sacratissimus.* *Ex eo clarus maximè*, quod immensa veteris prudentiæ volumina coadunavit in uno, suo præfulgente nomine, *ut ipse loquitur.*

Cæteroquin si Procopio sarta sit fides, è cælo Romanis immissa pernicies ac labes, *in Anecdotis p.* 30. mirè stolidus & lento quam simillimus Asino, capistro facilè trahendus, cui & aures subinde agitarentur. *p.* 36.

Homo juxta malignus & deceptu facilis, cuiusmodi ingenium fatuum pravumq; appellamus. Nam adeuntibus omnia mente mala, nihil aut re aut verbis præferebat veri, ipse nihilominus fraudibus passim omnium expositus. *p.* 38.

Fuit hic princeps usq; adeo veri dissimulator, ut fraudum tegendarum & obscurè ferendæ indignationis, versuteq; agendi, & occultandæ animi sententiæ esset absolutissimus artifex. *p.* 39. *ubi post alia*: aurum ardentissimè sitivit & sanguinem: Contentionum rerumq; novarum studiosissimus: Ad scelera perfacile, ad optima nullis suasionibus commoveri poterat: Acer in comminiscendis, perpetrandisq; facinoribus, honesti vero vel nomen illi insuave. His atque plurimis aliis laboravit vitiis ultra modum humanæ pravitatis, quam à singulis hominibus elicitam in illius conjecisse animum Natura visa est. *Hæc Procopius & Evagrius l. IV. c.* 29. *Suidas* etiam, cui simulator & iræ occultator *in* ὑποκρ&.

Id quod tamen eos non offendet, qui ex legibus latis potius, quam rebus ab eo gestis principem noscitant. *Confer Nicolai Alemanni de Procopio judicium, à quo is Lugduni A.* 1623. *editus & Tilem. disc. philol. p.* 172.

IVSTINVS.

Imp. ANALPHABETUS, adeo ut nec nomen literis subscribere posset: qua tamen forma quatuor literas: JUST. delineârit, *Vid. apud Procop. l. c. p.* 29. *ubi addit.* neq; malo subjectis neq; bono esse *Iustinus* quidem potuit, insignis homo stoliditatis, summa cum infantia, summaq; rusticitate coniunctæ.

IVSTINVS, MINOR

Justiniani Augusti ex filia nepos, cum patrem haberet Illyricæ gentis, CUROPALATES ante regnum honorificè vocatus est. Cuspin. vid. CUROPALATES.

IVSTINVS, HISTORICVS

Ex Trogo Pompeio viro priscæ eloquentiæ, qui Græcas & totius orbis historias Latino sermone Herculea plane audacia XLIV. voluminibus composuit, breve veluti opusculum florum fecit, *ut ipse fatetur in exordio ad Antoninum Imp.*

Quantum styli genus patitur, disertus. *Dempstero.*

Justinus variarum rerum, gentium, temporum compendium, *Lips. Cent. IV. miscell. ep.* 31.

Breviator Pompeii. *Orosio. l.* 1. *c.* 8. *Editus à Bongarsio. & Fr. Modio.*

Eius epitomen confusaneam & omni temporum luce carentem, censet *Tileman. p.* 216.

IVSTINVS

Philosophus & MARTYR. *Tertull. advers. Valentin. c.* 5. *Confer. Suid. & de opere quæstionum eius ad orthodoxos* Tilem. *disc. p.* 388.

IVVENALIS.

Iunius Iuvenalis Aquinas, de quo sic *Giphanius Apol. de poët. lat. p.*489. Sunt clari hodie quoque, & qui olim nominabuntur. Quis autem ex hominum numero sit in satyra præcipuus, quamvis multi, (ut fieri solet) *Lucilium*, omnibus etiam poëtis præposuerint, nonnulli *Horatium*, *Persium* pleriq; maluerint, communi tamen meliorum consensu palma *Iuvenali* delata est, quod unus *Lucilij* sales & acerbitatem, *Horatij* candorem ac elegantiam, *Persiiq;* gravitatem felicissime sit assecutus. Juvenalis Satyricorum haud dubie princeps. *Eid. Giph. p.* 473. *& Iul. Scaligero VI. poët.* 6.

Juvenalis ardet, instat, iugulat. Persius insultat, Horatius irridet. *Id. III. poët. c.* 98.

Eruditissimus scriptor, elegantissimus poëta, & *censor morum* liberrimus & acutissimus. ETHICI titulo citatur, summis philosophis comparatus, *à Saresberiensi, Alano*, & eius generis non paucis philologis eorum temporum. *C. Barth. in l. Rutil. p.* 190.

Iuvenalis ex materia quam tractat, Satyrico sale vitia, plerumq; magnatum, insectans, ETHICVS dictus est, non aliter atq; Martialis COCVS. *Id. Barth. VI. adversar. c.* 1. *f.*

De eo Lipsius; Scriptorem inter apprime utiles numero. *Cent. II. miscell. ep.* 62.

In Satyra nemo idoneior ad mores corrigendos Juvenali. *Id. lib. IV. Epist. quæst.* 15.

Vbertate inventionis, copia exemplorum, tractandi dexteritate τῷ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπηβόλῳ, deniq; τῇ πομπικῇ καὶ ἀξιωματικῇ λέξει præstat Juvenalis. *Casaubon. proleg. in Persium. Edidit Isaac Grangæus Parisiis An.* 1614.

IVVENCVS.

Aquilius Iuvenc. Poëta omnium ſcriptorum *ſimpliciſſimus.* tamen qui plus in ſinu gerat, quam fronte polliceatur. C.*Barth. VIII. adverſar. c.* 1. de eius latinitate. *Id. l. XI. c.* 23.

K.

Κάππα τρία κάκιστα.

In Cappadoces, Cretenſes & Cilices. Poſt etiam in Cornelium Syllam, Cornel. Cinnam, & Cornel. Lentulum. *Auguſt. in Grammat. Rhodig. lib.* 18. *c.* 30. hinc κιλικίζειν.

L.

LABEO.

Antiſtius Labeo ſub Auguſto conſulentibus de jure publicè reſponſitavit; ceterarumq; bonarum artium non expers fuit. *Agell.*

Sacrarum & divinarum rerum peritiſſimus. *Auguſt.* 2. *C. D.*

LABERIVS.

Decius Laberius eques Rom. cuius in *Mimis* non minus ſententiarum quam lepiditatis, libertate tanta in accuſandis vitiis, ut libertatis nomen excederet. *Crinitus lib. II. cap.* 21. *de poët. Lat.*

Laber. elegantia & ſermonis puritate etiam omne Latium provocavit. *Scalig.* I. *poët. c.* 10. *Vid.* PVBLIVS.

LACTANTIVS.

L. Cælius Lactant. Firmianus, Arnobii diſcipulus, ſub Diocletiano. de hoc *Hieronym. epiſt. ad Paulinum*: Lactantius quaſi quidam *fluvius eloquentiæ Tullianæ*, utinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.

Quid *Tertulliani* porrò vim ac lacertos, quid *Clementis* variam ac prope incredibilem ſcientiam, aut *Hilarij* cothurnum, aut *Chryſoſtomi* digreſſiones melle dulciores, aut acumen *Auguſtini*, aut diffuſam & cum ſolo *Cicerone* conferendam *Firmiani* eloquentiam commemorem? *Heinſ. orat. pro Biblioth. III. p.* 29. Confer *Floridum lib.* 2. *c.* 4.

LÆLIVS.

IRON apud Latinos, ut Socrates ap. Græcos. *Lambin. & Taubm. in Plaut. p.* 650.

LAERTIVS

Diogenem hunc Cilicem fuiſſe & *à Laërte Ciliciæ oppido* Laërtium ſive Laërtienſem appellatum, docti viri εἰκοτολογοῦσι. *Caſaub. in vita.*

Opus de vitis & placitis philoſophorum ad mulierem miſit: Ipſe Epicuri philoſophiæ deditus.

Antiquitatis indagator ſedulus, *Donaldſono*: ſed cui aut memoria firma aut otium judiciumve in digerendo defuerit: Caſaub. l. c.

Tzetzes ἐπιγραμματοποιὸν appellat: ſcripſit enim præter hoc opus, τὴν

συμμικτόν, quæ nihil aliud fuit, quam volumen poëmatum & epigrammatum in viros illustres, omni carminum genere factorum. *Casaubono adde Voßium II. Hist. Gr. c.13.*

LAMBINVS.

Dionysius Lambinus. Vir maximus & supra omnes sciolorum morsus, Græcæ Latinæq; literaturæ scientissimus. *Pareus.*

Vir totius orbis terrarum consensu, in utraque lingua valde exercitatus. *Carrio lib.1.c.17.lect ant.*

Vir Græcè ac Latinè accuratæ doctus. *Heinsius præf. Horat.*

Græcè Latineq; doctissimus, multisciæ lectionis. *Dempsterus.*

Vir doctrinæ multiplicis, sed in variis lectionibus enarrandis aliquando vanus & futilis & ad fastidium usq; superstitiosus. *Durant.l.2.c.15.*

LAMISSIVS

Longobardorum Rex à LAMA i. *voragine piscinæ* in quam proiectus à matre meretrice fuerat, dictus. *Sigebertus.*

LAMPRIDIVS.

Ælium Lampridium, Flavius Vopiscus numerat inter eos Historicos, qui non tam disertè quam verè sua memoriæ tradiderunt. *in Probo c.2.*

Historicus futilis, si scribendi genus spectetur, cæterum necessarius Polyhistor. *Dempsterus in Rosin.*

Historicus Frigidus. *Eidem.*

LAMPRVS

Musicus, AQVÆ POTOR μυζῶν σκελετὸς i. *exfareactum* CADAVER MVSARVM, Phrynicho dictus, *Adag. p.190.*

LAODICE

Agamemnonis Filia, ELECTRA dicta, quod sine lecto & matrimonio defuncto patre consenuerit. *Ælian. var. hist.*

LATINVS

PACATVS V. DREPANVS.

LATRO

Porcius Latro, genere Hispanus, condiscipulus Senecæ, Maximi auditor, nobilis declamator, qui nominato sibi duce ab aliquo, statim eius facta recensebat. *Vid. Sen.1. decl.*

LENTVLVS.

Corn. Lentulo SVRÆ cognomentum adhæsit, quod ad rationem de quæstura reddendam postulatus à Sylla, crus se exhibiturum dixit, *Vide Rhodig.l.24.c.5. & lit. K.*

LEO M.

Ecclesiasticæ dictionis *Tullius*, sacræ Theologiæ *Homerus*, rationum fidei

Aristoteles,

Aristoteles, authoritatis Apostolicæ *Petrus*, & in Christiano pulpito *Paulus*. Eius sermones cor penetrant, afficiunt animum, fidem Catholicam dulci breviloquio confirmant. Nec mirum, ignem divini amoris gestans accensum in pectore, quid aliud quam verba ardentia loqueretur? *Ioan. Trittenhem. de scriptoribus. eccl.*

Quis plura tanquam ex tripode oracula effudit quam Leo? *Heins. orat. pro Biblioth. III. p.* 30.

ἰσαπόστολ☉ i. e. *apostolis æquandus. in Synodico Græco c.* 94.

ὁ τῶν ἀποστολικῶν δογμάτων ὑπέρμαχ☉. i. e. apostolicorum dogmatum *propugnator. ibid. c.* 89.

LEO.

Leo Monasteriota, socer Alexii Comneni Tyranni, ab illo ob consulendi prudentiam SENATVS OS dicebatur. *Nicet. l.* 1.

LEO.

Leo V. Imp. optimus PORPHYROGENITVS d. à domo cui à Constantino inditum nomen *Purpura. Cuspin.*

LEONTIVS

Antiochiæ Episcopus: ἐκτομίας αὐτόχειρ q. EUNUCHUS VOLUNTARIUS, quod sua se manu castravit. *Synodicon c.* 47.

LIBANIVS

Sophista Antiochenus sub Juliano *parabata*. Erat in alloquiis præstans, & gratiosus, in declamationibus venustus: Gr. εἰς ἐπίδειξιν λόγον ἐπαφρόδιτ☉. Nemo omnium, qui à *Libanio* allecti & in familiaritatem recepti fuerant, abiit à morsu immunis; nam qualis quisq; esset ingenio, confestim norat, illiusque animum, in vitia an virtutes pronior esset, perspectum habebat: egregius artifex in exprimenda atq; ex vero effingenda morum similitudine in utramq; partem, ita ut facilius factu nihil illi fuerit, imò familiariũ qui cum eo conversabantur quilibet existimabat se alterum ipsum videre: propterea quod sæpè eius rei periculum fecerant, dictitabant illum velut *pictoris tabulam aut expressum simulacrum*, naturas hominum & mores omnigenos repræsentare, &c.

E vetere Comœdia omnem explicandi sensa animi rationem suxit & in se traxit, totus ad illam quasi à limine suavitatem, & aurium delitias ac lenocinia à natura factus. Eruditionem magnam & multiplicem lectionem in orationibus eius invenias, & dictiones quæ illecebras meras & suavia spirant, *& post.* Novus ille aliquas & ob antiquitatem ignoratas voces inventas, ceu donaria quæpiam prisci seculi detracta, in medium profert, & à pulvere detersa concinnat accurateq; exornat: &c. dignitatem palatio præfecti noluit accipere, dictitans SOPHISTAM illo maiorem esse. *Hæc Eunapius in vit. p.* 171. *& seqq.*

LICINVS

Augusti Imper: *Tonsor*, quo de Epigramma:

Marmoreo

Marmoreo tumulo Licinus jacet, at Cato parvo,
Pompeius nullo, credimus esse. Deos?

Volaterran. in Licin.

LINDEBROGIUS.

Fridericus Lind. Criticus profundus. Pareo.

LINUS

Thebis natus Mercurio Musaq; Vrania *t. Diog. Apollinis Filius, Virgil. in Buc. Volater.*

LIPSIUS.

Justus Lips. Seneca Belgicus, Criticus & Antiquarius incomparabilis: *Pareo.*

Belgii *Ocellus.* Andreæ Schotto.

Quem virum per omnia diis, quam hominibus ingenio propiorem, uti lumen unicum & numen ævi nostri colo & veneror præter omnes, quos ille admiratores cultoresq; ubiq; habet plurimos. *Valent. Acidalius lectionibus in Paterculum f. p. 512.*

Vitiorum omnium domitor, unus veri assertor, legitimæ Criticæ solus auctor, *Sel antiquitatis*, Historiæ omnis condus & promus, anima sapientiæ & prudentiæ. *Eid. animadv. in Curt. lib. II. p. 12.*

Antiquitatis & doctrinæ omnis Coryphæus. *Eid in Vell. l. II. c. 98.*

Vir incomparabilis judicii & ingenii admodum felicis. *Barth. LVI. advers. cap. 9.*

Politissimus Antiquitatis vindex. *Eid. ad Nemesian p. 256.*

Exactissimum illius divini ingenii judicium. *Ludov. Carrio II. antiq. lect. c. 4.*

Invidiæ Victor ferrugineiq; veneni
Omnibus es, Lipsi, *mirabilis: omnia iunctim*
Puncta caput docti te constituere Senatus.

Philipp. Rubenius apobaterio ad I. Lips. Poëtar. Belg. t. IV. p. 25. & in eius Natalem p. 30.

Aurea mens illi, vox dulcis tincta Süadæ
Nectare, & omne genus rara ac miranda bonorum
Congeries: uno se pectore cuncta recondunt, &c.
Lipsius *pater*
Scientiarum, flumen eloquentiæ.

Baudio in funerib. t. I. poët. Belg. p. 423.

Seculi literati *Sidus. Dausqueio in Silium p. 120.*

Delicium Musarum, *Francisco Svvertio in Magii tintinnabula.*

Vt ævo suo *Titus*, sic nostro *Lipsius* vere Delitium *humani generis* fuit. *Aubertus Miræus in vita Lipsii.*

Amor & *delitium* gen. hum. *Wovverio in Petron. p. 281.*

Apex eruditionis reconditæ. *Grutero in Plin. panegyr. ad c. 2.*

Belgii lumen. *Eid. in II. Vell. c.* 47.

Elegantis eruditionis Princeps. *Wovverio in emendat. ad Apul. p.* 659.

Clariss. Lipsius, ille inquam, qui hodie Belgio suo, imo Europæ universæ, doctrina, virtute prælucet. *Isac. Pontan. not. in Macrob. l. VII. c.* 16.

Lips. suavissimæ quidem sed inimitabilis, & ut ipse judicabat, ne tentandæ quidem aliis eloquentiæ vir. *Heins. orat. I. p.* 11.

Diligentia, judicio, multiplici lectione admirandus, Criticorum *suada medulla. Dempstero.*

Vir omni maior invidia. *Gualtero II. Chron. Chron. p.* 1121.

Acre omnino & felix ingenium fuit I. *Lipsio*, in tollendis veterum scriptorum mendis, & eluendis maculis, & neminem habet fortasse parem: sed ut hominem se nosset, aberravit interdum à scopo. *Bisciola l.* 14. *c.* 13. *f.* 1.

C. LIVIVS.

Quod in censura sua salis vectigal primus omnium commentatus esset. SALINATORIS cognomen accepit. *Liv. lib.* 29. *c.* 37.

T. LIVIVS.

T. Livius Patavinus, historiæ latinæ princeps, *Grutero, à quo editus.*

Quem tempus & eius custos, pedissequa & inspectrix veritas retexerunt & ostenderunt tanquam abscondit um thesaurum, multis bonis refertum rebus: *Cornuto* contra oblivione obruto. Vid. *Suidam in Cornutus.*

Livii *lactea* ubertas. *Fabius l. X. c.* 1. *p.* 443.

T. Livius cum in narrando miræ iucunditatis, clarissimiq; candoris; tum in concionibus supra quam enarrari potest, *eloquens:* ita dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata. Sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoq; immortalem illam Sallustii velocitatem, diversis virtutibus consecutus est. *Ibid. p.* 452.

Est quod in Livio miremur dicendi varietatem, interdum valde copiosus est; interdum verò concisus. Cur ita: *Vid. ap. Bodin. method. Histor. c.* 4. *p.* 70.

PATAVINA SIREN. *C. Barth l. XXVI. adv. c.* 1.

Vberrimus Historicorum. *Lipsio Cent. I. epist.* 18.

Idem allegans Liv. III. polit. c. 6. ex adyto Patavino, ait, hæc sors data.

In Livio nimia dona. *Id. Cent. II. miscell. ep.* 18. *Adde epist. ult. Cent. III. ad Belgas.*

Ei *Patavinitatem* quandam inesse, ut non tam rerum, quam verborum curioso, dixit *Pollio ap. Fab. VIII. Instit. orat. c.* 1. Confer *Tilem. p.* 218. *& p.* 394. *& Lips. dedicat. Taciti, cuius verba:* à Livii lectione semper commotior surrexi, non semper melior aut ad vitæ casus instructior.

Laxioris licet styli, egregiæ tamen eloquentiæ, & frustra *Patavinitatem* sapere creditus Historicus. *Dempsterus.*

Huius ossa A. C. 1413. Patavii in plumbea capsula ad D. Justinæ fuerunt reperta, & insigni pompa succollantibus viris nobilissimis in foro Judiciorum ad Occidentalem parietem reposita. *Meru'a Cosmogr. part. II. l. IV. c. 36. Lansius in Italia p.* 846. Vide POLYBIVS.

LONGINVS

βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον, h. e. SPIRANS BIBLIOTHECA, AC VIVVM MVSEVM, cui de veteribus iudicandi potestas permissa erat. *Eunap. in Porphyrio p.* 12. Vid. DIONYSIVS.

LVCANVS.

M. Annæus Lucanus Nobilitate, scientia, ingenti spiritu illustris. *Farnabius, qui Pharsaliam eius edidit. Iterumq; de illo contra censores*: At cur non potius mirari subeat altam illius indolem, libertatis usque acerrimam propugnatricem; liquidum eloquii flumen, materiam haud sequacem puro carmine ducentis quo voluit? adeo ut non ruere immenso fragore (quod de Nilo Plinius) sed fluere videatur; *ferventis ingenij fulmen* cum gratia & gloria exprimentis historiam nobilissimam gentis illius, quæ cum antiqua religionis Cybele & fortitudinis ancilibus suis cælo delapsa, cum sacri Consilii Ganymede & virtutis Romulo in cælum sublata mihi videtur. Quid ego dicam acumen nobile & divinum, spiritum ardentem & concitatum, musam masculam ac plane militarem, omnia denique in illo alta, clara, casta? quem legant vel ambitiose tristes & tetrici, qui fatali illo Græcæ Helenæ correpti delirio, non dubitant *Poëtas*, Musarum flamines, gloriæ præcones, Theologiæ veteris antistites, nuncupare *fidicines*.

Lucanus ardens, & concitatus, & sententiis clarissimus, & ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam Poëtis annumerandus. *Quintil. l. X. c. 1. p.* 450.

Sed & optimum Poëtam, cum *Orosio procœm. lib. VI. Histor.*

Familiaremq; nihilominus philosophiæ cum *Boëth. o l. IV. c. 6.*

Et divino ingenio præditum, cum *Ioanne Saresberiensi* habet *nobiliss. Barth. XXIII. Adversar. c.* 28. quod vide ut & Libri LIII. c. VI. *cuius initium*:

Lucanus Poëta magni ingenii, neq; vulgaris doctrinæ, spiritus vero prorsus Heroici, &c.

Famæ amator *ex Iuvenali.*

Egregius bellorum civilium descriptor *ex Nicolao Clemangio ibidem audit.*

Poëta GRANDILOQVVS. *And. Schotto præf. Sen. Rhetoris cuius erat nepos Lucanus.*

Neroni principi æmulus ingenii gloria, nec multum Virgilio inferior. *Dempsterus.*

LVCIANVS.

Samosatensis ἀνὴρ σπουδαῖος εἰς τὸ γελασθῆναι, h. e. Vir ad concitandum risum

risum factus, *Eunap. proœm. vitar. p.* 8. quin in Pseudologista prorsus impotem se continendi cachinni fuisse fatetur (ἀκατάσχετῳ γέλωτι) notante *Barthio XLIX. advers. c.* 19.

Hic cum ante Christianus esset, postea desertor religionem incessit, nihil ex ea se consecutum dictitans, nisi ut nomen eius corrumperetur, ex LVCIO LVCIANVS factus.

Cognominatus ATHEOS. *Volat.*

Lucianus qui diis & hominibus non pepercit *Lactant. I. de falsa relig. c.* 9.

Deorum hominumq; IRRISOR. *Barthio in Rutil. p.* 117.

Hinc cognomento BLASPHEMVS sive DYSPHEMVS, i. e. *maledicus* aut *inauspicatus* ac *potius impius*, qui non modo divina oracula pro ridiculis inducit: verum & in *Peregrini vita* perstringit Christianismum, & ipso Christo maledicit homo consceleratus. Itaq; & furoris sui in hac vita iustas pœnas dedit, à canibus discerptus, & in futura æterni ignis cum Satana hæreditatem cernet. *Suidas.*

De Philosophia autem huius scriptoris dicere ausim, nemini ad nos usq; eam satis fuisse perspectam & cognitam; neq; impiam esse, nisi quatenus veritati sese opponit Christianæ, & non paulò altius oculos in rerum divinarum considerationem immittere, quam vulgo censetur. *Barth. in advers. l. c.*

LVCIANVS

Presbyter Antiochenus, vir disertissimus adeò scribendo sacrosque libros emendando profecit: ut hoc genere exemplaria laudata LVCIANA dicerentur. *Hieron. Suid. Volat.*

Appellatum se PROMETHEVM à quodam scribit, quod librorum eius ratio nova foret atque insolens, ex dialogo concinnata & comœdia quæ inter se longe diversa sint, & diametro disparata. *Lucian. contra eum qui dixerat, Prometheus es in verbis.* dial. 2. tom. 1. adde *Cœl. Rhodig. l.* 7. *c.* 19.

LVCILIVS

Satyra quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non eiusdem modo operis autoribus; sed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere *lutulentum*, & esse aliquid quod tollere possis, putat. Nam & eruditio in eo mira, & libertas, atq; inde acerbitas, & abunde salis. *Quintil. l. X. c.* 1. *p.* 451.

Horat. verba sunt lib. I. Sat. IV.

Nam fuit hoc vitiosus: in hora sæpe ducentos,
Vt magnum, versus dictitabat, stans pede in uno.
Cum flueret LVTVLENTVS, erat quod tollere velles.
Garrulus atq; piger scribendi ferre laborem,
Scribendi RECTE: nam ut MVLTVM, nil moror:

Et Sat. X.

At dixi fluere hunc LVTVLENTVM, sæpè ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis.

Et paulo post dicitur:

GRÆCIS INTACTI CARMINIS AVCTOR.

Lucilius primus condidit, i. e. evacuit, styli nasum. *Plin. præf. N. H. Confer Heinsium in notis ad Horat. p. 42. ubi concludit*: Fluvius Cratinus, Fluvius Lucilius: sed uterq; lutulentus, h. e. τῆς στάσεως παρὰ δύεων phrasi Aristophanis: contrarium de *Minervio* suo asserebat Ausonius in professorib. *præf. II. v. 17.*

Scaliger illum ne fluere quidem ratus VI. Poët. c. VII. p. 867.

Eo autem Lucil. acrimoniæ progressus est, ut meritus sit à *Iuvenale sic describi:*

Ense velut stricto quoties LVCILIVS *ardens*
Infremuit: rubet auditor cui frigida mens est
Criminibus: tacita sudant præcordia culpa.
Inde Iræ & lacrymæ.

LVCIVS.

Ille LVPVS ὁ λύκος λέκιος, Athanasii, & post hunc Petri qui plurimorum Athanasio sudorum socius fuerat, successor in Episcop. Alexandrino: qui & dicitur ὁ φόνιος λέκιος, i. e. LARO LVCIVS. *Synodicon c. 70.*

Lucius secunda quædam Ægypti PLAGA, veritatis proditor, luporum pastor, ille per caulam transcendens latro, SECVNDVS ille ARRIVS. *Naz. Orat. 23.*

LVCRETIVS.

T. Lucr. Carus ex Rom. Lucretiorum familia: POETA PHYSICVS. *Macer & Lucretius* legendi quidem, sed non ut phrasin, id est, corpus eloquentiæ faciant, elequentiæ faciant: elegantes in sua quisq; materia, sed alter humilis, alter difficilis. *Quintil. l. X. c. 1. p. 450.* diffucilis *legit Barth. & lectionem probat l. XLIII. adv. c. 2. quem vide.*

Sua pleraq; ex Ennio Lucretius, ex Lucretio Virgilius expressere. Avus veluti Q. Ennius est: PATER T. Lucretius: P. Virgil. Maro FILIVS: hi enim ex Epicis Poëtis Lat. TRIVMVIRI sunt præstantissimi. *Gifan. in prolegom. ad Lucr.*

Poëta multo elegantissimus *Nepoti in vitâ Attici, notante iterum Barthio l. XXXVIII. adverſ. c. 7. & censente*: Lucretium plus ingenii redolere quam artificii, qui purissimè & elegantissimè non verò eruditè scripserit; cum aliorum reperta, saltim suavitate carminis, quam Musæum leporem vocat, illustrare voluerit, aut *ut loquitur l. prius c.* qui Musæo lepore contingens omnia, blanditiarum quarundam meræ Latinitatis & *suavitatum* quidam *artifex.*

Lucillia maritum suum Lucretium (eum cuius habemus libros de rerum natura, multis ingenii luminibus tinctos, multis etiam artis. *Cic. II. ad Q. F. ep. XI.*

aliter

a'iter Barth. l.c.) philtro in furorem adegit, cum non necem inferre aut mentem adimere, sed magis ab eo amari cuperet. *Euseb. in Chron. Gerard. Voß. I. instit. or. c. 9. p. 157.*

Carmina sublimis tum sunt peritura LVCRETI
Exitio terras cum dedit una dies. Ovid.

LVCRETIVS

Ædilis, dictus VESPILLO, quod Gracchi in Capitolio oppressi corpus manu in Tiberim misit. *Aurel. c. 64.*

L. LVCVLLVS

Ob magnificentiam XERXES TOGATVS dictus à Tuberone Stoico. *Plut. in Lucull.*

LVDOVICVS.

Imp. præter cæteras virtutes, clementiæ & pietatis laude insignis, apud posteros PII cognomen meruit. *Sigon. l. 4. regni Ital.*

LVDOVICVS

Fr. R. Caroli Calvi Frater, ab impedimento linguæ BALBVS dictus.

LYCON

Ob suavitatem in dicendo GLYCON dictus. *Laërt. l. 5.* Fuit ex schola Theophrasti. *vide plura Volat.*

LYCOPHRON

Chalcidensis, ex Eubœa, filius Ariclis, adoptione vero Lyci Rhegini, Grammaticus & Poeta Tragicus, unus de septem qui PLEIAS appellantur. *Suid.*

Snnt autem astra in hac Tragicorum Pleiade: Homerus (aut ut Meursius scribit, ὁ μηρῦς ἡὸς) Sositheus, Lycophron, Alexander, Æantiades, Sosiphanes & Philiscus. *Scholiastes Hephæstiadæ.*

Poëta omnium quotquot sunt, *obscurissimus*: *quo de Stat. V. Silvar. in Epiced. Patris:*

Carmina Battiadæ, tenebrasq; Lycophronis atri.

Ob id dictus etiam VATES. *Rhodig. 24. c. 6. quem vide.*

De Alexandra, is qui edidit, *Meursius*: poëma exiguum quidem sed ita obscurum, ut Hortensii Sphinge opus habeat.

Sed eas tenebras ingenii illustris lampade ita discussit Meursius, ut qui ante LYCOPHRON, nunc GLYCOPHRON dici mereatur.

LYCVRGVS

Legislator Spartanus: à Pythia DEUS appellatus est. Breviloquentiæ & paupertati honorem habuit: quod illa esset sapientiæ indicium, hæc Magistra virtutis. *Suidas.*

Lycurgum his verbis Apollo in colloquio cum eo commendavit:

Δίζω ἤσε θεὸν μαντεύσομαι, ἢ ἄνθρωπον;
Quæro tene Deum compellem, hominemve Lycurge?

Ille ergo Lycurgus, quem Deo similem Deus ipse pronunciat. *Maximus dissert. XI. p. 130. Confer Plutarch. in vit.*

LYCVRGVS

Orator ex X. Græciæ. Fuit Atheniensibus perpetuo probatus, habitusq; est Jvstvs, ut & in judiciis *Lycurgi dictum pro patrocinio esset ei*, cui advocatus esset. Dicebant & Sophistæ nonnulli, Lycurgum non atramentum sed mortem illinere contra facinorosos, calamo, & sic scribere. Dictus fuit cognomento Ibis, quod ei tributum fuit, sicut Xenophonti *vespertilionis Plutarch. in X. Græc. orat. p. 843.* vertente sic Plutarchi verba H. Cruserio.

Eius orationem adversus Leocratem quæ sola Græcè exstat. dedit *I. Cruterus Hanoviæ.*

Lycurgum si eadem ætas tulisset quæ Solonem, sacro illi numero (puta VII. Sapp.) accensuisset Octavvm. *Tacit. 3. annal.*

LYSIAS

Orator Atheniensis ex X. Græciæ: quo de *Cic. in Bruto. c. 9.*

Fuit Lysias in causis forensibus non versatus, sed egregiè subtilis scriptor atq; elegans; quem jam *prope* audeas *oratorem perfectum* dicere. Nam *planè* quidem perfectum, & cui nihil admodum desit, *Demosthenem* facile dixeris.

Venustissimus scriptor ac politissimus *Eid. in Orat. c. IX.*

Lysias subtilis atq; elegans & quo nihil, si Oratori satis sit docere, quæras perfectius. Nihil enim est inane, nihil arcessitum, puro tamen fonti quam magno flumini propior. *Quintil. l. X. c. 1.*

Omnium qui prius floruissent, aut tum etiam florebant, oratorum gloriam obscuravit, & admodum paucis eorum qui post secuti sunt, in omnibus dicendi generibus & iis etiam præclaris excellens cessit. *Dionys. in judicio:* Attici sermonis eius, qui tum temporis vigebat, Norma. *Ibid.*

Antiquitatis tabulis Lysias similis, simplicitate & gratia. *Idem in Isæo.*

οὐδεὶς οὔτε ἀκριβέστερος οὔτε χαριέστερος Λυσίου. Nemo diligentior gratiosiorve Lysia. *ibid.*

Lysias veluti *archetypus* & κανὼν, h. e. Regvla orationum huius generis. *Ibid. f.*

Orationes eius XXXIV. ex multis, publicavit *Iodocus Vander. Heidius Brabantus.*

LYSIMACHVS.

Lysim. Acarnan, Alexandri pædagogus, secundas post Leonidam obtinuit, nullo urbanitatis genere præditus, nisi quod se Phœnicem; Alexandrum, *Achillem*; Philippum, *Peleum*, appellabat. *Plutarch. & Volater.*

M.

MACARIVS

Monachus Ægyptius, vir devotus & sanctissimæ conversationis. *Trithem.*

Religiosa

Religiosa cautione in eos qui se conveniebant, erat Severus. *Suid.*

Nominatus παιδαριογέρων, q.d. PUERSENEX, quoniam citius quam pro ætate profecerat virtutibus. *Editus à Zacharia Palthenio. Niceph. Callistus l. 9.* Contrarium vide in HERMOGENE.

MACRINUS.

Opilius MACRINUS & SEVERUM se & PERTINACEM voluit nuncupari, quæ duo illi asperitatis nomina visa, & cum illum senatus PIUM ac FELICEM nuncupasset, FELICIS nomen recepit, PII habere noluit. *Capitolinus in vit. c. XI.*

Pro Macrino MACELLINUS audiit, cum domus eius macelli specie cruentaretur sanguine vernularum. *Cuspin.*

MACROBIUS

Vir consularis & illustris: PLUTARCHI SIMIA, *Scaligero in coniectan. ad Varr. p. 41. f.*

Vir reconditissimæ scientiæ, *Rhodig. l. I. c. 15.*

Alieni judicii mancipium. *Scal. V. Poët. c. 3. f.*

Gellij æmulus, qui omnes libros videtur excussisse, ut aliquid in latina lingua, quod auribus hominum dignum esset, pro sua virili parte conferret in medium. *Valla præf. l. 2. elegant.*

Aliàs: Omnium auctorum FUCUS.

MÆCENAS

Fautor doctorum ingeniorum & adiutor hominum literatorum liberalissimus, unde & talibus hodie nomen suum commodat. Idem tamen usurpatur, etiam pro MOLLIBUS ap. Juvenalem *Sat. 1. & 12.* Unde Augustus eum MALACINUM vocabat, exagitabatq; ut *Cacozelum* & μυροβρεχῆ *i. unguento madidum. Sueton. Chabotius in 1. od. Horat. p. 5.* De eius φιλοψυχίᾳ i. vivendi aviditate *Senec. ep. 101.* De febri eius perpetua, & triennali ante mortem insomnia. *Plin. l. 7. c. 51.*

MAGIUS.

Hieron. MAGIUS Judex caußarum militaris à Venetis in Cyprum missus, ius dixit. Obsessâ dein à Turcico exercitu Famagusta (quæ Salamis quondam) captaq;, & M. Antonio Bragadino urbis præfecto, iussu Mustaphæ Bassæ, vivo excoriato: ipse vivus in hostium potestatem veniens in Asiam abductus est: ubi captivus & Turcæ hominis servus, in ergastulo, libris omninò & memoriæ adminiculis carens, de Tintinnabulis libellum composuit, quantus rerum thesaurus sit memoria, ostendens: tandem à Barbaro Mahomete Bassa crudeliter strangulatus est. *Vid. libellum c.*

MALCOLMUS

IV. Scot. Rex, ob castitatem VIRGINIS cognomen traxit. *H. Boeth. l. 5.*

MAMERCUS

Pythagoreus ob eximiam humanitatem & æquanimitatem ÆMYLOS nominatus, αἱμυλία Gr. humanitas, ab hoc Gens Æmilia Romæ.

MAMER-

MAMERCVS

Claudianus presbyter Viennensis: peritissimus Christianorum PHILOSOPHVS & quorumlibet primus eruditorum totis sectatæ philosophiæ membris artibus partibusq; comere & excolere curavit, novem, quas vocant Musas, disciplinas aperiens esse, non fœminas. Librum de statu animæ tribus voluminibus illustrem scripsit. *Sidonius epist. II. Lib. V.* Extat autem *is liber ab Andrea Schotto recognitus in Biblioth. Patrum t. V. p. 1. p.* 944.

Et hominum, ævi, loci, populi sui ingeniosissimus, quiq; indesinenter salva religione philosopharetur. *Idem Sidon. ep. XI. & III. lib. IV. ubi & Savaro in notis p.* 319.

Claudianus Mamertus scriptor omnium suo ævo præstantissimus. *Barthio XIX. Adverʃ. c.* 11.

MANASSES

Constantinus Manaʃ. φιλόσοφ☉ κύρι☉, id est, *philoʃ. præcipuus*, cuius Annales ad Nicephorum usq; Botoniatem, Irenæ dicati, vulgati. Gr. Meursio Lugdun. Batav. cui ille *Historicus minimè contemnendus*, maxime in re Byzantina: Id quod judicium amplectitur *Voß. II. de Histor. Gr. c.* 27.

Chronologus non inidoneus, versuum politicorum unicus scriptor apud Græcos. *Dempsterus in Rosin.*

Inter dehonestamenta legitimæ historiæ à *Casaubono* recensetur *præfat. Polybiana.*

MANES

Hæresiarcha, genere Persa, vita & moribus barbarus, tam acer ingenio, ut ex nominis argumento insanire videretur. *Euseb. lib. 8. Volat.*

M. MANILIVS

Poëta, cuius Astronomica emaculavit *Io. Scaliger.*

—— —— *Manilius*, ATLAS
ALTER *& Alcides qui capite astra tulit.*
Io. Auratus.

Quantus Poëta quamq; elegans scriptor fuerit, quantiq; ingenii *Manilius*, licet vel ex sola descriptione Andromedæ perspicere, quæ paucos Latinæ linguæ conditores habet suspicere, adeò multis orationis acutæ & nervosæ luminibus exornata est. *C. Barth. VIII. Adverʃ. c.* 8.

Sed cum illa, quæ ignorabat, scripsisse advertit Scaliger in castigationibus: quod & de *Nicandro* & *Arato* dicunt Græci & Latini veteres, eos ea scripsisse, quorum ipsi *ignarißimi* fuerunt.

De ætate qua vixerit *Vide Gevartium in Papin. p.* 186.

MANLIVS.

T. MANLIVS IMPERIOSVS, dictator non diu ob mores. Hinc Imperia MANLIANA. *Volat.*

M. MAN-

M. MANLIVS

Dictus CAPITOLINVS ob defensum Capitolium: id quod cognomen Manlii gentilitas, ipso de saxo Tarpeio præcipitato, eiuravit. *Aurel.c.24.*

T. MANLIVS

Tribunus militum Gallum provocatorem occidit, & torquem ei detractum cervici suæ indidit, unde dictus TORQVATVS. *Aurel.c.28.*

MANVEL

Palæologus, Imperat. Constantinopolitanus religiosus & Christianus seu φιλόχριστος, scripsit educationem regiam *ad Ioannem Filium*, quæ legatur. dolendum enim est, utilissimum alioquin libellum apud neminem fere videri, nisi quibus parum est utilis, *ait I. Gruter. Floril. Ethicopolit.p.III.p.505.*

Palæologici sanguinis insigne lumen, summi princeps ingenii, summæq; doctrinæ, cui nullum illa secula parem tulerunt. *Leunclavius in dedicat. ad Franciscum Mediceum.*

Emanuel Palæologus fortissimus & eruditissimus quondam Imperator Græcorum. *C.Barth. XI. Adv.c XI.*

Imperator non tam felix quam prudens & doctus. *Eid. l.XLVIII.c.3.*

MANVTIVS.

In Paulo Manutio præter exactam puritatis Latinæ, & Antiquitatis Romanæ cognitionem, quam ad Ciceronem suum illustrandum attulit, plerisque scriptis, dum vixit, publicatis & post mortem à filio *Aldo* virtutum paternarum hærede editis, præcipua adjuvandos aliorum labores cura, ac per manus hæreditario veluti jure à Patre & ævo tradita industria fuit, insigni illa & omnibus seculis deprædicanda *artis typographicæ* officina, ex qua omnium fere veterum, tam Græcorum quam Latinorum & aliorum auctorum scripta diligenter, ut tempora ferebant certe elegantissime excusa ad publicam utilitatem olim prodierunt, ut omnium confessione constet, literas renascentes ortum suum Manutianæ familiæ debere. *Thuanus lib.LIX.a.f.* ubi Paulum *Italiæ lumen* nominat.

Quod si credere fas DEos Poëtas;
Vitam reddere quod queant sublatam:
Quanto est justius æquiusquè quæso,
Aldum Manutium DEVM vocare;
Ipsis qui potuit suo labore
Vitam reddere mortuis poëtis.

Beza in Iuvenil. Repetit. Lansius Orat.pro Germ. p.67.

De *Aldo* id habeo dicere, quod de *Porphyrio* Simplicius: *omnium bonorum nobis auctor* Aldus. *Scipio Carteromachus orat. de laudib. lit. Græc. f.*

Curiosus antiquitatis investigator. *Dempstero.*

Elegantissimis commentariis suis tantam lucem Ciceroni attulit ut nesciam; plusne ipsi Cicero, an ipse Ciceroni debeat. *Muret.I.var.c.6.*

MARCELLVS

Magister Arcadii Imperat. mundus seu *ornamentum* universæ virtutis, aut ut aptius dicam, VIRTVS quædam ANIMATA. *Suid.*

MARCELLVS

Q. Marcellus qui undequadragies dimicavit collatis signis, cognomen rei conveniens adeptus est, ut secundo Punico bello GLADIVS ROMANI POPVLI sit nuncupatus. *Sabell. l. 6. 3.*

MARCELLVS

Primus suæ gentis vocatus q. MARTIALIS. *Plutarch. in Mar.*

MARCION PONTICVS.

Polycarpus *Marcioni* obviam venienti, dicentiq; : *nosce nos amabò*: respondit: Novi equidem πρωτότοκον i. PRIMOGENITVM SATANÆ. *Euseb. l. 4. c. 13. vide & c. 11. Iren. l. 3. c. 3.*

MARIVS

Vna die factus est Imperator, alia die visus est imperare, tertia interemptus est. Pleriq; MAMVRIVM, nonnulli VECTVRIVM, opificem utpote ferrarium, nuncuparunt.

Quod cognomentum in laudem traxit, apud *Pollionem de XXX. Tyrann. c. 8.*

C. MARIVS

Cimbris, Teutonis & Ambronibus duplici prælio cæsis, reque publica in pristino statu retenta, TERTIVS VRBIS CONDITOR est appellatus. *Sabell. 6. 3.* vide CAMILLVS.

C. MARIVS

Junior, primum MARTIS FILIVS, ob audaciam in adeundis periculis: mox tactis ipsis perspectus, VENERIS FILIVS appellatus est. *Plut. in Mar.*

MARNIXIVS.

Philippus Marn. Saltandegondanus Eques, Consul Antverp. In quo viro genus cum ingenio, ingenium cum eruditione, eruditio cum virtute, virtus cum industria certarunt: CYNEAS in dicendo pro patria: TYRTÆVS in hortando. *Vit.*

Tris præter omnes nobili fama viros
Cultu PHILIPPOS prosecutus sum meo,
Te cælitis MORNÆE felicem stili,
Te clare SIDNEI, quem diurnare haud tulit
Virtus in orbe, fas ubi versum ac nefas,
Terrisq; ademit debitum cœlo decus.
Te, magne MARNIX, providens vir & graves
Perpesse curas patriæ rebus super:
Cui plura debent administri Belgicæ,
Quam vel Camillo Roma, vel Themistocli

Gens

Gens Atticorum, sed pari modo lucra
Damnis rependunt, & malo mulctant bonos.

Baudius in Funerib.

MARICVS

Quidam *ex plebe Boiorum*, cum DEI nomen sibi arrogasset, & non adspernandam manum perditissimorum adscivisset, quos ingentibus promissis corruperat, ita ut in Romanos ferret arma, postea captus & occisus, falsò inditi nominis gravissimas pœnas dedit. *ex Tac. l. 18. Alex. l. 2. c. 11. ubi quoad rem, similia.*

MARSILIVS FICINVS

Religiosus & fidelis. Vertit Platonem, summa cura verbis insistit, sententiam quidem reddidit, in indole verò defecit: non enim nitet majestas Platonis, non relucet splendor in translatione. *Nannius in Horat. Poët.*

MARTIALIS.

Marcus Valerius Mart. Hispanus, Bilbili natus haud ignobili Ciltiberiæ oppido: quod ipse fatetur *l. 1. epigr. 62. f.* Nec me tacebit Bilbilis. *Confer. Epigr. L.*

Erat homo ingeniosus, acutus & qui plurimum in scribendo & salis haberet, & fellis, nec candoris minus. *Plin. III. ep. 21.*

Martialis ingeniosissimus & disertissimus poëta COCVS dictus, quod bonam partem de eduliis, instrumentisq; culinariis, de apparatibus conviviorum, prandiis, cœnis, sportulis, vocationibus, parasitis, furibus tricliniaribus, conviviis turpibus, pocillatoribus, quæq; reliqua ad ventrem gulamque pertinent, scribat & jocetur. *C. Barth. VI. Adv. 1. f.*

Clarum ergò *Valerium* nostrum nulla sua culpa, sed petulanti quadam consuetudine librariorum satis inhonesto titulo è mediis rosis, & pocillationibus Cæsareorum Catamitorum in culinam ablegatum. *ibid.*

Vnus qui epigrammatis genium videtur possedisse. *Dempsterus.*

Impressus Lutetiis ap. Mich. Sonnium, cum variorum commentariis. Edidit & Scriverius Lugduni Batav.

Dicere de rebus, personas parcere nosti:
Sunt sine felle tui, non sine melle sales.

Ovven. l. II. epigr. 160. de Magistro, dicam, an discipulo.

MARTIANVS CAPELLA

Novo quodam & affectato genere scribendi, quo pleriq; in terra Africa, ut Apul. Tertull. Fulgentius, usus: *Gyrald. de poët. c. 4.* ubi tenebras eius detestatur.

Liberales artes in dotem Mercurio dedit, unà cum Philologia uxore. *Volat.*

MARTYRES

Hos ἐμπνόους στύλας dixit *Nazianz.* i. SPIRANTES COLVMNAS propter vividæ fidei singularem constantiam. *Victimas* pro Christo cæsas. *Or. 22.*

MAXIMIANVS

Poëta. Vide Cornel. GALLVS.

MAXIMINVS

Senior. Hoc non fuit crudelius animal in terris: omnia ſic in viribus ſuis ponens, quaſi non poſſet occidi. *Capitolin. c. 9.*

Vir temporis ſui fortiſſimus, quem alii HERCVLEM, alii ACHILLEM, alii AIACEM vocarunt: propter crudelitatem autem alii CYCLOPEM, alii BVSIRIDEM, alii SCIRONEM, nonnulli PHALARIM, multi *Typhonem*, vel *Gygem. Ibid. c.* 4. & 8.

MAXIMINVS

Junior, Imperator pulcherrimus, quo nulla *mulier* nitidior in mundo. *Capitol. c.* 2.

MAXIMVS

TYRIVS, Philoſophus Platonicus.

Vir magnus & terrarum Domini Præceptor. *Heinſ. in dedicat. Horat.* ubi *M. Antoninum Imp.* intelligit, ſi dedicat. in Max. legas. Huius viri diſputationes quæ ad noſtram pervenerunt ætatem, tales ſunt, ut unum quidem ſi excipias Platonem, nemini dicendi venuſtate pariter ac ſapientia concedant, neq; quiſquam hodie legatur, qui tam accurate ac feliciter indolem ac GENIVM MVSÆ expreſſerit PLOTONICÆ. *Ibid. Et Lectori*: Scriptor ex Academia, ſapiens, amænus, floridus, facundus, & qui ubiq; patrem ſuum refert Platonem.

Quæ Romæ olim Græcè diſputavit Maximus, ſermone eius urbis, in qua nata ſunt, dedit ipſe *Dn. Heinſius Lugd. Batav.*

Platonicorum mellitiſſimus. *Caſaubono dedic. Perſ.*

MELA

Pomponius MEL. *Hiſpanus ex Mellaria* (quæ nunc Granata) Bethicæ oppido, *ut ex libro eius II. c. de Hiſpania f.* notum.

Eius libri tres de ſitu orbis.

Geographus diligens, ſed nimis conciſus. *Dempſterus.*

MELAMPVS

Fil. Amythaonis, vates, poëta & medicus excellentiſſimus, ſic dictus à nigris pedibus q. ATRIPES, Schwartzpote. *Theocrit. interp. Idyll.* 3.

MELANCHTHON.

Philippus Mel. Communis Germaniæ Præceptor: Germaniæ PHOENIX paſſim. Doctus, ſedulus, induſtrius. *Lipſio Cent. I. epiſt.* 89. ubi plura de eius & Rami comparatione.

Maximum in eo tranquillitatis erat ac quietis ſtudium, ut niſi de neceſſariis contendendum non putaret: humanitatem exterorum & diverſa ſentientium; ſuorum verò & eandem doctrinam profitentium acerbitatem expertus & reprehenſionem, ob rixarum & contentionum fugam. *Thuan. lib. XXVI. f.*

Illius

Illius ingenium magnum atq; ad omnia comparatum. *Scal. VI. poët. c. 3. p. 798.*

Hei quam multorum lolio sterilesceret arvum,
Ni vitula solerte Melanchthonis illud arassent.
Taub Sched. Sacror. l. II. p. 146.

Hic vivus in purgatorio; mortuus in inferno: at redivivus inter beatos in cælo locatus, ut ajunt, videbitur.

Literarum & Literatorum decus. *Ipsi Henrico Steph. in Pindaro, quem Philippo dedicavit.*

MELETIVS

Episcopus Antiochenus sanctissimus, ἀοίδιμ☉ i. e. CELEBRIS cognominatus. *Synodicon. c. 73.*

MELISSVS.

Paulus MELISSVS *à Matre Melissa* sic dictus, nam pater fuit *Schedius*. Ob carminum suorum suavitatem & elegantiam, atque etiam numerorum varietatem recte videtur appellari posse *Romanæ fidicen Lyræ. Henr. Salmuth. præf. Pancirol.*

Latinæ linguæ PINDARVS unico magis unicus, quiq; Pindaro Græco controversiam fecisset dignitatis, nisi maluisset secundas agere & haberi par. *in vita.*

MENANDER

Atheniensis, Comicus Antiquus.

Magnum Menandro in comico socco testimonium Regum Ægypti & Macedoniæ contigit, classe & per legatos petito: maius ex ipso, regiæ fortunæ prælata literarum conscientia. *Plin. VII. N. H. c. 30.*

Novæ Comediæ STELLA Lucifera, *epig. 65. l. V. Anthol.*

Menander Poëta vetustior, humanarum opinionum vel peritissimus. *Agell. l. III. c. 16.*

Quidam, sicut *Menander*, justiora posterorum, quam suæ ætatis iudicia sunt consecuti. *Quint. III. instit. or. c. 7.*

Menander vel unus, meo quidem judicio diligenter lectus, ad cuncta quæ præcipimus effingenda sufficiat: ita omnem vitæ imaginem expressit: tanta in eo inveniendi copia, & eloquendi facultas: ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus. *Idem l. X. c. 1.*

Menander communissimus omnium, quæ Græcia tulit, BONORVM COMMENTARIVS: qui legeretur, disceretur & certatim ageretur: *post*: Sicut Pictores oculis defessis ad floridos & virides se avertunt colores: ita Philosophis laboriosis requies gravium atq; continentium meditationum est *Menander*, tanquam prato pulchrè florenti & opaco atq; auræ pleno excipiens animum. *Plutarch. comparat. Aristophanis & Menandri p. 854. B.*

De quo Plutarchi judicio, Vide *Frischlinuum ante Aristophanem.*

Ὁ πᾶσιν ἀρέσας ἐν σοφοῖς ποιήμασιν,
Ὁ τοῦ βίου τὴν πρᾶξιν ἀποδείξας σοφοῖς
Μένανδρος ὁ σοφός. H. e.
Sapiente versu probatus à cunctis
Vitæ colores atq; imaginem monstrans
Sapiens *Menander.*

In Prologo Menandri & Philistionis *ap. Ian. Rutgersium lib. IV. var. lect. c. 12. v. 1.*

Doctor in urbe sua linguæ sub flore Menander.
Qui vitæ ostendit vitam chartisq; sacravit.

Manil. lib. V. m. Vbi *ductor* legit pro doctor *Barth.*

Sed & ORBIS DOCTOR non ineptè vocetur: inquit *idem Adv. l. XXIII. c. 23. quem vide*

MENECRATES

Syracusanus medicus, qui se JOVEM appellabat Philippo scribens: JUPITER Philippo εὐπράττειν: responsum accepit: Philippus Menecrati ὑγιαίνειν i. *sanitatem. Ælian. Volat.*

MENEDEMVS

Cynicus, sumto habitu FVRIÆ circumire fuit solitus, dicens: SPECVLATOREM se ex inferno venisse iis qui peccarent, ut descendens hæc ibi dæmonibus renuntiaret, quæ vidisset. *Laërt.*

MERCVRIALIS.

Hieron. Mercur. Opicæ barbaricæ ἀλεξίκακος. *Pareo.*

METELLVS

Quidam dictus DIADEMATVS s. VITVATVS, quod diu in publico versaretur, fronte in qua ulcus habebat obligata. *Plutar. in Coriol.*

C. METELLVS.

Mentis tarditatem Scipio apud Numantium ita C. *Metello* exprobravit, ut diceret, si quintum pareret mater eius, ASINVM fuisse parituram. *Adag. p. 178.*

Q. CÆCILIVS METELLVS

A domita Macedonia dictus MACEDONICVS. *Aurel. c. 61.*

Q. CÆCILIVS METELLVS

Quia Consul de Jugurtha Rege Numidiæ triumphavit, dictus NVMIDICVS. *Ibid. c. 62.*

Q. METELLVS

Numidici filius, quia patrem lacrimis & precibus adsiduè ab exilio revocavit, dictus PIVS. *Ibid. c. 63.*

Idem

Idem CELER, quod patre defuncto munus gladiatorium populo dediſſet, paucis diebus in apparatu poſitis. *Plut. Rom.*

MINVTIVS FELIX.

Marcus Minutius Felix Romæ inſignis Cauſidicus ſcripſit Dialogum Chriſtiani & Ethnici diſputantium, qui *Octavius* inſcribitur. Scriptum perelegans, in quo gentilium ſcripturarum intactum nihil dimiſit, ut ait *Hieron. epiſt. ad Magnum*: quo oſtendit quam idoneus veritatis adſertor eſſe potuiſſet, ſi ſe totum ad id ſtudium contuliſſet, laudante *Lactantio l. V. de juſtitia c. 1. a. f.*

MISOPONERVS.

Satyricon hoc nomine, opus non omnium certè hominum, inter reliqua vitia hypocriſin ſparſim inceſſens. *Caſaubono* tribuit non obſcure I.A.M. qui notas adiecit.

MITHRIDATES

Ponticus Rex, vir neq; ſilendus neque dicendus ſine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, ſemper animo maximus, conſiliis dux, miles manu, odio in Romanos ANNIBAL. *Vellei. l. 2. c. 18.*

LIBERI PATRIS potius quàm cuiuſquam alius Dei nomine cohoneſtatus à Trullianis. *Cic. Or pro Flacco.* Cauſam ſcrutatur *Plutarch. 1. Symp.*

A Polypoſia cognominatus DIONYSIVS. *Rhodig. l. 24. c. 17.*

MORNÆVS.

Philippus Morn. doctorum nobiliſſimus & nobilium doctiſſimus, quem unum, Platonis, Demoſthenis & Auguſtini, ſimul compoſitorum IDEA vix exprimat. *Lanſius orat. pro Gallia p. 224.*

Vide MARNIXIVS.

MORVS.

Thomas Mor. Londinenſis, ſupremus regni Britannici Cancellarius. Vir omnibus Religionis atq; juſtitiæ numeris longè optimus, atq; ſanctiſſimus. *Iovius in Elog. doctor. p. 107. in Elog. Anglorum p. 43.* Certe non niſi innocentiæ ſuæ reus ſecuri ab Henrico VIII. ſubjectus.

Vir omni tyrannide maior. *Iulio Scalig. or. de Verbo Ineptip. 376.*

Aliis SOCRATES ANGLICVS. Tanto eius omnis doctrina mirabilior videtur, quod nunquam Inſula egreſſus, ſeipſo uſus eſt magiſtro, adeoq; Græcè & Latinè profecit. *Gyrald. dial. II. de poët. ſui temp p. 405.* Confer *Ælian.*

MOSCHVS

Poëta Siculus cuius Idyllia ab Heinſio ſunt addita Theocrito.

MOSES

Dei de proximo ARBITER. *Tertul. l. de Monogam. c. VI.* ſeu DEI *Cancellarius*, ut vocat *Lanſius Orat. I.*

Conſcriptor arcanorum creaturæ, *Baſil. Sel. or. 9.* quam vide. Vir omniū quotquot unquam fuere, prudentiſſimus: Imperator cumprimis bonus:

Vates

Vates qualis nemo alius, ut omnia eius verba vim oraculorum obtinerent, &c *Iosephus l. IV. antiq. c. ult.*

Historicus mundi nascentis: *Prudent. Hamartig. v.* 341.

Omnes substantias, omnesq; materias, origines, ordines, venas veterani cuiusq; styli vestri, gentes etiam plerasq; & urbes insignes, historiarum causas & memoriarum, ipsas deniq; effigies litterarum, indices custodesq; rerum & (puto adhuc minus dicimus) ipsos inquam Deos vestros, ipsa templa & oracula, & sacra, unius prophetæ scrinium seculis vincit, in quo videtur thesaurus collocatus totius Judaici sacramenti, & inde etiam nostri. De antiquitate *pentateuchi. Idem Tert. in Apologet. c. XIX.*

Multo antiquior Moyses etiam Saturno nongentis circiter annis, nedum pronepotibus eius, certè divinior multò: qui decursus generis humani ab exordio mundi quoque per singulas nativitates nominatim temporatimque digessit, satis probans divinitatem operis ex divinatione vocis. *Idem Tertull. de anima c.* 28.

Moses ille cui mare scinditur, panis pluit, petra scaturit, ignis & nubis columna iter præmonstrant. *Nazianz. orat. XIX. p.* 111. *a.*

Moses prius Expositus, deinde Legislator, atq; eorum qui ad promissam terram contendebant, IMPERATOR. *Id. Or. XXV. p.* 165. *a. & Orat.* 49. *p.* 281.

Laudem eius quoq; vide *in Orat. Constantini Eusebio adiecta c.* 17. & ap. *Philonem in vita Mosis.*

Quàm verò de Mose aliter gentiles, cernere est *ap. Strabonem l. XVI. & Iustin. l. XXXVI. c.* 2. *Galen.* cuius scomma: Mosen multa dicere, pauca probare.

Mosen *Musæum* quidam Græcorum appellavere, ut ex Artabano observavit Eusebius: sed ipse Musæo & Orpheo longè antiquior. *Gyrald. dial. II. p.* 42.

Cor & Corticem Mosi inesse, Magistri Ebræorum dicunt. *Casaub. præf. Polyb.*

L. MVMMIVS

Devicta Achaia dictus ACHAICVS. *Aurel. c.* 60.

MVRETVS

M. Antonius Mur. acerrimus rerum Judex. *Thuano l. LIX. p.* 640.

Elegantis ingenii & judicii vir. *Lipsio præf. in Sen.*

Cuius scripta Venus inhabitat pariter cum Musis. *Id. in* 1. *ann. Taciti.*

Criticus & Orator eximius. *Dempstero in Rosin.*

Politissimus & in gremio Musarum educatus. *Turneb. l.* 15. *c.* 22.

MVSÆVS

Poëta, Orphei discipulus, ut cui Orphei lyra post mortem contigit. *Arati interpres, & Gyrald. dial. II. p.* 58. ubi eum BOREæ beneficio aliquando *volasse* notat.

DEus à suis habitus. *Tertullian. l. de anima c.* 2.

Athenis homines initiationibus obligavit. *Id. apologet. c. XXI.*

Arbitror ego *Musæi* stylum longe esse Homerico politiorem atque comptiorem. *Scalig. V. poët. c. 2.*

Quod si Musæus ea, quæ Homerus scripsit, scripsisset, longè melius eum scripturum fuisse judicamus. *ibid. p.* 540.

Edidit nuperrimè *Daniel Pareus*, cui hic poëta est περιλυχὴ μέλισσα λιγύθροος. *Confer Barth. lib. XLVII. advers. c.* 22. V. SAPPHO.

Eius autem non esse carmen, quod de Leandro & Herone circumfertur, verum alterius Musæi Grammatici, evincit *Casaub. not. ad Diog. p.* 3.

MVSEVM

Ægyptia mensa est continens viros in toto orbe doctrina claros: Dionysius Milesius Historicus ab Hadriano satrapa factus adscriptusque inter equites eos qui in Museo epulantur.

Museum Ægyptiis, fermè apud Athenienses PRYTANEVM. *Plutarch.* Luculli ædes Prytaneum vocat.

MVSONIVS

Babylonius, ob Philosophiæ studium à Nerone in carcerem coniectus, Vir sapientia secundus ab Apollonio. *Philostr. l. IV. de vita Apollon. c.* 12.

In Philosophia perfectissimus. *Ibid. c. XVI. Eunapius meminit in Proæresio p.* 160. *& Suidas* in A.

N.

NABOCRODOSORVS

Rex Assyr. quem Chaldæi maiores dicunt res gessisse quàm *Herculem*, & usq; ad columnas pervenisse. *Strabo l.* 14.

Is est corrupto vocabulo NEBVCADNEZAR. *Volat.*

NANNIVS.

Petrus Nan. Alcmarianus Batavus, Vir insigni literatura, qui utraq; facundia valet. *Gyrald. dial. II. de poët. sui temp. p.* 408.

Criticus diligens. *Dempster.*

NÆVIVS

Poëta Comicus epigramma sibi posuit plenum superbiæ Campanæ:

Immortales mortales si foret fas flere,
Flerent divæ Camænæ Nævium Poëtam,
Itaq; postquam Orci traditus est thesauro,
Obliti sunt Romæ loqui Latina lingva. *Agell. Volat.*

Nævius in manibus non est: & mentibus hæret
Pæne recens: adeo sanctum est vetus omne poëma.

Horat. l. II. ep. I. v. 53.

NATALIS

Comes, Venetus, Mythologicis, & Historiarum à Casparo Bitschio editarum libris, celebris.

NAVSIPHANES

πνεύμων, h.e. PVLMO ab Epicuro dictus, ut ſtupidus & illitteratus, qui tamen velut ab ore partu iit jactantiam Sophiſticam. *Laërt. l. X. p. 711. Illuſtrius in Epicuro. Sex. Empyri us adv. Mathemat. procem.*

NAZARIVS

Panegyriſtes eloquens & gravis. *Dempſterus.*

NAZIANZENVS

V. GREGORIVS.

NEMESIANVS.

M. Aurelius Olympius Nemeſ. Eclogas & Cynegeticon ſcripſit, de quibus, ut & Calpurnii eclogis ſic *C. Barth.* Nihil in his elegantiſſimis Eclogis tumidum, inflatum, ſpiritum pro ſanguine, pulmonem pro corculo habens, nihil adfectatum, ſolæcum, aut extra corpus orationis expreſſum: compoſita, ſuavia, naturali quadam gratia omnia ad unius fili regulam deducta.

Cynegeticon Nemeſiani tale eſt, ut niſi ipſo Auguſtæo, vel illi proximo ævo, neminem meliori Genio tale quid elaboraturum fuiſſe arbitrer. Nec ullum Afrum ſcriptorem extare arbitror, qui purius Latinè ſcribat: *Epiſt. nuncupat. ad Cauſab.*

NEMESIVS

Ὄμμα δίκης ῥήτωντε i. juris & eloquentiæ *oculus*. Ap. *Nazianz.*

NEOCLES

Philoſ. Athen. frater Epicuri, de ſecta ſcripſit ſua, ei NEPOS cognomentum Romanum, ex luxuria inditum. Sic Metellus NEPOS, & Cornelius NEPOS. *Volat.*

NEPOS.

Corn. Nep. ſeu Æmilius PROBVS (non enim ſatis conſtat quis ſit illarum vitarum autor) de Imperatoribus exterarum gentium ſcripſit: Aliis, Theodoſii Imperatoris; aliis, Pompeii, Cæſaris & Ciceronis coætaneus. Scriptor puriſſimus *Giſanio Conjectan. in Lucret. ſub ſentent.* Venuſtus atquè elegans ſcriptor *Cl. Marnio*, qui cum commentariis Lambini, Longolii, Magii, Savaronis emiſit M. DC. VIII.

Æmilius Probus ævo Theodoſiano, Correptor Corn. Nepotis fuit. *C. Barth. lib. XXIV. c. 18.*

NERO

Ex Claudiorum familia ſic appellatus eſt quiq; præſtantiſſimus: NERO virtus, Sabinis: *νεῦρα* tendo Græcis. *Agell. l. 13. c. 22.*

NERO

LVTVM *ſanguine maceratum. Suid.*

Deteſtabilis & malo publico natus *e. ipſo* Patre Domitio ap. *Suet. l. 6. c. 6.* quem turpiſſimum Imp. Romana & paſſa reſp. *Rufus in breviario c. 20.*

NESTO-

NESTORIVS

πυρκαϊά i. INCENDIVM dictus. *Socrat. l.7.c.29.*

NICANDER

Colophonius, de rebus rusticis homo ab agro remotissimus, poëtica quadam facultate, non rustica, scripsit præclarè. *Cic.1. Oratore c.16.* Huius Theriaca extant & alexipharmaca. V. MANILIVS.

Arduus & operosus Poëta. *Dempsterus.*

NICEA

In Bithynia, mater urbium. *Ammian. l.26.c.2.*

NICETAS

Acominatus Choniates, Magnus Logotheta, Secretorum Inspector & Judex veli, Præfectus Sacri Cubiculi.

Homo non tantùm magnis dignitatibus ornatus, sed etiam ingenio & multiplici doctrina præstans, & veritatis historiæ ubiq; studiosus. *Hieron. Wolfius*, qui edidit

Purum rectumq; ingenium, si aliud illo ævo. *Lipsius in not. 1. polit.p.556.* quem vide.

Historicus luculentus. *Dempster.*

NICIAS

Athen. dux COTHVRNVS d. ob morum vafritiem, qua se omnibus accommodabat. *Plut.* Idem ut CVNCTATOR traductus, unde μελλονικιᾷν.

N[illegible]COLAVS.

Nic. III. Papa ob morum [illegible]statem vulgò d. COMPOSITVS. *Volat.*

P. NIGIDIVS

FIGVLVS cognominatus, eo quod responsurus interroganti: cur gemini dispari conditione nascerentur: commentum rotæ meditatus est, quæ revoluta brevi momento, maxima percurrit spatia.

Omnium disciplinarum & artium culmine claruit eodem quo M. Varro tempore. *Agell. & Volat. Aug 1. C.D.*

NOE

Vir *justus* & integer in ætatibus suis h. e. inter homines sui seculi depravatissimos & in scelera omnia proiectissimos. *Gen 6.9.c.7.1.*

Præco justitiæ. 2.Pet.2.5.

Tanquam aurum in cœno fulgurans, & virtutum thesaurus in tumulis graveolentibus abstrusus. *Basil Sel.or.5.*

Diluvii vaticinator. *Ibid.*

Hominum progenitor Adamo anteferendus.

Imaginis DEI firmior adservator.

Finis unaq; principium naturæ

Faustum humanitatis confine.

Tutior divinæ bonitatis Fidejussor.

Impietatis exitium fideiq; radix.

Fidei custos tutissimus. Virtutis Magister. *Ib. plura f.*

Secundi huius mundi PARENS. *Nazianz. or. 19. p. III. f.*

Qui in universali diluvio GVBERNATOR servabatur, & iustitiæ gubernaculo diluvii violentiam propulsabat. *Basil. Sel. or. 14.*

Justitiæ seminarium. *Ambros. l. de Noe & arca c. 1.*

NONIVS MARCELLVS

Peripateticus, *Tiburiensis*, de proprietate sermonum scripsit. Autoritatis non magnæ Grammaticus. *Barth. l. XXI. Adversar. c. 5.*

Infiniti sunt in Marcelli commentariis errores, & eorum pleriq; eius generis, ut scriptori ipsi, non autem, quod in aliis solet, librariis debeant assignari: & tamen poëtis ab eo laudatis magnæ sæpe numerò fraudi sint, *Carrio l. 1. c. 4. antiq. lect.*

NONNVS

Panopolitanus, scriptor felix in talibus, si temperatè scribi Bacchica potuissent, quæ melius furore quodam proclamantur, & iniurii quam maxime sunt, qui de scriptore omnium minimè sobrio, ut ait *Ausonius*, abstemii iudicant. *C. Barth. VII. Adv. c. ult.*

Genii mirabilis poëta. *Dempsterus.*

NOVATVS

παγὶς τῶν μετανοεῖν βουλομένων. LAQVE[illegible] pœnitentiam agere volentium. *In Synodico Græco c. 21.*

NOVELLIVS

Mediolanensis ad proconsulatum usque ex prætura promotus, ob tres vini congios uno impetu epotos spectante Tiberio Principe, TRICONGIVS nominatus est. *Plin. Vid. Polymnem. tit.* EBRIET.

NOVOGARDIA

Vrbs Russica, Româ amplior, qua de jactatum protervè nimis proverbium: QVIS CONTRA DEVM ET NOVIGRAD? Magna *Thuano.*

NVMERIANVS

Cæsar, Orator temporis sui potentissimus. *Vopisc. c. 12.*

O.

OBSEQVENS.

Iulij Obs. de prodigiis liber imperfectus, Venetiis expressus Anno 1508. Necessarius & diligens scriptor. *Dempster.*

OCHVS.

R. Persarum, ab Ægyptiis vernacula lingua ASINVS appellatus, inertem eius animum imbecillitati animalis per vituperium comparantibus. Quamobrem ipse Apin vi abstractum immolavit asino. *Ælian. l. IV. c. 8.*

Juxta

Juxta comminationem suam: asinus hic bovem vestrum devorabit. *Plut. de Iside.* tum post immolationem dictus est GLADIUS ab iisdem. l.c.

OCTAVIANUS

Cæsar, ob res gestas DIVUS AUGUSTUS est appellatus. *Aurel. c.79. & in Cæsarib. c.1. Pater patriæ* habitus ob clementiam.

Augusti sanctius visum nomen quàm Romuli, q. *alterius Urbis conditoris*, quod loca quoque religiosa & inaugurata dicantur ab avium gestu, aut auctu. *Cuspin.*

APOLLO TORTOR per convitium vocatus, quando in summa annonæ caritate cœnam instruxit sumtuosam δώδεκα θεῶν, qua convivæ, deorum dearumque habitu, ipse scenico Apollinis ornatu discubuit. *Confer Eras. p.161.*

ONOSANDER

Philosophus Platonicus, STRATEGICUM sive de Imperatoris Institutione scripsit à Nicolao Rigaltio editum.

OPPIANUS

Poëta Cilix: patriam cum Asclepiade & Dioscoride illustribus medicis communem habuit Anazarbam videlicet, Ciliciæ urbem: dictione floridâ atq; elegante, carmine festivo, splendido castoq;: naturas, ingenia & mores animantium omnium tractat, quod cum *Antonio Baßiano Caracalla* dedicasset, ab Imperatore facta sibi optione petendi quid vellet, patrem ab exilio revocatum rebus fortunisq; suis restitui petiit, & impetravit: inter præstantissimos simul poëtas iudicio Imperatoris locus ei datus, & insuper pro unoquolibet versu statere aureo donatus est: ex quo factum ut eius CARMINA AUREA appellarentur. Suidæ calculo si fides est, in universum duas myriadas nomismatis accepit, id est, *vicies millenos aureorum.*

Omnium eruditorum puncta hic unus abstulit, quod certe omni ævo quàm paucissimis contigit. *Cunrad. Rittershusius in proœm. Opp.* quem quo hodie cultu cultissimo nitidissimoque visitur, ei acceptum referimus, inquit *Remus in Themist. orat. p.214.*

Musarum alumnus prudentissimus: poëta candidissimus atq; magniloquentissimus: maximus atq; elegantissimus: absolutissimus: cui Græcorum neminem ausis comparare: cuius unius spiritu Virgiliana divinitas repræsentata. *Iul. Scalig. exercit.* 218. *sect. I. exercit.* 225. *de C. Lat. Ling. l. II. c.* 53. *V. poët. c.* 14. *Ibid c.16.*

Suavis, generosus incomparabilis Poëta. *Dempster.*

Suaviloquens Vates. Volat. ex statua eiusdem.

OPTATUS

Milevitanus Afer, pius & elegans scriptor, & quod in eo dignum honore summo, summus argumentandi artifex. *C. Barth. l. XXIX. c.16.*

ORDONIVS IV.

Hispan. Rex, Alphonsi filius, cum non iure regium sibi nomen arrogasset, populosq; non in pace continuisset, MALI cognomentum meruit. *Ritius lib. 2. Reg. Hisp.*

ORIBASIVS

ATTICA MVSA & DOMESTICVM ORNAMENTVM. *Eunap. p.* 180.

ORIGENES

Qui & ADAMANTIVS, vir clarissimus & in omnibus disciplinis exercitatissimus. Quid dicas de eius prope immortali & beato ingenio? Nam Dialecticam, Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam & Rhetoricam & omnium dogmata Philosophorum, sic edidicerat, ut studiosos mundanarum rerum haberet auditores, & indies iis aliquid enarraret, magnusq; ad eum concursus fieret: & apud Græcos MAGNVS PHILOSOPHVS prædicaretur: cum Græci Philosophi ad eius judicium, tanquam præceptoris, labores suos referrent

Cum puerili ætate sensum sacrarum literarum profundius scrutaretur, Pater (Leonides, Episcopus & martyr) eum objurpabat, ne quid supra ætatem quæreret. Sed noctu accedens & pectus intuens, quasi sancti Spiritus templum deosculabatur, seq; tali filio beatum iudicabat. Omnem divinam scripturam XVIII. est]interpretatus. Fertur autem stans libros composuisse. SYNTACTICVS, *συντακτήριος ἢ συντακτικὸς* i. e. COMPOSITOR dictus est, quod multos fecisset libros. Ab eo omnes posteriores Ecclesiæ doctores fuerunt adiuti, ut ait *Theologus Gregorius*: *Ὠριγένης ἡ πάντων ἡμῶν ἀκόνη.* Origenes OMNIVM nostrum COS. *Ex Suida.*

μέγας φιλόσοφος omnium Græcorum sermone prædicatus. *Euseb. VI. hist. eccl. c. 13. ubi plura.*

A quibusdam protomystarum tanquam *Scævus Cavendusq; Tractator* improbatur. *Sidonius Apollinaris ep. 11. l. II. ubi vide notas Savaronis.*

Origenes *Græciæ stella*, utinam non caduca. *Lips. Epist. XXVII. cent. I. ad Belg.*

Dux eruditionis. *Barth. lib. XLVIII. c. 8.*

ADAMANTIVS dictus ab indefatigabili laborum patientia. *Erasm. p. 696.*

OROSIVS

Christianus & Magni discipulus Augustini, propter religionem fidei nostræ veritati diligentius institit. *Sarisber. lib. VIII. c. 18. f.*

Paulus Orosius scriptor utiq; bonis adnumerandus, quamvis non quidem primis. *C. Barth. l. XXXVI. c. 17.*

P. Oros. Hispanus, in historia interdum pætus veritatis aut investigator, aut enarrator. *Dempsterus.*

ORPHE-

ORPHEVS

Ex Libethris Thraciæ urbe sub Pieria; Filius Oeagri, & Calliopes, Vir præstans sapientia multorumque arcanorum peritus. *Suid. in Orat.* primus initia Græcorum instituit. Suidas in θρησκεύειν *Tectull. apolog. c. XXI. Gyrald. dial. II. p. 57.*

In Pangæo monte Thraciæ natus putatur, quem Thracum populi, quos *Odrysos* dicunt, incolunt, homines agrestes, latrociniis addicti, inhospitales. Sola tamen cantus voluptate deliniti, Orpheum tanquam ducem secuti sunt. *Maximus dissert. XXI. p. 217. Confer III. Anthol. c. 25. epigr. 8. 9. 10. 11. & Gyrald. dial. II. p. 53.*

ORTELIVS.

Abrahamus Ort. Vir monstris ex terrarum orbe emoliendis planè natus. *Merulæ in præf. Cosm.*

Sagacissimus. *Tileman. discurs. p. 58.*

OTHO II.

Imp. à Saracenis PALLIDA MORS, ab æmulis RVBEVS OTHO & SANGVINARIVS dictus. *Cuspin.*

OTHO IV.

Imp. MVNDI MIRACVLVM, ex rerum gestarum magnitudine, dictus. *Zvving.*

OTTO

Frisingensis, scriptor sane Vetustus. *Sigon. de occident. Imper. l. XXIII. p. 224.*

Inter Historicos Episcopos valde excellit *Ottho Fris.* quem Henrici IV. Imp. nepotem, Henrici V. Sororium, Conradi fratrem uterinum, & Friderici I. patruum fuisse, ostendit *Radevicus lib. II. Hist. c. 11.*

Vir tantorum Heroum sanguine non indignus. *Tilem. in disc. philol. p. 184.*

Chronologus negligens, historicus non contemnendus. *Dempst.*

OVIDIVS.

P. Ovid. Naso Sulmonensis atq; ita

Peligni ruris alumnus.

Posteriora secula MAGNVM indigitarunt ad maius opus ipsius declarandum. *C. Barth. lib. VI. c. 1.*

Pari ratione GETAM cognominaverunt veteres Philologi, quod exilio barbaræ gentis eius terram confinem coluerit, ut ipse confitetur. *IV. de Ponto Eleg. XIII.*

Carmina quæ facio penè Poëta Getes.

Ingeniosissimus, Copiosissimus, Elegiacorum omnium princeps. *Dempsterus.*

Tantæ semper omnibus admirationi Ovidius fuit, ut non ingeniosus

sed

ſed INGENIUM ipſum: non Latinus ſed ipſa LATINITAS: Non Muſarum ſacerdos, ſed ipſum *Muſarum numen* ſit habitus. Quod ad linguam latinam attinet, eruditi omnes uno ore confitentur, ſi funditus illa eſſet amiſſa, unius autem Ovidii ſcripta exſtarent, ex illis commodiſſimè poſſe reſtitui. *Giſan. Apolog. pro poët. Lat. p.* 484.

Poëtarum ingenioſiſſimus: niſi tantum impetum ingenii & ma eriæ ad pueriles ineptias reduxiſſet. *Seneca III. Nat. quæſt. c.* 27.

Ingenio ſuo indulgere, quam temperare maluit. *Quint. lib. X. c.* 1.

Opus eius univerſum, ingenium potius refert, quam curam. *C. Barth. l. LVIII. c.* 9.

Non ignoravit vitia ſua, ſed amavit, *ex Seneca, Gyraldus Dial. IV. p.* 166.

Battologia laboraſſe *Seneca* ſcribit, unde OVIDIUM dicunt, battalogum Oratorem volentes notare. *Rhodig. l.* 13. *c.* 1.

Pepercit ſibi cum meliora multò poſſet. *Scal. l. V. poët. c.* 7. *p.* 857.

OVILVPVS

Theras Lacedæmonius cum Ariſtodemi filiis regnum tradidiſſet, imperio ſemel deguſtato morari in patria noluit, ſed profectus eſt in inſulam, quam à ſe Theram nominavit. Filius autem eius cum unà abire nollet, dixit Theras: *relinquam ergò ovem lupis*: ex quo dicto nomen adoleſcenti impoſitum ΟΙΟΛΥΚΟΣ i. OVILVPVS. *Herodot. L.* 4. *c.* 149.

OWENVS.

Ioan. Ovv. Britannus. Lanſio Orat. pro Britann. p. 607.

SECVLI NOSTRI MARTIALIS.

P.

PACVVIVS.

Pacuvium videri doctiorem, qui eſſe docti affectant, volunt. *Quintil. lib. X. c.* 1. V. ACCIVS.

PALÆMON.

Remmius Pal. Vincentius, principem locum inter Grammaticos tenuit. Arrogantia fuit tanta ut Marcum Varronem *porcum* appellaret; *ſecum & natas & morituras literas jactaret.* Nomen ſuum in Buccolicis non temere poſitum, ſed præſagiente Virgilio fore quandoque omnium Poëtarum ac poëmatum Palæmonem *judicem.* Gloriabatur etiam latrones quondam ſibi propter nominis celebritatem parſiſſe. *Sueton. de Illuſtr. Grammat. c. XXIII.*

PALAMEDES

Nauplii Filius propter rerum omnium cognitionem ΠΑΝΣΟΦΟΣ dictus. *Gyrald.*

PALINGENIVS.

Marcellus Palingenius *Stellatus*, Poëma eius totum Satyra eſt; ſed ſobria, non inſana, non fœda, eius dictio pura, verſus ac ſtylus in imo dicendi genere.

Hominem

Hominem non ignarum bonarum literarum arbitratus sum: sed levis ingenii & plusquam poetam fuisse suspicor: quique extra omnem Zodiaci ambitum millies in hora auferri rapiq; solitus fuerit. *Scal. l. IV. p. 792.*

PALLADAS

Epigrammatographus Græcus: poëta licet vetus, non magnæ eruditionis, sæpè frigidus. *Dempsterus.*

PALLADIVS

Rutilius Taurus Æmilianus, Vir illustris, de re rustica scripsit. Homo aliis Romanus; aliis Neapolitanus, quod ibi se testatur fundum habuisse, ubi loquitur de Mense Martio. *Volat.*

PANATHENAICVM

Stadium Athenis ædificatum ab *Herode Attico* ex ea pecunia quæ cuiq; civium surrepta esset, sic dictum opportuno cavillo. *Volater.*

PANCIROLLVS.

Guido Panc. grande Italiæ decus: Vetera deperdita, & Noviter inventa scripsit, ab *Henrico Salmuth interpretatione & notis illustrata.*

Jurisc. insigni doctrina. *Dempst.*

J. C. & Criticus exactus. *Ibid.*

PANDECTÆ

Linguæ Latinæ elegantia ac proprietas in divinis Pandectarum libris limitata quasi & conclusa. *Heinsius orat. III. de Bibl. p. 30.*

PANNONIA

Vide HISPALIS.

PAPINIANVS

JVRIS ASYLVM, & doctrinæ legalis *Thesaurus. Ælius Spartianus in Severo cap. XXI.*

Vir iuris experientissimus. *Saresb. l. IV. c. 2.*

Vir splendidissimus: summi ingenii: acutissimus: maximus sublimissimus: pulcherrimus dicitur *Iustiniano de juris docendi ratione & confirmat. Digestorum.*

Huius responsum, ad Caracallam, fratricidium in Getam ut dilueret, mandantem: NON TAM FACILE PARRICIDIVM EXCVSARI, QVAM COMMITTI. *Volat.*

PAPINIVS STATIVS

Poëta generosissimus, tantæ fuit auctoritatis ut in scholis perlegeretur. *C. Barth. l. XI. c. 2.*

Ab altitudine carminis & dicendi genere cognomen à librariis AQVILINI meruit. *Idem l VI. c. 1.*

Vir præiudicatissimus, *Sidonio Carm. XXII.*

EQVVS *alatus, Scaligero* dictus.

Non ullus veterum ac recentiorum propius ad Virgilianam maiestatem accedere valuit, etiam propinquior futurus, si tam prope esse voluisset. *Scaliger in Hypercrit. c.6 p.*843. ubi & Homero anteponit.

Sublimis & celsus, magnus & summus Poëta *Lipsio cent. I. epist.*13.

Eruditus in Silvis, sublimis in Thebaide: blandus in Achilleide. *Dempster.*

Edidit Eruditissimus Gevartius, & Emericus Cruceus.

De Bernattii notis ad Papinium, vide *Cens. Barthij in Claudian. anim. p.*353.

L. PAPIRIVS

A velocitate CVRSOR nuncupatus. *Aurel. c.*31.

Q. PAPIRIVS

PRÆTEXTATVS, cognomen adsecutus, nobilis adolescens, quod in prætexta & adolescentia constitutus, magnopere visus est sapere. *Macrob.* 1. *Sat. Agell. l.* 1. *c.* 23.

PASCHALIVS

Carolus Paschalius Gall. Consiliarius, de coronis opus X. libris distinctum edidit; quibus *res omnis coronaria* è priscorum eruta & collecta monumentis continetur. Paris. M.DC.X.

PAVLLINVS.

Pontius Paullinus Aquitanorum procerum princeps. Scalig. Auson. lect. II. c. 16.

Vir vita atq; scriptis verè, vt veteres loquebantur, APOSTOLICVS. *C. Barth. l. XIX. c.* 8.

Christianorum litteris poëticis clarorum, neminem Paullino præponere possis. Profunda eruditio secularium litterarum phrasim ipsi fecit, quam divinis mysteriis sine fuco tractandis egregiè & amabiliter miscet; quod si *ipsos Dei præcones Apostolos* Latinis numeris laudes Domini pangere voluisse diceres, talibus utiq; usuros fuisse confitereris. *Idem l. XIII. c.* 14.

PAVLLVS

Magnus veritatis Præco & Gentium in fide Magister, *Nazianz. orat. XIX. p.* 111.

Qui amplissimum orbem Evangelio implevit, qui nulli alii quàm Christo vixit, qui usq; ad tertium cælum penetravit, qui PARADISI SPECTATOR fuit, qui deniq; propter vitæ integritatem dissolutionis desiderio flagrabat. *Orat.* 26. *p.* 170.

Ille breviati verbi præco & assertor, ille Piscatorum discipulus ac præceptor. *Idem Orat. XXXIII. pr.*

Qui justitiæ pennis alatus tertium in cælum evolavit. *Basil. Sel. Orat.* 17.

Magna MVNDI & EVANGELII TVBA. *Chrysost. & Basil. Seleuc.*

VAS

VAs *electionis*, doctor Nationum. *Tertull. Resurr. c.23.*

Gratiæ prædicator. *Augustin. enchir. c.76.*

In invidiam alterius Paulli, Romani, Jurisconsulti, Apostolum eodem titulo honoravit *Venantius Fortunatus:*

Iurisconsulti Paulli comitante volatu,
Princeps Romanâ currit ab arce Petrus.

Revera autem Jurisconsultus Paullus, ante legis Professor, ut hominem Pharisæum decebat. Sic patrias leges præposuisse eum Domino scribit *Damasus.*

Iamdudum Saullus procerum præcepta secutus
Cum cuperet Domino patrias præponere leges.
C. Barth. lib. XLVI. c.3.

ADVOCATUS *Iudæorum.* ap. *Isidor. de Sanctis.*

Apostolorum ultimus simul & primus. *Idem Barth. l.VII c.4.*

Adde Bernhardum ser. 2. de verbis Apost. non est regnum &c. Simplicianum apud Ambros epist.7. l 2.

APOSTATA LEGIS vituperatur Ebionitis, ap. *Iren.3.26.*

PAVLLVS

Notarius Constantij Imp. cognomento CATENA quod esset in complicandis negotiis artifex dirus, & multos coopertos pænè catenis traheret ad Cæsarem. *Ammian. l.14. c.13.*

Eò quod in complicandis calumniarum nexibus erat indissolubilis, *l. 15. c.4.*

Peritus artium cruentarum, ut LANISTA ex commerciis libitinæ vel ludi, ipse quoq; ex equuleo, vel carnifice quæstum fructumq; captabat. *l.19. c.26.*

Funesti furoris & anhelitus plenus, *c.27.*

PAVSANIAS

Cæsariensis, autor ob variarum rerum copiam, & historiarum iucundam diversitatem utilissimus.

Quicquid pene Græcia memorabile habuit, magno Philologiæ & historiæ studiosorum bono complexus fuit. Quod olim dicebat Domitius Piso, *thesauros scribi debere non libros*, id à Pausania verè factum dixeris. *Voss. l. II. Histor. Græ. c.14.*

Auctor auro omni Antiquitatis Græcæ cupidis pretiosior. *Barth. ad Nemesiani Cynnget. p.234.*

Crassâ lingua pronuntiavit, & Cappadocum more, litteras consonantes prorsus collidens, producta corripiens & correpta producens: unde ipsum pleriq; COQVO comparabant, obsonia sumptuosa pravè condienti, *Philostratus de vitis Soph. p.590.*

PAVSANIAS

Cognomine PVTEVS, dum saltaret decidit in cadum: tum Gnathæna

meretrix in respondendo salsa: in CADUM PUTEUS, inquit, DELAPSUS est, ὁ λάκκ@ εἰς τὸν κάδον ἐμπέπτωκεν. *Athen l.XIII.c.7.p.584.A.*

PEDO

Albinovanus, sublimis & ALTILOQUUS poëta: Ovidio, *Sidereus*; Senecæ, Fabulator elegantissimus: non indignus cognitione, si vacet. *Fabio l X.c.1.v. Gyraldum dial.IV.p.168.*

Quem vulgo Pedonem Albinovanum faciunt, non alius est Nasone ipso, ait *Casp. Barth.lib.X. Advers.c.9.*

PERICLES

Ἀνὴρ καὶ ἐκεῖνον τὸν χρόνον πρῶτ@ Ἀθηναίων λέγειν τε καὶ πράσσειν δυνατώτατ@. H.e. Vir illis temporibus primus Atheniensium, & in dicendo & agendo præstantissimus. *Thucydides l.1.p.92.*

Atheniensibus instar PRÆCEPTORIS, (Διδασκάλε) fuit, sic ut ipso absente tumultuaretur sæpè concio, præsente mox mutaretur, & ad viri conspectum corrigeretur, ne illorum delicta Pericles rescisceret. Item. PATRIS vicem populo præstabat, σχῆμα τῆς πόλεως: VRBIS DIGNITAS. Inter notas Periclis, opes contemnere. *Aristides tom.III. orat. II. Platon. p.197. & seqq.*

Ψυχὴ πόλεως. VRBIS ANIMA. *Maxim.Tyr. dissert. XLI.p 411.*

Promptæ orationis fontes è Pericle primum nonnulli promanasse dicunt: quapropter μέγας τὴν γλῶτταν, LINGUA MAGNUS pericles cognominatus est, *Philostrat. de vitis Soph st. p. 487.*

Huius in labris Veteres Comici *Lepôrem* habitasse dixerunt: tantamq; in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi *aculeos* quosdam relinqueret. *Cic. III. de Orat. c.34. Fab.X.c. 1.p.449.*

Suadam Deam in huius labris scripsit Eupolis sessitavisse. *Id. in Bruto c. XV. v.* Eloquentia.

Ferunt matrem eius cum Periclem esset enixura, in somno vidisse, se Leonem parere. *Suid.*

OLYMPIUM poëtæ in Comœdia vocant, quod tonare in concionibus ac fulmen ciere videretur. *Plutarch.in vit.*

PERPENNA

Romanus, sic dictus à CARNE SALSA, cui id nominis, eò quod larido fuit deditus. *Rhod.l. 24. c.6. ex Macrob.*

PERSIUS.

Aulus Pers. Flaccus Volaterranus. Multum veræ gloriæ quamvis uno libro, Persius meruit *Fab.X.instit. c. 1. Vnde & Martialis l.IV. epigr.29.*

Sæpius in libro memoratur Persius uno.

SEVERUM veteres libri ab auctoritate castigandi & invectione in malos mores nominant. *C.Barth.VI.Advers.1.*

Sed videtur huic vanissimo commento occasionem præbuisse inscriptio illa,

illa, memoria avorum Volaterris inventa: ubi Aul. Persii cuiusdam octennis pueri fit mentio, cui cognomen fuit *Severo. Casaub. not. ad Persii vitam.*

Gravissimus morū censor, & virtutū Præceptor fidissimus. *Casaub. in dedic.*

Persii stilus, morosus: & ille *ineptus*, qui quum legi vellet quæ scripsisset, intelligi noluit quæ legerentur, quanquam nunc à nobis omnia intelliguntur. *Scalig. V. poët. c. 7. p. 338.*

Obscuritate & reconditis sensibus plerumq; refertus, nihilominus bonis connumerandus autoribus. *Gyrald. dial. IV. p. 175.*

Inter Satyros *secunda palma. Volat.*

Satyricus frustra intricatus habitus. *Demp̄ster.*

Scripta tenebrosi lego, non intelligo, Persi.
Lectores nimium negligit ille suos.
Ovven lib. II. ep. 158.

PERTINAX.

Helvius Imp. 85. *dierum*, quod coactus imperavit, repugnansq; suscepit imperium, cognomentum sortitus PERTINACIS *Aurel. Epit. c.* 18. dictus etiam χρηστόλογος CHRESTALOGUS eò quod blandus magis quàm beneficus. Huic mortuo DIVI nomen decretum, acclamatumq;:

PATRI PIO, PATRI SENATUS, PATRI OMNIUM BONORUM. *Ibid.* aliam nominis PERTINACIS rationem vide *ap. Tiraquell. in Alex. p.* 41.

PETRARCHA.

Franciscus Petrar. Florentinus, literas à multo ævo miserè sepultas, è Gothicis sepulchris excitavit. *Iov. elog. doctor. p.* 2.

Cum quo erigere caput, & ad priscorum auctorum exempla oculos attollere cæpit doctrina vere liberalium studiorum *C. Barth. LVII. advers. c.* 11.

T. PETRONIUS ARBITER

Eques Romanus: inter paucos familiarium Neroni assumtus est, ELEGANTIÆ ARBITER, dum nihil amœnum & molle affluentiâ putat, nisi quod ei Petronius approbavisset. *Tacitus XVI. an. c.* 18.

Arbiter Noctium, voluptatumq; Neronis. *C. Barth. l. VI. c.* 1.

Venustatem orationis suæ inquinavit spurcissimis amoribus: Obscænus & lascivus scriptor. *Adr. Turneb lib. lib. II. Advers. c.* 20. *& l. XIX. c.* 6.

Vernulæ & Latinæ Urbanitatis purissimus fons. *Ian. Gulielmus Plaut. quæst. Epid. c. V.*

Scriptor tersus & venustus, & nisi quod in re illa voluptatum, nimis latinè interdum loquatur, cetera laudatus. *Lipsius l. I. Antiq. lect. c.* 8.

Vidistin quidquam venustius, argutius, post natas Musas? *Idem l. III. epist. quæst.* 2.

Eius fragmenta *purissimæ impuritatis. Idem Comment. ad XVI. an. Taciti.*

Neronis & aliorum procerum flagitia horrenda, non minore flagitio publicavit. *Isaacus Casaub. II. de Sat. c.* 2.

Impariſsimus ſcriptor puriſsima Latinitatis

Scriptor lepidiſſimus: *immortalis Charitum pullus.* C. *Barth. in Racemat.*

Spurcus & obſcœnus, ſed ad pios etiam caſtoſq; illuſtrandos utilis auctor. *Id. XI. Adverſ. c.* 20.

Candidus, terſus, ſuavis, in omnibus mirandus, modo abſit obſcœnitas. *Dempſterus.*

PETRVS

Apoſtolorum Coryphæus, diſcipulorum Chriſti primas, myſteriorum quæ à Patre Filius acceperat, accuratus Interpres, undarum maris ambulator. *Baſil. Sel. or.* 17.

Ἡ Κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης i. Corypheum & antiquiſſimum inter Theologos FASTIGIVM. *Dionyſ. Areop. ad Timotheum Epheſi antiſtitem.*

PETRVS

Κναφεὺς i.e. FVLLO, Synodi Chalcedonenſis impugnator, *Synod. c.* 103.

PHÆDRVS.

De Phædri fabulis ita indicant doctorum pleriq;, eſſe ingenuæ Latinitatis, neq; mentiri ævum Tiberii. C. *Barth. XXXV. adv. c.* 21.

Phædrus Thrax, Tiberij libertus, fabularum luculentus ſcriptor, *Dempſter.*

PHALARIS

Agrigentinus, regno totius Siciliæ potitus: ſcripſit epiſtolas prorſus admirabiles. *Suidas.* Quas tamen alii Luciano adſcribunt. *Gyrald. dial. III. p.* 88. *& IX. p.* 332.

PHALERÆVS.

Demetrius Phal. Bibliothecarius Ptolomæi, *Dempſter.* V. tit. Polymnemonis, RHETORICA, & infra PTOLOM.

PHARAO

Cordis duritia laborans, in operibus indicendis acerbus *divinæ adverſus impios potentiæ ſpecimen. Nazianz. or* 15.

PHERÆVS

TRAGICVS REX dictus quod decem menſes potitus imperio, mox deceſſerit. *Adag. p.* 140.

PHERECYDES

Philoſophus Pythagoræ doctor, SYRIVS appellatus non à provincia Syria, ſed ab Inſula Syro patria, quæ una Cycladum. Ad eum pthiriaſi affectũ cum viſendi gratia Pythagoras acceſſiſſet, quonam pacto haberet ſciſcitatus: immittens is digitum iam carne prorſus reundatum, per januam, χροὶ δῆλα, *Ex corpore,* inquit, *palam eſt.* Vnde parœmia. Pœnam κυφολογίας i. levitatis rependiſſe non dubitant, ut qui *nulli unquam ſe deorum immolaſſe, nihilo minus iucundè ſibi ad id temporis actos vitæ annos,* effutiit. *Rhod. l.* 14. *c.* 13. *& l.* 19. *c.* 30.

PHILIP-

PHILIPPVS

Burgundiæ Dux AVDAX dictus, quod saltu periculoso mensam transiliit, ut Carolo VI. Gall. Regi proximus sederet. *Zvvingerus.*

PHILIPPVS

Francor. Rex, à formæ præstantia PVLCHER dictus.

PHILIPPVS II.

Franc. R. DEO DATVS nuncupatus, quod obsecrationibus eum Pater *Ludovicus Iunior*, tertia tandem ex uxore, ipse magnus natu, impetrasset. *Æmil. l. 6. Zvving.*

PHILISTION

Poëta Nicæus, ex vet. epigrammate:

ὁ τὸν πολυστένακτον ἀνθρώπων βίον.
γέλωτι κεράσας Νικαεὺς Φιλιστίον. H. e.

Qui lachrimosam miscuit mortalium vitam cachinnis: Vel ut *Cassiodorus IV.* ep. ult. loquitur, qui mundum curis edacibus æstuantem lætissimis sententias temperavit.

Risu eum mortuum, constans fama est. *Suidas: Gyrald. dial. VIII. p. 414. Illustrius in Φ. p. 67. Vide Rutgersium IV. var. lect. c. 12.*

PHILISTVS

Milesius, Orator, Isocratis discipulus, quem Præceptor αὐλοτρύπην vocitavit, quod ante tibicen optimus fuisset. *Volat.*

PHILO

Hebræus, Alexandrinus, de genere Sacerdotum: tantam cum Platone & ingenio & scriptis affinitatem habuit, ut in proverbium abierit: ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. *Illustrius. Suidas in Abraham p. 7. & Philone p. 994.*

Philo ob sublime & excelsum dicendi genus, Platonis vel discipulus, vel magister esse visus est, de iis enim dictum; aut Plato Philonizat, aut PHILO PLATONIZAT. *Pelusiota l. III. ep. 81.*

Platonis æmulus, magnus imprimis vir. *Scalig in coniectan. ad Varr. p. 72.*

Philo Platoni quã maxime par & aliquando prior. *C. Barth. l. II. c. 21. advers.*

Ἀνὴρ τὰ πάντα ἔνδοξος. Vir per omnia clarissimus. *Ioseph. l. XVIII. ant. c. 10.*

Πολύς γε μὴν τῷ λόγῳ, καὶ πλατὺς ταῖς διανοίαις, ὑψηλός τε καὶ μετέωρος ἐν ταῖς εἰς τὰς θείας γραφὰς γεγενημένος, H. e. Verbis copiosus, sententiis locuples, & in divinis scripturis explicandis *altus*, inq; sublime se tollens. *Euseb. II. Hist. eccles. c. 17.*

PHILOPOEMEN

Megalopolitanus, à Romano quodam appellatus GRÆCORVM VLTIMVS. *Plutarch.*

PHILOSTRATVS

Tyrius, sive Lemnius, per quem Apollonius Tyaneus illustris, de quo libros conscri-

conscriptos τῆς ματαιοπονίας πόνον, h. e. *vanissimi laboris operam* nuncupavit *Photius*: at *Eunapius*, pro vita Apollonii titulum inscribendum censet. ἐπιδημίαν ἐς ἀνθρώπους θεοῦ, h. e. Accessum dei ad homines. *Prœm. vit. p. 7.*

De eo lib. *Lud. Vives l. V.* de tradendis disciplinis: magna Homeri mendacia maioribus, mendaciis corrigit. *Confer Voss. l. II. de Hist. Græc. c. 15. p. 191. & ipsum Philostr. II. de vitis Sophist. fin. & Illustrium in Φ.*

Evangelistarvm Simia. *Mornæo de verit. relig. Christ. c. XXXIII. p. 548.* quem vide.

Latinitate donatus à *Fed. Morello* prodiit Parisiis.

Optimæ notæ & necessarius auctor. *Dempsterus.*

PHILOXENVS

Qui gruis collum sibi optavit, (id quod Melanthio Clearchus contribuit) Philodipnos & Philicthys est cognominatus. *Rhodig. l. 13. c. 25.*

Philoxeni *Cytherii* gulosissimi votum ap. Machonem Comicum, quo optavit guttur tres longum cubitos.

Alius Philox. parasitus Pternocopis d *ex Athen. Cælius l. c.*

PHILOXENVS

Poëta Lyricus, Cyclopem omnium suorum poëmatum præstantissimum elaboravit in *lapidicina*, unde una quæ eius, spelunca, *Philoxeni* cognomentum accepit. *Ælian. l. XII. c. 45.*

Myrmex vocitatus ab Agesilao quodam qui expugnatis Citheris à Lacedæmoniis, (erant autem Citheræ patria Philoxeni) puerum emit & educavit. *Volat.* Hic *Cytherius* Philoxenus cum cœnans quandoq; apud Dionysium animadverteret illi mullum adponi magnitudine visenda, sibi verò minutulum nescio quem, arreptum protinus admovit auribus: mirante Dionysio, In manibus (inquit) Galatea est, volui de hoc quæpiam scitari: at is juniorem se respondit, quàm ut scire quippiam posset: verùm quia sit jam maior natu, scire multa qui sit appositus tibi. Qua urbanitate solutus in risum Dionysius mullo cessit illi. *Rhodig. l. c.*

PHLEGON

Trallianvs, *Hadriani Cæsaris libertus*, de mirabilibus, olympiadibus, & Longævis libros superstites ad nos propagavit, opera recenti *Ioannis Meursii*. Eos verò tanti æstimavit Hadrianus, famæ celebris cupidus, ut pro suis venditarit, ut colligere licet ex *Ælio Spartiano in vita Hadrian.*

PHOCAS

μισάνθρωπος i. hominum Osor dictus, *Synod. c. 121.*

PHOCION

Cognomen χρηστοῦ, i. e. Boni sibi invenit. *Plutarch. in Phoc. p. 746. C.*

Demosthenis Secvris dictus. Demosthenes enim, quoties contra se dicturus pulpitum conscenderet Phocion, ad familiares suos dicere solitus est:

Mearum

Mearum securis orationum surgit. ἡ τῶν ἐμῶν λόγων κοπὶς ἀνίςαται. Incertum est autem, de oratione illius sic sentiret Demosthenes, anne de vita & existimatione: quod per multis & prolixis circuitibus, unum verbum & nutum existimaret probati viri esse validiorem. *Idem in Demosth. p.* 850.

Patrem autem habuit Phocion artificem Cochlearium *Ælian. l. XII. c.* 43. de iis qui ex obscuris clari evaserunt. *Confer. c.* 49.

PHOCYLIDES

Milesius Philosophus, æqualis Theognidis. Fuit autem uterque sexcentis quadraginta septem annis bello Trojano posterior, Olympiade nati quinquagesima nona. Scripsit versus heroicos & Elegiacos: admonitiones sive sententias, quas quidam *Capita* appellant. Sunt autem surreptæ ex Sibyllinis carminibus. *Suid.*

Phocylidis divinum poëma cultu orationis, numerorum aptitudine, nulli optimorum vatum concedere arbitror. Sententiarum vero sanctimonia omnes omninò antecedere; ut non injuria *summus harum litterarum Ios. Scaliger* censuerit Christiani Scriptoris opus esse. *Barth l. XXIV. advers.* 9.

Auctor carminis νουθετικοῦ, sive is Judæus fuerit sive Christianus ἀνώνυμος (alteruter certè fuit) qui sub persona & titulo veteris illius *Phocylidis* hodie in scholis & merito suo venerabilis est. *Taubman. ad Plaut. Trinum. act.* 2. *sc.* 4. *Scal. ad Euseb. p.* 89.

PHOTINVS.

PHOTI ἀνθρωπολάτρης καὶ ἄφρων, i. e. hominum cultor & insipiens. circa an. C. 351. *in Synodico c.* 50.

PHOTIVS

Solus tot clarissimorum ingeniorum monumenta è fato eripuit: toto, dico, fato, & Saltem nomina & Scriptorum velut membra servavit. Quam multos ille legit, ex iis elegit, & ut sic loquar, defloravit, quos nosse nobis aliter non esset. E sacris, profanis tractatoribus, historicis, oratoribus, poëtis: & nihil est in Græcâ omni litteratura, aut ut verius dicam, librariâ, quod ille vir non libârit. *Iust. Lips. Cent. V. Misc. ep.* 89.

In quo dubium majorne lectio, an acrius judicium? *Dempsterus.*

PICVS MIRANDVLA.

PICVS MIRANDVLA. Eruditorum hominum consensu PHŒNICIS nomen adeptus. *Iov. lib.* 2. *hist. p.* 36. quod dii superi supra familiæ claritatem omnia corporis atq; animi vel rarissima dona centulerint. *ibid.*

Vir doctissimus *undecunq;*, quod de Varrone scripsit Terentiauus. *Beroald. in Propert. l.* 2. *eleg.* 13.

PIERIVS.

PIERIVS *Presbyter Alexandrinus* sub Caio & Diocletiano tantæ eruditionis, ut ORIGENES JVNIOR vocatus sit. *Hieronym.*

PILATVS.

PILATVS CHRISTICIDA. *Eliæ Cret in Naz.*

PINDARVS.

PINDARVS *Thebanus* Lyricorum Princeps : σοφώτατ☉ *Platoni III. de leg.* θεῖ☉ *in Menone.* μεγαλοφωνότατ☉ sublimis & omnium Poëtarum maximè *grandiloquus Athenæo lib. XIII. pag. 564.*

Iovis divina avis: sibi Olymp. od. II. str. 5. Vid. tit. CALVM. *n.* 10.

Pindari *os sublime. Plin. lib. II. c. 12.*

Lyricorum longe Pindarus Princeps, Spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumq; copia, & velut quodam eloquentię flumine: propter quæ Horatius eum merito credidit nemini imitabilem. *Quintilian. lib. X. cap. 1. pag. 447. Confer Horat. Oda II. lib IV. Carminum ubi inter alia.*

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluêre ripas,
Fervet immensusq; ruit profundo
Pindarus ore, &c.

Adde Macrob. lib. V. Sat. c. 17.

Pindarus ex ore humano, profert aliquid non humanum. *Lipsius epist. XVIII. f. cent. ad Famil.*

Arcesilaus Pindarum dicebat esse inprimis idoneum implere vocem, verborumq; ac nominum copiam præbere. *Laert. lib. IV. p. 274.*

Ἑλικώνι☉ κύκν☉ πίνδαρ☉ ἱμερόφων☉ Heliconius CYGNVS Pindarus suaviloquus. *Anthologia lib. V. Epigr. 69.* Dyrcæus CYGNVS. *ap. Horat.*

Nato sedentes suavi in ore apes ceram formabant, sapientis indicem cantilenæ *ibidem. De Platone idem asseritur.*

Ἐυφώνων πιερίδων πρόπολ☉ bene sonantium Musarum Princeps. *Leonidas lib. III. Anthol. epig. 26. cap. XXV.*

ORPHEVM afflavit Calliope, MVSÆVM Vrania, HOMERVM Clio, Polymnia PINDARVM, Erato SAPPHON, Melpomene THAMYRAM, Terpsichore HESIODVM, Thalia MARONEM, NASONEM Euterpe. *Marsilius Ficinus in argumento* Ἴωνος *Platon. Confer Ælian. lib. XIII. c. 7.*

Pindarus taxatur ut φιλάργυρ☉ quod multus in auro laudando. *adag. p. 499.*

PIPINVS.

PIPINVS à brevitate corporis habuit nomen PVSILLI. germ. q. Bübkin. *Zvvinger.*

PISO.

Cicero in Pisonem: quid nunc te, ASINE, literas doceam? non opus est verbis, sed fustibus.

PISO.

Piso *Vicesimus secundus ex* 30. *Tyrannis* quos *Pollio* describit, Vir summæ sanctitatis, & temporibus suis Frugi dictus *c.* 21. præter hunc duo ex Romanis Pater & Filius Pisones Frugi. *Volater.*

PITTACVS.

Pitt. Hunc *Alcæus* Σαρ϶ίποδα & Σάρ϶ιπον: q. Latos Pedes Trahentem Latipeditrahvm χειροπόδην quod vulnera in pedibus haberet, quæ χειράδες appellantur? Γαύρηκα quod frustra intumesceret: Physonem verò & Gastronem, quod pingui esset aqualiculo: ζοφοροδορπίδαν, quod obtusam haberet oculorum aciem: Agasyrtvm quod obtrectatoribus pateret, & sordidus esset appellavit. *Laert. lib.* 1. *p.* 55.

PITHOEVS.

Petrvs Pithoevs Vindex antiquitatis, unus omnium optimè de literis meritus C. *Barth. in Claud. IV. Cons. Hon. p.* 151.

Immortalia eius, nullisq; verborum præconiis adsequenda sunt in rem litterariam merita, &c. *Idem lib XXX. Advers. c.* 10.

Summæ eruditionis, doctrinæ, morumq; Sanctitatis. *Fabro in Sen.*

Æternum Galliæ ornamentum. *Rittershus. in Salvian.*

Γνήσιος ille CL. Cuiacii discipulus, eximium Galliæ suæ & omnium bonarum artium ornamentum, antiquitatisq; vindex. *Ibidem.*

Omni liberali eruditione ornatus, & antiquitatis ignoratæ q. (Pythivs) alter oraculis suis enarrator & illustrator maximus. *Turneb. l.* 21. *c.* 18.

PLANVDES.

Planvdes inter Græcos homines neotericorum doctissimus. *Causaub. epist. præmissa Martiali.*

PLATINA.

Bartholomævs Platina. Eius ingenuo labore, ad exoptatam obscuri seculi, nec ideo perituram lucem, Pontificii principatus actionum incorrupta veritas nunciatur. Paulus Pontifex periniquè maligneq; delatum immaniter torsit, *hinc in eum Latomus.*

Dum res Pontificum strueret, prope fractus ab alto
Collapsus est fastigio.
Romulus auspicio est, quia sacra conditor urbis:
Nec non Remus periculo.

Iovius in Elog. doct. vir. p. 23.

Vir fuit gravis & procul à mendacio, eoq; præsertim admiratione dignior, quod jam provecta ætate ac tyrocinio posito, quod totum militiæ prius tradiderat, literas didicit. *Volat.* 21. *anth.*

Celeberrimus Pontificum historicus. *Tileman. in disc. philolog. p.* 136.

PLATO omnium quicunq; scripserunt, aut locuti sunt, & copia dicendi & gravitate princeps. *Cic. in orat. c.19. I. de orat. c.11. Vid. de Finib. c.3.*

Platoni habitudo corporis cognomentum dedit, namq; ARISTOCLES prius nominatus. *Apuleius de Dogmate Plat.*

Quasi quidam DEVS Philosophorum. *Cic. II. N. D. c.12. & IV. ad Att. epist. 16.* SEMIDEVS à Labeone dictus: & cur diis ipsis præferendus, *Vide August. l. II. de civitate c.14.* θεοείκελος. *epig.18. l.V. Anthol.*

Platoni cum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore. ita futura eloquentia provisa in infante est. *Cic. I. de divin. c.36. & Val. Max. lib. I. c. 6. ext. 3.* Vide AMBROSIVS.

Vnde mellifluæ *prodigium eloquentiæ.* Volater.

Quæ primum in labris pueri sedêre Platonis
In libris resident usq; Platonis, apes.
Ovven. lib. II. epigr. 156.

Medicus animæ Plato, in epigr. *Diogenis, quod vide tit. Philosophiæ n. 18.*

Vitæ Medicus & doctor longè clarissimus. *Rhod. l.13. c.11.*

Omnium mortalium sapientissimus habitus, eo quidem usque; ut si ipse *Iupiter* cœlo descendisset, nec elegantiore nec beatiore facundia usurus videretur. *Id. Max. l. VIII. c.7. ext.3.*

Quis uberior in dicendo, Platone? Jovem sic, ut ajunt Philosophi, si Græcè loquatur, loqui. *Cic. de claris orat. cap.31.*

Errare mehercule malo cum Platone, quam cum istis vera sentire. *Cic. I. Tusc. c.17.*

Non solum linguæ sed etiam animi ac Virtutis Magister. III. *de orat. c.34.*

Divinus, Sapientissimus, Sanctissimus, Philosophorum HOMERVS. *Panætio ap. Cic. I. Tusc. 32.*

Sapientissimus Græciæ, longeq; doctissimus. *II. de leg. c. 6. & orat. pro Rab. c. 9.*

Plato unus mihi instar est omnium millium. *Antimachus ap. Cic. in Bruto. c.51.* Vid. ANTIMACHVS.

Græcorum Præstantissimus, & rerum humanarum atq; etiam divinarum peritus. *Aristides tom. III. orat. Plat. p. 423.*

Eo homine nihil unquam rerum natura, ne Homero quidem excepto, vidit facundius. *Maximus Tyrius dissert prima princ.*

Antiquæ Musæ alumnus. *Idem dissert. XV. p.157.*

Platonis eruditissimum pectus. *Valer. Max. l. VIII. c.12.*

Sapientiæ Antistes. *Plin. l VII. c.30. p.*

Romanus CATO: alius Italiæ SOCRATES. *Salvianus lib. VIII. de Gubernat. p. 298.*

Homo

Homo prudentiæ non parvæ & examinis judiciique perpensi. *Arnobius II. adversus Gentes. p.31.*

Τί ἐστι πλάτων, ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων; Quid est Plato, nisi MOSES qui loquitur Atticè? *Numenius Philosophus Pythagoreus apertè scribit ap. Clement. Alexandr. lib.I.strom.p.251.*

Veritatem Philosophorum ita sectatus est, ut Hebraicæ veritatis excitârit scintillam. *Clem. Alex. II, Pæd. c.1. Confer Iustin. Mart. orat. parænet. ad gentes. Suid. in Apollon.*

Plato ille magnus, piè sanctèq; Sapiens. *Arnob. II.*

Plato ille divinus, multa de DEO digna nec communia sentiens multitudini. *Ibid. adde Lipsium lib. I. man. ad stoic. Philos. dissert. IV. Ioan Sarisber. l. VII. c.5.6.*

Plato AVREVS ab Epicuro per scomma cognominatus apud *Laert. lib. X. p.711.* V. EPICVRVS & THEOPHRASTVS.

Nuncupatus quoq; PHILOSYCVS quod ficis gratè vesceretur: *not. Rhodig. l. XIII. c.25.*

Eius reprehensor TRAPEZVNTIVS, quò vide.

Plato paucis demutatis potest fieri Christianus. *Rhodig. lib.1.c.22.*

PLAVTVS.

M. ACCIVS PLAVTVS. In manu exaratis libris Langianis, Plauto inditum est vocabulum ASINII, quia videlicet rumor erat, tradentibus nonnullis priscis pædotribis per manus ad posteritatem, Plautum ad participandum victum ob egestatem ad molam se vendidisse. Nam id genus lapideas macchinas veteres ASINOS appellaverunt. *Casp. Barth. VI. Advers. c. 1. Hieron. in Euseb. Chron. olymp. CXLV.*

PLOTVS ab initio *t. Festo* appellatus, à pedum planitie, quos plotos Vmbri vocant. *ap. Volat.*

Varro dixit, Musas (L. Ælii Stilonis sententia) Plautino sermone locuturas fuisse, si Latinè loqui vellent. *Fab. X. Inst. or. 1.* quod Varronis oraculum sic in numeros redactum:

Si Musæ vellent uti sermone Latino,
Eligerent numeros Plaute, salesq; tuos.

Hæc est Plautina elegantia, hic lepos Atticus, & Musarum ut dicunt eloquio comparandus. *Hieron. epist. ad Pammachium.*

Romanæ linguæ lex. Scalig. l. VI. C. LI. c. 29.

Romani voluptas theatri, Musarumq; delitiæ. *Passerat. de cæcit.*

Decima Musa. Lipsio cent. II. miscellan. ep.31.

Eam Atticorum Venerem sufficit, quam frustra in reliquo Latio quæras. *Lips. V. epist. quæst. 26.*

Plautus Musarum & Gratiarum *hortus. Eid. V. antiq. lect.*

Omnium leporum Pater. *Meursio.*

Plauto mens bona & ingenium exprompтum. *Dausqueius in Basilium. p.* 128.

Suadæ medulla: cuius dictio tota quanta quanta, ipsa Latinitas: *Latina Siren: Pareo in dissert. de Plauti vita & scriptis quam vide, ut & Taubmanni frontispicium Plautinum & Giphanium apologia pro poëtis Lat. pag.* 470.

PLAVTVS.

PLAVT. is alius est cuius QVEROLVM allegamus, à *Ritterhusio* editam.

PLEIADES.

PLEIAD. Poëtæ fuerunt VII. sic à numero stellarum dicti. THEOCRITVS, ARATVS, NICANDRVS, EANTIDES sive Apollonius forte Rhodius, PHILETVS, HOMERVS JUNIOR, LYCOPHRON, vide aliter numeratos quam *hic à Ioan. Frisio*, in LYCOPHRON.

PLINIVS.

PLINIVS Maior. C. *Plin. Secundus Veronensis*: Onuphrio Panvinio.

NATURÆ BIBLIOTHECARIUS *Lansio orat. pro Italia p.* 846.

Equestribus militiis industriè functus, procurationes quoq; splendidissimas, atq; continuas, summa integritate administravit, & tamen liberalibus studiis tantam operā dedit, ut non temerè quis plura in otio scripserit. *Sueton. in vita.*

Quanquam & ipse consensu prope judicata eligere laboravit, potiusque curæ rerum quam copiæ institit. *Ipse de sese lib. XVIII. c.* 1.

Jam de Caio Plinio quid dicam? Qui naturam universam & utrumque mundum plane inusitata ante cæteris audacia, paucis voluminibus inclusit? Qui imperio Romano, cui universus terræ orbis concessisset, cœlum quoq; adjecit: Quod non armis aut vi bellicâ; non ariete aut balista, sed sublimi animo & invicta industria expugnandum fuit, &c. *Heinsius orat. pro Biblioth. mun: III. p.* 32.

Erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. *Plin. Epist.* 5. *l. III.* ubi plura de studiis: *& ep.* 16. *lib. VI.* ubi de exitu illius. Periit enim in montis Vesuvii incendio, dum eius causam indagare cuperet.

C. Plin. classis Rom præfectus, natural. rerum scriptor diligentissimus, eloquentissimus, veracissimus, incomparabilis, unus omnium instar. *Dempsterus.*

Plinius non ubiq; sui similis: pleraque enim acutè scripsit, &c. nonnulla neglecta & inculta. *Plinium* desiderare videntur in *Plinio. Caussin. l. III. de Eloq. cap.* 14.

Emaculatum dedit Dalecampius.

PLINIVS.

C. Plinius *Cæcilius* secundus JUNIOR *Novocomensis*, C. Cæcilii Novocom. & Pliniæ, sororis Plinii Scriptoris naturalis historiæ, filius, à quo suo avunculo & adoptatus est.

Gloriæ appetens *& immortalitatis summus aucupator. Cataneus in vita.*

Emenda-

Emendator à se scriptorum diligentissimus. *Ibidem.*

Atticus Orator. Lips. III. polit. 3.

Epistolarum eius lectio utilior an jucundior, disserit *Henricus Stephanus, de cuius olivæ prodierunt cum Casauboni notis.*

Eius stylum (ut ipse ait) apes complere floribus & innectere videntur. *Caußinus l. III. de Eloq. cap.* 14.

Judicium eius de Christianis est *lib. X. ep.* 97.

Monumenta utriusq; Plinii vide *ap. Carol. Stephan.*

PLOTINVS.

PLOTINUS *Lycopolita Ægyptius* ex *baiulo* Philosophus. *Suidas.*

Porphyrii Magister. *Ennap. in Plotin. p.* 11.

Ob vim ingenii cœlestem & dictionis obliquam, & ab ænigmatum obscuritate non alienam rationem, gravior & à populari captu disjunctior videbatur. *Idem in Porphyr. pag.* 15.

PLOTINUS non modo Hebræorum patrum, sed *piscatorum* quoq; ac *Salvatoris nostri* perdoctus traditiones. *Theodoretus de curandis aff. Græc. lib. VI. pag.* 529. *ubi & Origenis auditorem fuisse* annotat.

Vir sapientia inclytus. *Lipsio cent. IV. miscell. ep.* 39.

Non in manibus habendus, sed ediscendus. Confer. *Lud. Vivem in l. IX. de C. D. c.* 10.

PLOTIVS.

C. PLOTIUS PLANCUS VÆNOX appellatus ob aquarum venam repertam ab eo. *ex Frontino Volat.*

PLVTARCHVS.

PLUTARCHUS *Cheronensis Bœotius*: à Traiano, consulari dignitate ornatus, & auctoritate eâ, ut ne quisquam Illyriæ Magistratum absq; consensu eius ageret. *Suid.*

φιλοσοφίας ἁπάσης ἀφροδίτη καὶ λύρα. Totius Philosophiæ VENUS ac LYRA. *Eunap. in Proœm.*

Orationis VENUS temperatè concinnata. *Innominato ap. Adagiographum. p.* 371.

Δεσπέσιος Πλούταρχος Magnus & Divinus Plut. *Ibidem.*

Compendium eruditionis: Prudentiæ thesaurus: Antiquitatum utriusque gentis quidam DELIUS APOLLO. *Heinsius Orat. III. de Bibl. p* 32. Confer *Rhodigin. l.* 27. *c.* 16.

Ita judico cæterorum scriptorum jacturam vel unius Plutarchi operibus resarciri posse. *Frischlinus in defensione Aristophanis.*

Melior omnino quam acutior Doctor. *Lips. not. ad I. Polit.*

Est quod in eo miremur liberum de re quaque judicium, ut non tam historicus, quam *Principum Censor* esse videatur. Sic tamen existimo, si

quis

quis idoneus est earum rerum arbiter, aut Plutarchum esse aut neminem, quid enim tantam sapientiam latere potuit. *Bodinus in Meth. Hist. c. IV. p. 77. ubi & censuram illius lege, cui parem habet Tilemannus p. 186. & 339.*

Is est Oceanus ἐξ οὗ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι. & ut *Agathias Scholasticus* de eo scribit, οὐχ ὅμοιον ἔχει. *Caussin.*

POLITIANVS.

Politianvs. V. Angelus.

POLLIO.

Trebellius Pollio ea fuit diligentia, eaq; cura in edendis bonis malisq; Principibus, ut etiam *triginta* tyrannos, uno breviter libello concluderet, qui Valeriani & Galieni, nec multò superiorum aut inferiorum fuêre principum temporibus. *Flav. Vopiscus in Firmo, c. 1.*

Ipse Autor de se: Hos libellos quos de vita Principum edidi, *non scribo sed dicto*; & dicto cum ea festinatione, quam si quid vel ipse promisero, vel tu petieris, sic perurges, ut respirandi non habeam facultatem. *In Censorino, cap. ult.*

POLLVX.

Iulius Poll. Naucratita, docuit Athenis sub Commodo Cæsare, obiit Anno ætatis 58. *Suidas.*

Onomasticon illius veluti *thesaurus omnium vocabulorum* & rerum cuiusvis usui expositus: verbo *Imperatorem Commodum* erudiens; sed facto ipso *commodis* universæ posteritati consulens. *Ex Carteromacho.*

Est sane *Pollux*, si quid judico, scriptor optimus, eruditissimus, utilissimus: & eo seculo, quod tot claros in litteris viros tulit, dignissimus. *Is. Casaubonus ad Wolffgang. Seberum editorem.*

Mille auctorum diligentissimus, eruditiss. incomparabilis *excerptor. Dempsterus.*

POLYÆNVS.

Polyænvs Macedo, Vir Fortis magnæq; doctrinæ & studii singularis, strategemata conscripsit ætate confectus. *Ipse, principio sui operis à Iusto Vulteio in latinam linguam transfusi.*

Prudens & disertus, strategematum scriptor. *Dempsterus.*

Scriptor haud quaquam ἀπειροσάλπιγκτος, sed qui utramq; militiam, sagatam & togatam secutus est. *Casaub. præfat.*

POLYBIVS.

Polybivs. *Lycortæ* F. *Megalopolitanus*: cuius in Philosophia doctrinam, in moribus probitatem, in historia prudentiam *Cicero*, *Strabo*, *Iosephus*, *Plutarchus*, Deus bone qui quantiq; viri! & optimus quisq; veterum dilaudant. cuius fidem T. *Livius*, ille Romanæ longè Princeps historiæ, tantopere probavit, ut pene ad verbum libros illius integros verteret, atq; iis pro suis uteretur, quem *M. Brutus*, severus ille morum scriptorumq; Censor, cui ne ipse quidem M. *Tullius* satisfacit,

adeo

adeo est admiratus, ut eius lectioni propemodum immoreretur: Vltimus certè suis temporibus, iisq; afflictissimis, ad solatium doloris pariter & magisterium vitæ historiam illius excerperet, atque in compendium redigeret. quem deniq; *Constantinus Imperator*, Corporis Historici auctor, Senatoribus, Ducibus & Principibus, tam utilem judicavit, ut qui è Diodoro Siculo, Dionysio Halicarnasseo, Josepho, Dione Cocceio, & aliis primæ notæ historicis pauca admodum seligeret, quæ in suam *Pandecten* transferret, *Polybium* pene totum describeret, atq; operi illi suo insereret. *If. Casaub. in præf. Editionis suæ. Plutarch. in Bruto p. 985. E.*

Polybius haud quaquam spernendus auctor. *Livio lib. XXX. cap. 45. m.* quæ *frigida* laudatio, & vituperationi proxima videtur *Vrsino*: at summa laudum omnium *Casaubono in notis. & Casp. Barth. lib. XXVI. c. 1. adv.*

Bonus auctor inprimis. *Cic. III. offic. c. 32.*

Judicio & prudentia Thucydidi haut dispar, cura & stilo solutior: Recta & salutaria ubiq; eius monita. *Lipsius in notis ad I. Polit.*

Cedit uni alteriq; Græcorum eloquentia; civili prudentia & scientia militari nulli secundus. *Voss. 1. Hist. Gr. cap. 19.*

Polyb. Scipionis comes, nimius in bellis describendis, parum politiæ idoneus. *Dempster.*

POLYDAMAS.

Polyd. Pancratiastes æmulatus *Herculem*, leonem inermis amplexus superavit. *Vide Pausan. & Volat.*

POLYDORVS.

Polydorvs *Virgilius, Vrbinas. Vid. Iov. in elog. p. 138.*

Varietate operum & inventorum Polydorvs.

POMPEIVS.

Cn. Pompeivs. A Sylla in primo congressu cum ex Africa veniret Magnvs salutatus. *Plut. in Pomp.*

Agamemnonis cognomen meruit, quod mille navibus piratico bello imperasset, ut ille mille Græcorum ad Troiam navibus. *Xiphil. in Pomp.*

POMPONIVS.

Pomponivs Atticvs, nob. Eques Rom. excellenti ingenio, & amicus inprimis Ciceronis, unde Atticvs Ciceronis est appelletus. Atticvs autem dictus quod Athenis linguam ita probè didicisset. *C. Nepos & Volat.*

POMPONIVS.

Jul. Pomponivs Quintiliani tempore inter Tragicos longè Princeps, quem Senes Pindarvm Tragicvm putabant, conditione atq; nitore præstare confitebantur. *Quintil. Volat.*

Pomponivs v. Mela.

POPILIVS.

M. Popilivs Consul, Lænæ agnomen meruit, quod à sacrificio

cum læna prodiit in concionem, & seditionem oratione sua compescuit. *Cic. in Bruto.*

PORPHYRIVS.

PORPHYRIVS Huic patria *Tyrus* priscorum Phœnicum primaria Civitas: nomen initio fuerat MALCHVS quod Syrorum lingua *Regem* sonat, sed detorta appellatione ad purpuram, regium in vestimento insigne, *Porphyrium* veluti PVRPVREVM nominavit *Longinus*, apud quem sublimibus studiis erudiebatur. *Eunap. in vita p.* 12. Proprio nomine *Basilius*, inquit *Suidas*.

Vniversum philosophiæ genus effinxit atq; expressit: φιλοσοφίας πᾶν εἶδος ἐκματτόμενος: *Ibidem pag.* 14.

Porph. tanquam *Mercurialis quædam catena* ad mortales demissa, omnigenæ eruditionis beneficio, cuncta apertè, dilucidè, clareq; explicabat Plotini & Philosophorum res, qui arcana sua obscuritatis latebra, sicut Poëtæ fabulis, involverunt, postquam laudatum *perspicuitatis remedium* (τὸ φάρμακον τῆς σαφηνείας) experientia edoctus gustasset. p. 16.

Παντομιγὲς (τι) πρὸς ἅπασαν ἀρετήν. Vir in omni virtutum genere promiscuè volutatus. *p.* 19. *Vid. tit.* ART. LIB. *n.* 68.

Vide MANVTIVS.

Porphyrium Christianæ fidei desertorem tanti fecit *Libanius* Sophista, ut eum pro DEO habuerit *Niceph. l. X. c.* 3. *& V. c.* 13.

Julianum eius mendaciis atq; deliramentis tanquam divinis vocibus exultasse, *liquet ex Nazianz. orat IV. f.*

POSIDONIVS.

POSIDONIVS Apameensis, PVGIL dictus. Primum Rhodi post Romæ docuit. *Suid. plura ap. Voß. l. I. Hist. Gr. c.* 24. *p.* 121.

Cn. Pompeius confecto Mithridatico bello intraturus Posidonii sapientiæ professione clari domum, fores percuti de more à lictore vetuit, & fasces lictorios januæ submisit is, cui se Oriens Occidensq; submiserat. *Plin. lib. VII. c.* 30.

POTAMO.

POTAMO V. HORATIVS.

PRISCIANVS.

PRISCIANVS *Grammaticus Cæsariensis.*

Vetustatis non adeo profundæ, ut putant nonnulli, utpote quem suo tempore Constantinopoli docuisse memoret. *Cassiodorus lib. de Orthographia*, tamen omnium generis sui facilime Princeps scriptor. *C. Barth. XI. adv. c.* 2. *p.* 514.

PROÆRESIVS.

PROÆRESIVS SOPHISTA.

Homericus MERCVRIVS. *Eunap. vit. p.* 140.

Loqui jussus, petiit uti nemo plausum daret. *p.* 147.

Perorantis pectus auditores circumlabendo velut simulacrum alicujus

DEI,

DEI, alii pedes, alii manus deosculabantur supplices, nonnulli DEUM, quidam *Mercurij eloquentiæ præsidis*, TYPUM nominabant. *Ibidem.*

Cum varias ob dotes virum commendare & honorare Romani decrevissent, *statuam* illi ex ære pari magnitudine consecrarunt cum isthac inscriptione: REGINA RERUM ROMA, REGI ELOQUENTIÆ. *p.* 156.

PROBUS.

PROBUS Æmilius V. C. NEPOS.

PROBUS Imp. de quo dictum est, ut PROBUS diceretur, etiamsi Probus nomine non fuisset. *Vopisc. in Floriano.c.*3.

Hinc eius marmori titulus inscriptus. Hic PROBUS Imp. & *verè* PROBUS situs est, Victor omnium gentium Barbararum, etiam Tyrannorum. *Id. in Probo. c.* 21.

PROCLUS.

PROCLUS *Lycius*, discipulus Syriani, auditor etiam Plutarchi Philosophi, Nestorii filii, Platonicus & ipse Philosophus Philosophicæ scholæ Athenis præfuit. Hic est *Proclus* ille qui alter à Porphyrio impuram & contumeliosam contra Christianos linguam exacuit. *Suid.*

PROCOPIUS.

PROCOPIUS *Illustrius Cæsariensis, Palæstinus*, orator & Sophista, scripsit historiam Romanam, bella scilicet Bellisarii: Res Romæ & in Africa gestas. Fuit temporibus Justiniani Imperatoris, ὑπογραφεὺς, id est, LIBRARIUS Bellisarii dictus, & comes in omnibus bellis & rebus à se descriptis interfuit, scripsit & alium librum, qui *Anecdota*, id est, *non edita*, dicitur, de suis actis: ut eius libri ambo sint novem. In eo opere vituperationes & *insectationes Iustiniani & Theodoræ* coniugis eius, atq; etiam Bellisarii & uxoris eius continentur. *Suid.*

Historicus insignis. *Dempstero.*

Σύμβουλον, *Consiliarium* Bellisarii *Ipsus se indigitat.* I. *Persic. p.* 18. *editionis græcæ Hoeschelianæ.*

Quoniam in rebus gerendis perpetuus Bellisarii comes, ac totius publici consilii particeps fuit, sæpius etiam pro republica legationes obiit; deniq; mediocriter est à doctrina informatus, non dubito illum inter SELECTOS recensere. Cum vero singulas epistolas, decreta, fœdera, conciones vario dicendi genere ac stilo describit. Magnum VERISSIMI SRIPTORIS præbet argumentum. *Bodinus in Meth. pag.* 96.

Procopius, quem in operibus historicis multa illustri laude celebravit Justinianum & Belisarium in Ἀνεκδότοις vehementer perstrinxit, idque sibi arbitrarium esse non incallide putavit, cum Ἀνέκδοτα illa ab historiis plurimum distare, nullatenus ignoraret. *Tilem. in Disc. p.* 172.

Ἀνεκδότων editionem cum Notis & interpretatione *vulgavit ex Vaticana Bibliothec. Nicolaus Alemannus.*

PROPERTIVS.

PROPERTIVS. *Sextus Aurelius Prop. Vmber.*

CALLIMACHVM ROMANVM ſe alicubi appellat: Callimachum enim Poëtam Cyrenæum maximè imitabatur. *Gyrald. dial. IV. p. 164.*

Catullum Tibullum Propertium, *Amorum* TRIVMVIROS nominat. *Lipſius cent I. ep. 13.*

Dulciori eruditione & eruditiore dulcedine nemo ſcriptor eſt tota antiquitate ante *Propertium*, quem ſcriptorem quo magis rimaberis, eò magis amabis, quæ enim primo intuitu obſcuriora videbuntur, ea ſi penetraveris, omnium videbuntur naturali quadã Venere gratioſiſſima. Ita autem te velim hunc Poëtam exquirere, *ut nulli tam parem* credas quam ſibimetipſi, quæ regula cum omnibus præcipuis ſcriptoribus ſit generalis, primo tamen loco quaſi *Genij alicuius ſingularitate* huic convenire magis videtur, quam cæteris. *C. Barth. l. IX. Adverſ. c.* 10.

Tanta verſuum eius jucunditas & amœnitas eſt, ut eos *dictantibus Graijs* exceptos cenſeam. *Turneb. l. 11. c. 15.*

NAVTÆ cognomentum ipſi affixum: qua occaſione *Vide Scaliger. in caſtigationibus init.*

PROSPER.

PROSPER *Aquitanicus, Epiſcopus Rhegienſis*: cum enim chlamidatus Romam veniſſet, à *Leone Pont. M.* ad aliam militiam longe feliciorem translatus eſt, primum ſcriba eius, poſt Epiſcopus conſtitutus. *Gyrald. dial. V. p. 215.*

Acerrimus atq; elegantiſſimus Catholicæ fidei defenſor, adverſus reliquias hæreſis Pelagianæ. *in vit.*

Proſper cognominatur RHETOR ab *Henrico Huntindonio* I. *Hiſt. Anglic.* ſcilicet quia comtius loquitur. *C. Barth. VI. Adverſ. c.* 1.

PROTAGORAS.

PROTAGORAS Philoſophus, dictus eſt σοφία, h. e. SAPIENTIA. *Laert. lib. IX. p. 662.* Sed ab Epicuro φορμοφόρος, i. e. BAIVLVS. *Idem lib. X. p. 711. Inde Illuſtrius in Epic. p. 29. Baiulus* enim cum eſſet, colloquio cum Democrito, eruditionis amore captus eſt: primuſq; poſtea SOPHISTA cognominatus: & primus pro mercede centum minas autem diſcipulis exegit, unde vocatus λόγος ἔμμισθος, i. e. SERMO MERCENARIVS. *Suidas.*

Vide GORGIAS.

Abderitæ *Democritum* PHILOSOPHIAM: Protagoram verò λόγον, i. e. SERMONEM ſeu FABVLAM nominabant. *Ælian. lib. IV. c. 20.*

PRVDENTIVS.

Aurelius Prud. Clemens. V. C.

Fuit & Juriſperitus ac Meſſaliæ Conſul. *Aldus Rom. in vita.*

Luculentiſſimus Chriſti Vates *Prud.* à priſcis deſcriptoribus AMŒNVS cognominatus eſt, quod omnium Chriſtianorum Poëtarum amœnitate & varietate Lyricorum carminum longè ſit Princeps. *C. Barth. lib. VI. Adv. c.* 1.

Nemo

Nemo divinius de Christianis rebus unquam scripsit. DIVINVS ille PINDARVS. *Idem lib. VIII. cap.* 11.

Pindarus dicitur quoq; ab *Erasmo in Comment.* Nunc ipsum *Pindarum* nostrum audiamus.

Est in eo Poeta recondita eruditio, rarus in verbis lepor, in phrasi latinitas non impura, nisi qua imitatione sacræ loquelæ, fregit volens regulam, & qua à barbarie Monachorum exscribentium secus quam voluit, non rarò scribere coactus est. *Id. l. XXI. c.* 1.

Eruditissimus & dulcissimus poeta. *Id. XI. c.* 1.

Vnus omnium inter poëtas Christianos, lectores suos pascere sufficit lautissimè, sive pretiosissimas panis cœlestis h. e. verbi divini epulas esurias, sive efficacis eloquentiæ condimenta requiras. *Petrus Mosellanus epist. ad Matth. Meiner.*

Tantum spirans tum sanctimoniæ, tum sacræ eruditionis, ut mereatur inter gravissimos Ecclesiæ doctores annumerari: *Erasmus Rot.*

Prudentius omnium Christianorum Poëtarum PRVDENTISSIMVS & eruditissimus. *Taubm.*

Nobilissimus Hispaniarum SCHOLASTICVS: *Bedæ in opere Grammat.* 2378.

Linguæ castitatem ac eloquentiam neglexisse desiderio pietatis ac fidei, censet *Gyrald. de piet. dial.* 5.

PTOLEMÆVS.

PTOLEMÆVS Ægypti R. quod neminem læderet, benefaceret vero omnibus BENEFACTORIS nomen promeruit *Alex. l. 2. c.* 11. Græc. EVERGETÆ. sicut & *Cleomenes* Lacedæm. Rex frugalissimus. *Athen. l.* 4. *Polyb. l.* 5.

PTOLEMÆVS.

PTOLEM. Ægyp. R. Lysandræ frater ab alacritate & promptitudine qua in rebus gerendis utebatur, FULMEN dictus est. *Pausan. in Attic.*

PTOLEMÆVS F. Epiphanis à scelerum congerie PHYSCON i. VENTRICOSVS) cognominatus, à physca intestino crassiore, quod infercire solet. *Rhod. l.* 24. *c.* 4. *Ioseph. l.* 12. *antiq. c.* 5. *Confer Tiraquell. in Alex. c.* 11. *lib.* 2.

PTOLEMÆVS.

PTOLEM. al. Æg. R. quod super cætera dedecora choraulam & tibias exerceret. d. AVLETIS. *Strabo l.* 17. *Alex. l.* 1. *c.* 2.

PTOLEMÆVS.

PTOL. alius LAMYRVS, quod mendax esset garrulus & loquax, tales enim Gr. λαμυροὶ. *Strabo l.* 17. *Alex. l. c.* vel quod & mordax. *Rhod.* 24. 6.

PTOLEMÆVS.

PTOLOMÆVS *Philadelphus.*

Ptolomæorum eruditissimus (quem *Philadelphum* supernominant) & omnis litteraturæ sagacissimus, cum studio bibliothecarum *Pisistratum* (ut opinor) æmularetur, inter cætera memoriarum, quibus aut vetustas aut curiositas

aliqua ad famam patrocinabatur, ex suggestu *Demetrij Phalerei*, Grammaticorum tunc probatissimi, cui præfecturam mandaverat, libros à Judæis quoq; postulavit, proprias scilicet atque vernaculas litteras, quas soli habebant. *Tertull. in Apol. c. XVIII.*

Ptolomæum PHILADELPHUM: al. PHILOMETOREM al. PHILOPATOREM ob neces parentibus & germanis fratribus illatas, per antiphrasin & irrisionem vocitarunt. *Iustin.l.29. Pausan.l.1. Alex.l.1.c.2. quem vide.*

PUBLIUS.

PUBLIUS, natione SYRUS, cum puer ad patronum Domini esset adductus, promeruit eum non minus salibus & ingenio, quam forma, &c. Manumissus & maiore cura eruditus, cum mimos componeret, ingentiq; assensu in Italiæ oppidis agere cœpisset, productus Romæ per Cæsaris ludos, omnes qui tunc scripta & operas suas in scenam locaverant, provocavit, *ut singuli secum posita invicem materia, pro tempore contenderent.* Nec ullo recusante superavit omnes; in quibus & Laberium; unde Cæsar arridens hoc pronunciavit.

Favente tibi me, victus es, Laberi, à Syro, statim que *Publio* palmam, & *Laberio* annulum aureum cum quingentis sestertijs dedit, &c. *V. Macrob. II. Saturn. c. 7.*

Huius Publii sententiæ feruntur plerumque lepidæ, & ad communem usum commendatissimæ. *Agellius. lib. XVII. c. 14.*

Quantum disertissimorum versuum inter mimos jacet! quam multa Publii nõ excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt? *Seneca epist. VIII. & de Tranq. c. XI.*

Publius tragicis comicisq; vehementior ingeniis, quoties mimicas ineptias & verba ad summam caveam spectantia reliquit, inter multa alia cothurno, non tantum sipario, fortiora, & hoc ait:

Cuivis potest accidere quod cuiquam potest. Sen. tranq. c. XI.

Apud Publium melius erant dicta, quam apud quemquam Comicum Tragicumq; aut Romanum aut Græcum. *Seneca Pater l. VII. contr. 3.*

Hæc Publiana quamvis inter nugas theatrales jactata, tamen quid rectum quid utile sit, *juxta Horatium,* melius Chrysippo & Crantore dicunt. Itaq; nunquam illos de manibus deponant, non pueri tantum, sed etiam doctiores: quod idem de *Dionysii Catonis* distichis dictum volo. *Ios. Scaliger Notis ad Pub. Syri selectas sententias.*

PUTEANUS.

PUTEANUS ERICIUS. *Put.*

Vir doctissimus & disertissimus. *Barth. lib. XI. c. 20.*

UNIO huius seculi. *Pareo.*

PYRRHUS.

PYRRHUS Rex ab Epirotis suis AQUILA cum nominaretur, per vos, inquit, AQUILA sum. Quidni enim sim vestris armis velut alis evectus? *Plut. in Pyrrho.*

PYSISTRA-

PYSISTRATVS.

PYSISTRATVS *Pireicus* minoris penicilli pictor, quod sutrinas tonstrinas, asinos & obsonia pingeret, ῥυπαρόγραφος dictus. *Volat.*

PYTHAGORAS.

PYTHAGORAS *Samius Philosophus*, veritatem non minus quam PYTHIVS APOLLO dicebat. Mnesarchi *Sculptoris anulorum* filius. *Suidas.*

Quicunq; Samium Pythagoram laudant, narrare solent inprimis, ipsum Jonem quidem minime fuisse, sed TROIANVM EVPHORBVM, atque in pugna mortuum revixisse denuò. *Philostratus lib. I. de Vita Apoll. cap. I.*

Pythagoras etsi bonus cætera, tamen ut hanc sententiam exstrueret, non turpi modo, verū etiam temerario judicio incubuit. Cognosce qui nescis, & crede nobiscum: mortem stimulat, sub terraneo latitat, septenni se illic patientia damnat, inter ea quæ de posteris defunctis ad fidem rerum esset relaturus, ab unica conscia & ministra matre cognoscit: ut satis sibi est visus corpulentiam interpolasse ad omnem mortui veteris horrorem, de adytis fallaciæ emergit, ut ab inferis redditus, quis non crederet revixisse, quem crediderat obiisse? &c. *Tertull. de anima c. XXVIII.*

Pythagoras *perfectissimum opus* sapientiæ. *Valer. lib. VIII. c. 7. ext. 2.*

Plato & Pythagoras viri sapientes, quasi MVRVS & PRÆSIDIVM philosophiæ extiterunt. *Iustinus dialogo cum Tryphone pr.*

Pythagoræ & Empedoclis decreta leges fuere priscorum Græcorum. *Plutarch. de esu carn. a. f. pag. 998.*

Eius singula sententiarum frusta gemmas habent. *Lipsius III. manuduct. dissert. I. Confer IV. anthol. c. 33. ep. I. & l. V. epigr. 24.*

Hunc tamen γόητα i. *præstigiatorem* vocavit Phliasius Timon. *Vid. Rhod. l. 19. c. 7. Dalechamp. in Plin. c. 8.*

PYTHEAS.

PYTHEAS Atheniensis orator (*molitoris*) Mylothri filius, homo audacissimus. Non anumeratus est ceteris oratoribus, ut *homo audax & dissolutus*. MYLOTHRVS autem dicitur, & qui molam possidet, & qui in ea laborat. *Suidas.*

Q.

QVINTILIANVS.

M. Fabius Quintil. alter avus, qui & Declamator; alter qui institutiones oratorias scripsit.

Quintiliane, vagæ moderator summe juventæ
GLORIA ROMANÆ, *Quintiliane*, TOGÆ,

Martialis II. epigr. 90. Confer Auson. præfat. II. in Profess. & Iuvenal. Sat. VII. Turneb. l. 4 c. 10.

Declamatorem Romani generis acutissimum, unius capitis lectio prima statim fronte demonstrat. *Trebellius Pollio in Postumio Iun.*

Acrimonia Quintiliani *Sidon. Apoll.l.V. ep.10.*

Romanæ Eloquentiæ CENSOR. C. *Barth. l XLIII. c.2.*

Sed minus interdum æquus, *ut demonstrat idem Lib.LVI. Advers.c.11. lib.I. c.15. & lib. XLVIII.c.19.*

Oratorum Coryphæus. Idem lib LVI.c.11.

Criticorum omnium κορυφαῖος. *Iodoco Vander-Heidio in præf. ad Lysiam.*

Quintilianus omnium qui unquam scripserunt auctorum elegantissimus. *Barth. præf. ad Gratium.*

Primus omnium Quintilianus Romæ publicum juventutis gymnasium, & è fisco eximium stipendium accepit. *Ex Hieronymo Angelus Politianus præfat. instit. orat.*

Orator eximius ac necessarius. *Dempstero.*

Optimus dicendi artifex. *Eid.*

Diversum de hoc *Valla & Philelphi* judicium est *apud Volaterranum.*

QVINTIVS.

T. QVINTIVS Togatarum scriptor ATTA dictus, quod nomen illi competit, qui terram potius attingit plantis quam ambulat. *t. Festo.*

R.

RAMIRESIVS.

Laurentius Ramir. de Prado Hispanus anquisitæ industriæ, limati judicii indefessi studii Criticus. *Pareo.*

Cui nihil de omni litteratura non tactum. *v. Iudicium eius Penticontarcho præscriptum.*

REGILLIANVS.

REGILLIANVS quod aliis vel audacia vel judicium detulit, huic jocularis astutia. Nam milites à *regno* dictum credebant. Tumq; is qui aderat scholasticus cœpit q. grammaticaliter declinare & dicere. *Rex, Regis, regi, Regillianus. Pollio in XXX. Tyran.c.10.*

REGIOMONTANVS.

JOANNES REGIOMONTANVS dictus à patria, sed cognomento tamen MOLITOR.

RHENANVS.

Beatus Rh Homo optime de præclarissimis auctoribus meritus. *Casp. Barthius. lib. LV. cap. 1.*

Historicus & Criticus non contemnendus. *Dempster.*

RHODIGINVS.

LVDOVICVS COELIVS RHODIGINVS. VARRO vel Varrone maior. *Cæsari Scaligero.*

Abfuit usq; adeo nihil, hoc in Cœlio haberent
Tempora VARRONEM *quo minus ista suum.* *Latomus.*

Admirandæ

Admirandæ Eruditionis. *Dempstero.*

Homo inexplebili legendi aviditate per omne genus autorum circumvolitans & ex retextis aliorum sertis novas subinde corollas concinnare gaudens. *Erasm. in adag. p. 629.*

Vir integritatis Christianæ, nullo studiorum labore fatigabilis, cum ad extremam senectutem pervenerit. *ibid.*

CORNV-COPIÆ seu thesaurus utriusq; linguæ aut Ferrago ex vetere horreo prolata quoddam subrancidum olere videtur. *Iovius in Elog. adde Gyraldum Dialog. I. de Poëtis sui temporis. p. 392.*

Asperæ dictionis, reconditæ eruditionis. *Dempsterus.*

Optimorum autorum FVCVS, cuius affectatissima eruditionis ostentatio non potest non haberi suspecta. *Eoban. in Georg. Virgil. n. 47.*

RIGALTIVS.

Nicol. RIGALTIVS. Cui plurimum omnis humanitas debet: emendati judicii editor. Optimorum morum, amœnissimi ingenii vir. *C. Barth. l. XXVIII. c. ult.*

Multæ eruditionis Criticus & Jureconsultus. *Dempsterus.*

RITTERSHVSIVS.

CONRADVS RITTERSHVSIVS, GEMMA huius seculi: de omni litteratura præclarissime meritus. *Pareo.* V. GVNTHERVS.

Alter sui seculi SCÆVOLA, orator, poëta, philologus & philosophus eximius: *quoad vitam*: templum innocentiæ, sacrarium temperantiæ, arx æquitatis: qui honestatis fructum in conscientia potius quam in fama reposuit. *Vit.*

Qui dum in orbe vixit isto, ubiq; semper audijt
Gemma doctorum omnium ac bonorum inæstimabilis.
Gruter. epigr. ad manes Rittershusii.

Criticus eruditissimus. *Dempstero.*

ROBERTVS.

ROBERTVS Auberti Ducis ex Ida Burgundionum Ducis sorore F. ob vitæ turpitudinem DIABOLI cognomen meruit; sed tandem resipuit, & sanctitatis opinionem obtinuit. *Guagninus l. 3.*

ROMA

Vrbis appellatione, etiamsi nomen proprium non adjiceretur, Romam tamen accipi receptum est. *Quintil. lib VI. c. 3. p. 285.*

Roma aut *fortitudinis* nomen ap. Græcos est, aut *sublimitatis* apud Hebræos. *Hieron. l. 2. advers. Iovin. c. 2.*

Ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων.
Μητέρα πασάων πολίων, ἄφνειον ἔδεθλον,
Romam gloriosam, meorum Magnam Domum Dominorum
Matrem omnium *urbium, opulentam sedem.*

Dionysius in periegesi. v.354. Conf. Barth. lib. LVIII. c. 5.

Hæc est in gremium victos quæ sola recepit
Humanumq; genus communi nomine fovit,
MATRIS *non Dominæ ritu. civesq; vocavit,*
Quos domuit, nexuq; pio longinqua revinxit.

Claudianus III. de laud. Stilicon.

Exaudi REGINA *tui pulcherrima* MVNDI
Inter Sidereos ROMA *recepta Polos:*
Exaudi GENETRIX HOMINVM, GENETRIXQ; DEORVM
Non procul à cælo per tua templa sumus, &c.
Dumq; offers victis proprii consortia juris,
Vrbem fecisti, quod prius Orbis erat.

Rutilius lib. Itinerarii. v.48. quem vide fusius in laudes exspatiantem.

Terrarum CAPVT. *Plin. l. III. c. 5. Livio lib. XXXI.*

ἑπτάλοφος i. *Septicollis. Plutarcho.*

Mundi totius TEMPLVM. *Amm. lib. XVII. c. 8.*

Vrbs æterna: urbs venerabilis. Per omnes quotquot sunt partes terrarum, ut DOMINA suspicitur & REGINA. *Ammianus Marcell. lib. XIV. c. 14. adde notas Lindebrogij: Marcelli Donati tom. IV. Lamp. Crit. p. 800. Elmenhorstij in Arnob. p. 41.*

Vrbs æterna: *Symm. lib. III. ep. 55. & II. c. 77. IX. 129. & X. 34. 57. 60.*

Imperii virtutumq; omnium LAR. *Idem lib. XVI. c. 17. ubi magnificentissima illius descriptio. & Hormisdæ in eam scomma.*

Ἐπιτομὴ τῆς ὅλης οἰκουμένης. Orbis EPITOME. *Polemoni & Athenæo lib. I. c. 17. p. 20.*

οὐρανόπολις. *Becman. manud. c. 3.*

—— *Orbem*
Non urbem, qui te noverit, ille canet.

Jul. Scaliger. in urb. p. 544.

τῆς ἁπάσης οἰκουμένης ὥσπερ ἂν τῆς χώρας ἄστυ κοινόν. *Commune* omnis, quæ incolitur, terræ tanquam regionis, OPPIDVM. *Aristid. orat. in Romam tom. I. p. 373.*

Ἀκρόπολις. *ibid.*

Κοινὸν τῆς γῆς ἐργαστήριον, Communis quædam totius orbis *officina. ibid. p. 350.*

Civitatum omnium quæ sub sole nunc sunt maxima & magnificentissima. *Procop. p. 289. Gr. 275. Lat.*

ARX terrarum. *Symm. lib. X. ep. 41. pr.*

Totius ORBIS terrarum COLVMEN. *Valer. Max. lib. II. 4. 8.*

Orbis. Ausonio.

Terrarum DEA Gentiumq; Roma
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Martial. lib. XII. ep. 8.

LVX orbis terrarum atq; ARX omnium Gentium. *Cic. IV. Catil. c. 6.*

ARX Regum ac Nationum exterarum, LVMEN GENTIVM, DOMICILIVM imperii. *Orat. pro Sylla. c.11.*

Διδάσκαλος ἀρετῆς: id quod κεφάλαιον τῶν ἐπαίνων: seu quo nomine summam omnium eius laudum complexum *Constantinum Imperatorem, Panegyrico ad eum primo scribit Iulian. Cæs. Vide. C. Carth. in Rutil p.36.*

DOMICILIVM Legum: GYMNASIVM Litterarum: CVRIA dignitatum: VERTEX mundi: PATRIA Libertatis: in qua unica totius Orbis civitate soli barbari & servi peregrinantur. *Sidon. Apoll lib.I. ep.6.*

Virtutum omnium Domicilium. *Ammian lib.14. c.19.*

CIVITAS Litterarum. *Caßiod. lib.I. epist.39.*

PATRIA Communis. *Sen. ad Helv. c.6. Plin. lib.III. c.5. Symm. lib.III. ep.36. &c. Confer Lips. de Magnit. Rom lib.I. c.1.*

Nunc vero nominis sui decoctrix jacet, nihilq; aliud est, quàm suæ venustatis pristinæ spurcum CADAVER. *Brosseus in Notis ad epist. 2. lib. XI. Caßiod.*

Optimi vini pessimum acetum. *Scal.*

BABYLON apud *Ioannem nostrum* Romanæ urbis figura est, proinde Magnæ & regno superbæ & Sanctorum DEI debellatricis. *Tertullian. adv. Marc. lib. III. c.14.*

Vrbs in qua Dæmoniorum CONVENTVS consedit. *Idem de spectac. c.7.*

Oraculum de ea Sibyllinum ῥώμη ῥύμη ἔσεται. Roma vicus erit. Vide BYZANTIVM.

ROMANVS.

ROMANVS *Pop. Terrarum Victor & totius domitor Orbis*, qui gentes & regna diribet, jura externis mittit.

Deorum quædam immortalium generi humano *portio. Plin. lib. XXXVI. c.15.*

Omnium gentium Dominus. *Cic. in Rull. c. 9.*

Omnium gentium Victor. *II. de Oratore c.18.*

A Marte generatus. *Philipp. IV. c.2. Confer Carmen Erinnæ poetriæ ap. Lips. I. de Magnit. Rom. c.1.*

Romanus nomen non urbis alicuius sed generis totius, nec unius quidem alicuius, sed quod reliquis omnibus exæquatur. *Aristid. encom. Rom. p.374. t.1.*

ROMANVS CIVIS.

Dantur multa nominibus, & est Roma pro merito. *Auson. grat. act.*

Huic ad conciliationem gratiæ tuæ sufficit, quod & Romanus & amicus est. *Sym. ep.9. lib. II.*

Illa vox & imploratio, CIVIS ROMANVS SVM, sæpe multis in ultimis terris, opem inter barbaros, & salutem tulit. *Cic. Varr. V. c.57. Actor. XXII. v.28.*

ROMVLVS.

Idem QVIRINVS. *Cic. II. N. D. c.24.*

Princeps Creator urbis Romæ. *pro Balbo. c.13.*

Parens Vrbis. *I. Divin.* 2.

Vrbis Romæ conditor ad Deos relatus *Catil. III. c.* 1. *Val. Max. l. III. c.* 2.

Æterni auctor Imperii. *Lipſ. Cent.* 1 *ep.* 8.

ROSCIVS.

Roscivs *Gallus Comœdus Præceptor Ciceronis*, in pronunciationis & geſtus exercitatione, eò venit præſtantiæ, ut cum de perfecto in arte aliqua loquimur, Roscivm dicamus in arte ſua, aut Roscivm in ſcena. *Cic. Volat:* Sicut Dædalvm conſiliis callidum: Hercvlem in laboribus patientem: Achillem in diſputando invictum, in judicando ſeverum Aristarchvm. *vid. ſuis locis.*

Roſcium Hiſtrionem ob ſummam artificii peritiam, *Cicero* Delitias ſuas dictitare ſolebat. *Rhod. l.* 14. *c.* 17. *integro.*

S.

SABELLIVS.

Sabellius ἀντίθεος i. e. divinitatis inimicus. *In Synodico Græco. c.* 24.

SABINI.

Sabini q. Sevini, à religione & cultu deorum dicti, ἀπὸ τ͂ σέβεσθαι. *Plin. l.* 3. 12.

SALLVSTIVS.

C. Criſpus Sal. Rerum Romanarum florentiſſimus auctor. *Tacit. III. Annal. c.* 30.

Crispvs *Romana primus in hiſtoria.* Martial. l. XIV. epig. 191.

Pater Hiſtoriæ *Scalig. lib. IV. poët. c.* 24.

Salluſtio palmam hiſto iæ Latinæ dabat antiquitas. *C. Barth. l. XLVIII. c.* 19.

Jugurthinæ Conditor hiſtoriæ. *Quint. l. VIII. c.* 3. *p.* 348.

Nobilitatæ veritatis hiſtoricus. *Auguſt. de Civit. D. I. c.* 5.

Scriptor ſeriæ & ſeveræ orationis. *Agellius lib. XVII. c.* 18.

Æmulus Thucydidis Salluſtius. *Velleius Paterc. l. II. c.* 36.

Cum ſit præcipua in Thucydide virtus brevitas, hac eum Salluſtius vicit, & *in ſuis illum caſtris cecidit. Item:* ex Salluſtii ſententia nihil demi ſine ſenſus detrimento poteſt. *Seneca l. IX. decl.*

Salluſtius brevis. *Statius Papinius l. I. Silv.* 4.

Subtiliſſimus brevitatis artifex. *Agell. l. III. c.* 1.

Inimitabilis vis florentiſſimæ brevitatis. *C. Barth. l. XXIV. c.* 5.

Novator verborum. *Eidem lib. I. c.* 15.

Qua Crispvs *brevitate placet, quo pondere* Varro,
Quo genio Plavtvs, *quo flumine* Quintilianus,
Qua pompa Tacitvs *nunquam ſine laude loquendus.*

Sidonius Apoll. in Paneg. Anthem. carm. II. v. 192.

Graviſſimus alienæ luxuriæ obiurgator & cenſor. *Macrobius. Sat. lib. III. cap.* 15.

Sallu-

Sallustiana brevitate nihil apud aures vacuas atq; eruditas potest esse perfectius. *Quintil. lib.* X. *cap.* 1.

Immortalis Sallustii velocitas *ibid. adde lib.* III. *c.* 10. *& l.* II. *c.* 5.

Electissimus verborum *pensator. August. lib. de vita beata circa fin.*

Princeps senatus historici. *Lipsio dedic. Taciti.*

Lenæus Pompeii Magni libertus, tanto amore erga Patroni memoriam extitit, ut *Sallustium historicum* quod eum oris improbi, animo inverecundo scripsisset, acerbissima Satyra lacerarit, LASTAVRVM *& Lurconem & Nebulonem Popinonemq; appellans*: & vita scriptisq; monstrosum: *præterea priscorum, Catonisq; verborum ineruditißimum* FUREM. *Sueton. de Illustrib. Grammat. c.* XV. *Confer Quintil. l. c. & Domitium in Epigramma cit. Martialis.*

Audacem verborum architectum & opificem appellare audet *Doletus*, ob id severè satis exceptus à *Florido Sabino lib.* 1. *lect. subcis. c.* 2.

SALOMON.

SALOMON à pacato terrarum orbe sic dictus. *Suidas.*

Cognomentum JEDIDIA i. AMATUS DEO, per Nathanem à DEO missum accepit, propter Jehovam h. e. CHRISTUM. 2 *Sam.* 12. 26.

Omnibus cum sui tum superioris temporis memoriæ hominibus sapientiæ laude præstitit. *Naz. orat.* XXXIV. *p.* 208. *quod ita Remus in proverb.*

Genus humanum ingenio superavit, & omnes
Restrinxit stellas, exortus uti ætherius Sol.

Inter ipsa vitæ tentamenta iam sapiens. *Ambros. de Solom. c.* 1.

Vt in terra aurum, in mare nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus: ita in eius *proverbiis* divinus sensus altius perscrutandus. *Hieron. ad c.* XII. *Eccles.*

Iis ne in externa quidem sapientia melius aliquid apud omnes sapientes. *Lips. Cent.* I. *ep.* 49.

SALVIANVS.

SALVIANUS MASSILIENSIS *& Presbyter & Episcopus*, multorum Gallicæ Ecclesiæ *Episcoporum* MAGISTER.

Massiliensium quondam Præsul, vel verius *totius orbis Christiani* MAGISTER, ut qui vitia totius Christianitatis castiget, & fidei integritatem asserat. *Rittershus. in præf. edit. sua.*

Novus sui temporis HIEREMIAS, *Baronio.*

Christianissimus scriptor. *Scalig. in Manil p.* 448.

Mella hæc Nestoris æstimabis esse:
Nepenthes Helenæ æstimabis esse:
Tam curas adimit levatq; amaras.
Dictis quîs nihil est magis venustum,

Præ quîs sint casiæ & Rosæ invenustæ.

Salvus incolumisq; Salvianus.

Joan Alex. Brassicanus de eius scriptis.

Cultus ac pius auctor, Episcoporum DOCTOR. *Dempsterus.*

SAMYRION.

SAMYRION Comicus αἰδοφοίτης q. INFERORUM LEGATUS, propter maciem, *Aristophani.*

Plures strigosos hoc epitheto *vid. adag. p. 395.*

SANCTIUS.

SANCTIUS l. Hisp. R. ab habitu corporis CRASSUS. d. *Ritius l. 2. Reg. Hisp.*

SANNAZARIUS.

Actius Sincerus Sannaz. tanta elegantia atq; eruditione, ut cum ipsa antiquitate certare possit. *Barth. ad Nemesianum ecl. 4. p. 215.*

Poëtica laude floruit præ mortalibus sui ævi. Sed quid sui ævi? Quid si Neapoli majorem gloriam attulit Sannazarius, quam Statius Papinius? Non erit iniquus censor qui hoc censeat. *Ludov. de la Cerda in Æn. Floridus l. 3. subcis. 3.*

Plus laudis erat laturus, si materiam sacram tractasset aliquantò sacratius. Erasmus in Ciceroniano. *Vid. Florid. l. c. c. 6.*

SAPOR.

SAPOR *Rex Persarum*, cum ad Constantium Imp. scriberet, SOLIS & LUNÆ se FRATREM dixit. *Alex. l. 2. c. 19.*

SAPIRUS.

SAPIRUS *Miles*, TYDEUS corpore, HERCULES animo dicitur *Menandro Historico*, etsi ipse TYDEUS de se:

Tydeus parvus eram, at bellator strenuus armis.

Hom. il. 5.

SAPPHO.

SAPPHO LESBIA *Lyrica Poëtria*, quæ & plectrum invenit. *Suid.*

MASCULA dicta ob studia virilia. *Gyrald. dial. IX. p. 330.*

Temperat Archilochi Musam pede Mascula Sappho.

Horat. l. I. ep. 19. v. 28. *ubi Lambinus plura.*

SAPPHUS *pulchra* dicitur à *Phædro Myrrinusio*, à carminum pulchritudine, cum exigua esset alias & fusca. *Maximus diss. VIII. p. 86.*

Λεσβιάδων Σαπφὼ κόσμος εὐπλοκάμων. h. e.

Lesbydum Sappho ornamentum capillatarum.

Antipatro Thessalo, in Anthol. l. I. c. LXVII. epigram. VIII. quo *novem* enumerat PUELLAS poëtico studio celebres:

Πιερικὴ μέλισσα λιγύθροος, i. e. *Pierica* APIS suavissima, *epist. XII. l. V. Anthol.*

Sappho

Sapphо Lesbiam meretricem, non poëtriam: illam vero Scamandronymi Filiam à Platone inter ſapientes numeratam poëtriamq; fuiſſe *Ælianus habet Lib. XII. c. 19.*

SARA.

SARA βασιλὶς μήτηρ τοῦ γένους, i. *regina materni* generis Judæorum. *Ioſeph. l. VI. bel. Iud. c. XI.*

SARISBERIENSIS.

SARISBERIENSIS ſive SALISBERIENSIS. *Epiſcopus Carnotenſis.*

Joannes Epiſcopus quem Sarisberienſem, neſcio an bene, vulgo vocant, eruditiſſimus ſui ſeculi auctor. *C. Barth. lib. VI. Adverſ. c. 1.*

In quo multiplex lectio, acre judicium, & ut illa ferebant tempora, eloquentiæ ſatis. *Dempſterus in Roſin. p. 3.*

Incomparabilis pro ea ætate ſcriptor. *Eid.*

Supra ævi illius morem eruditus. *Gaſper Schoppius l. III. ſuſpectar. lect. c. 7. f.*

In quo Centone (de Nugis Curialium loquitur) multos pannos purpuræ agnoſco & fragmenta ævi melioris. *Lipſ. ad XII. Annal. Taciti. p. 327.* adde *Durantium variar. l. 2. c. 6.*

Anglorum Regis ad Pontificem ſummum legatus, & deinde Carnotenſis Epiſcopus, doctior quam illa ſecula ferebant in policratico. *Dempſterus.*

SATANAS.

SAT. Malitiæ angelus, totius erroris artifex, totius ſeculi interpolator, per quem homo à primordio circumventus, ut præceptum DEI excederet, & propterea in mortem datus, exinde totum genus de ſuo ſemine infectum, ſuæ etiam damnationis traducem fecit. *Perditor noſter. Tertull. de teſtim. animæ, c. 3.*

SAVARONIVS.

Io. SAVARO. *Claromontenſis.* Vir doctiſſimus cuius ex ore profuſos, multi poſterorum, latices in ſuas obſervationes duxerunt. Et ſane ſunt illæ notæ velut *Cornu copiæ bonarum rerum*, præſertim ad poſtremorum principum ſcriptores adhuc Latiniſantes. *C. Barth. ad Rutil. l. 1. p. 135. de notis ad Sidonium loquens.*

Arverniæ Præſes, togatorum lumen. *Dempſterus.*

SAXO.

SAXO vocatur GRAMMATICVS ob eruditionem & poëſin. *C Barth. VI. Adverſ. c. 1. & l. XXIV. c. 8. inquil.*

Conditore Annalium apud Danos ſuos Saxone, cui *Grammatico* ab eruditione recondita, receptum eſt nomen, ſuo ævo nihil ſperari magis potuit. In ſumma barbarie, in terra à cultu literarum tam averſiſſima, Latinè, eleganter, eruditè ſcribit, citra parem quidem omnia.

Quod Erasmo consonat, qui in dialogo Ciceroniano:

In Daniam navigare malo, quæ nobis dedit *Saxonem Grammat.* qui suæ gentis historiam splendidè magnificeq; contexuit. Probo vividum & ardens ingenium, orationem nusquam remissam aut dormitantem, tum miram verborum copiam, sententias crebras & figurarum admirabilem varietatem: ut satis admirari non queam, unde illa ætate, homini Dano tanta vis eloquendi.

SCÆVOLA.

MVTIVS ita dictus ob *dexteram crematam* coram Porsena Rege urbem obsidente.

Q. MVTIVS SCÆVOLA, *jurisconsultorum eloquentissimus*; sicut eodem tempore L. Crassus eloquentium jurisconsultissimus habebatur. *Cic. in orat. Volat.*

SCALIGER.

Iulius Cæs. Scalig. Incomparabilis & divinus HEROS. *Heins. orat. I. p* 5.

Quod de *Tullio* dixit vetus Magister: *Profecisse multum cui is placeret*: ego verius, Magnum esse cui Julius iste magnus. *Lips. Cent. II. miscell. ep. 69.*

Poemata vir ille par antiquis scripsit religione antiqua *Id. Cent. ad Germ. & Gall. ep.* 19.

Vno minor Aristotele. *Gerh. Vossio I. Instit. Orat. c.* 1. *p.* 3.

Illud naturæ miraculum. *Eid. c.* 3. *p.* 27.

Perfectissimum *naturæ miraculum. Ianus Dousa in Tibull.*

Non minor Aristotele. *ibid.*

Vir ille, hoc uno excepto quod parem sibi filium genuit, cætera incomparabilis. *ibid. c. V. pag. 65.*

Vir ad unguem factus. *Eid. lib. IV. c. XI. p. 616.*

Summus profecto veterum CENSOR, ac non *Veronensium* modo *princeps*, sed omnium quorum interest vacare Musarum sacris. *Eid. l. V. c. 7. p.* 814.

Eruditorum maximus. *Eid. lib. VI. c. 5. p. 903.*

Homo Hominum μέγα θαῦμα & cum nullo sui ævi comparabilis scriptor. *C. Barth. XLIII. Adversar. c. V.*

Heros θεοείκελος. *Casaub. epist. post. alleg.*

Vir quo superiorem antiquitas vix habuit, parem certe hæc ætas non vidit, *& post:* Divinus hic vir cum veteribus comparatus, cum nemo unus esset, qui eum, sive ingenium sive fortitudinem spectes, exprimere posset, XENOPHONTI & MASSANISSÆ citra vanitatem componi meruit. *Thuan. lib. XXI. p. 404. ad A.* 1558.

Scalig. Pater, Criticus doctus, sed nimium suo proprio iudicio tribuens. *Dempster.*

Quod solus strictim tonderet, TONSVS in Italia vocabatur. *Taubman. Plaut. p.* 216.

SCALI-

SCALIGER.

Iosephus Scal. Magni Parentis non minor filius. *Quem sic Casaubonus compellat ep. Martiali Paris. præmissa.*

Ea est ingenii tui magnitudo, eo nominis fama, summis in Rempubl. literariam meritis quæsita, vir illustrissime, ut jam Scaligeri nomen sublimis cuiusdam & numeris omnibus *absolutæ eruditionis, non hominis* appellatio esse vulgo putetur, *& post*:

Vnus cui tota Musarum sacris operatorum cohors assurgat: Cui Princeps Musici cœtus fasces submittant: quem propter inexhaustam, & tantum non humanum captum superantem, reconditæ doctrinæ copiam, orbis terrarum mirabundus suspiciat: *Iterum:* Cuius τὸν ἀτρεκέστατον μάντιν, *Tripodem*, omnes hæsitantes consulunt.

Μουσαγέτης. *ibid.*

Plane quod de Catone olim dictum, versatile ingenium sic illi pariter ad omnia fuisse, ut *natum ad id unum diceres, quodcunq; ageret*: id verissimum in eo reperiri, non seria magis quam lusus evincunt. *ibid.*

Decus æternum ævi sui: Vir aut heros potius, & quidem Heroe magno satus, in tantum laudandus, in quantum virtus & meliores litteræ possunt intelligi: quarum ille δαιμόνιος ἀνὴρ, magnitudinem, amplitudinem, maiestatem deniq; pœnè solus quum animo viderit, ingenio fuerit complexus, divina & sine exemplo felici industria, per totum vitæ curriculum bene de iis mereri nunquam cessavit. *Casaub. in Æneæ Tactica. p.* 91. ubi eius obitum deplorat.

HERCVLES MVSARVM. *Eid. præf. in Athenæum.*

Lumen illud & Columen litterarum. *Lips. Cent. II. miscell. epist.* 31. *& Cent. I. ep.* 13.

Quis Polydamas ausit illum HECTOREM? qui dIs hominibusq; faventibus tenet profectò, & tenebit hoc regnum, *Lips. l. III. epist. quæst. XX.*

Tene quærere quid sentiam de Scaligeri Festo? Ego verò quid de scriptis eius omnibus, nil posse divinius: sic enim loquendum, quotiens de Scaligero, quem profecto omnes Musæ καὶ ὁ δάλιος ἠγάπευεν Ἀπόλλων. Dii boni! quam multa ille nova, quam multa vetera, non lecta, non visa, non audita aliis depromit! *Dæmonium hominis.* Et quid tergiversamur? præ illo nos cæteri volamus sicut umbræ. *Id. Lips. l. III. epist. quæstion. XX.*

Incomparabilis Heros. *Meursio.*

> Qualis SMARAGDVS Galliarum *Scaliger*!
> Doctrinæ *Abyssus*, Ingenî *miraculum*.
>
> *Baudius in Funeribus.*

Incomparabilis Scaliger, invidorum scopulus, eruditorum scopus, ad cuius litterariam qui proxime accesserit gloriam, ille cæterorum sit eruditione Princeps. *C. Barth. in Claud. p.* 77.

Θειότοκος. *Eid. in Rutil. p.* 45.

Alter VARRO. *Ger. Voss. Instit. orat. l.* IV. *c.* 6. *p.* 523.

Senatus Critici Princeps. *Eid. c.* 9 *f.*

Criticus πολύγλωττος. *Pareo.*

Cuius incomparabilem eruditionem, ingenium supra mortales prius defessi sunt homines laudando, (*usurpabo illud Salustij ad Cæsarem*) quam ipse gloria digna faciundo. *Wouvverius in Petron. p.* 375.

Verè eruditorum PHOEBVS ut politissimi ingenii vir. (I. Lips.) eum indigitavit. *Thuan. libr.* XXI. *p.* 404.

ÆSCVLAPIVS rei litterariæ. *I. Lips.* I. *Saturn. c.* 3.

Alii abyssum eruditionis, alii scientiarum mare, alii doctorum solem, alii Patris divini sobolem divinam, alii genus Deorum, alii perpetuum litterarum dictatorem, alii maximum naturæ opus & miraculum, alii extremum naturæ conatum, alii aliter vocâre. *Heins. orat. funebr. p* 6.

Postrema soboles Scaligerorum, heroum sanguis, literarum princeps, invidiæ victor, domitor monstrorum. *ibid. f.*

Ille eruditi orbis splendor, ille fama litterarum ac ANIMA. *& post:* Princeps litterarum, ore omnium & APOLLO *Musarum* iudicatus. *Idem orat.* II. *pag.* 19.

In quo ipsa natura experiri voluit, utrum plura obtrectare improbi, an mirari eruditi ac honesti viri possent. *ibid. p.* 18.

Vir sine exemplo magnus. *Eid. in Senec. Trag.*

Omnis litteraturæ DICTATOR, qui

—— *eruditione*
Idumæus, Arabs, Syrusq; & Indus
Chaldæus simul Æthiopsq; Civis;
Quemq; Achæmenij suum vocarent,
Pelasgus simul & simul Latinus,
Et Grajus vetus & quotidianus;
Et Thuscus simul & simul Britannus;
Et quod altera secula obstupescant,
Hispanus simul, & simul Batavus:

Scriverius ap. Lansium pro Gall. p. 229.

Scaligerorum Principum amœnissimus secessus *Sirmio* à Theodorico *usq; Scaligero* Gotho, quem Dietrich von Berna vocant Germani, ad avum usque meum Benedictum Scaligerum, qui profugit ad Gentilem suum Matthiam Regem Vngariæ, cognomine *Corvinum.* Hæc ipse ad Catulli versum:

Peninsularum Sirmio, Insularumq; Ocelle. &c.

repetit *Paullus Merula Cosmogr. p.* 2. *l* 4. *c.* 35. *p.* 1277.

Adi ipsum Ios. Scal. in epistola de vetustate & splendore gentis Scaligeræ.

SCHAF-

SCHAFNABVRGENSIS.

Lambertus Schafn. quo ſcriptor nemo politius inter veteres, res Germaniæ litteris commiſit. C. *Barth. l XLIX. Adverſ. c.* 4.

SCHARBICVS.

SCHARB. *Baro, Legatus Pol. ad Henric. Imp.* cum annulum auro Cæſareo ſibi monſtrato adjeciſſet, & Imperator reſpondiſſet: Hab Danck: familiæ ſuæ nomen Habe Danck acquiſivit *Hiſt. Pol. Calv. p.* C. 1110. *Crom. l.* 5.

SCHOTTVS.

Andreas Sch. præſtantiſſimorum in bonum publicum meritorum. C. *Barth in Rutil. p.* 29.

Altæ eruditionis vir. *Caſaub. præfat. in Athen.*

Polyhiſtor celeberrimus. *Pareo.*

Vir bono publico natus. *Lipſ. Cent. V. miſc. epiſt.* 89.

SCIPIO.

Scipionum patritia gens, cognominis initium à Cornelio adoleſcente habuere, qui patrem luminibus carentem pro baculo regebat, quem *Scipionem* grammatici appellant. *Macrob.*

SCIPIO.

SCIPIO Dux Romanorum, *oracula* potius locutus quam verba. *Suidas.*

L. Scipio populo Romano nomina ſua reddidit memoria. *Plin. lib. VII. c.* 24.

P. Scipio Naſica CORCVLVM vocatus. *Cic. in Bruto c.* 20. & 58. *I. Tuſc. qq. c.* 9. de Corculis *vid. Plinium l.* 1. *c.* 31. Cui adde elegantiſſimum *Paſchaſii* epigram. in COR. *lib. IV.*

C. Scipio Naſica OPTIMVS à ſenatu appellatus eſt: cui etiam domus publice in ſacra via data eſt, quo facilius conſuli poſſet. *Pomponius. ff. de Origine Iuris. Hiſtor. Iuris. c.* 3. *Confer Aurelium. c.* 44. *Plin.* 7. 34. SERAPION vocitatus, quod Serapioni victimario ſervo perſimilis eſſet. *Val. M.*

SCIPIO.

P. Cornelius SCIPIO ex virtutibus cognominatus AFRICANUS. *Aurel. c.* 49.

SCIPIO.

L. SCIPIO frater Africani, Antiochum Regem Syriæ vicit, hinc ASIATICUS vocatus. *ibid. c.* 53.

SCIPIO.

P. SCIPIO Æmilianus, quod fame vicit Numantiam in Hiſpania, NVMANTINVS adpellatus. *ibid. c.* 58. de hoc *Cato Maj. ap. Plut.* utitur verſu quem *Homerus de Tireſia* apud inferos, habet:

Solus habet mentem, reliqui volitant velut umbræ.

SCOTVS.

Joannes Duns SCOTVS, LIMA VERITATIS. *Scal. ex.* 3. 24 ſtilis diſcipulorum dicitur confoſſus, *Volat.* de alio id intelligit *Iovius in elog.*

SECVNDVS.

SECVNDVS *Athenienſis Sophiſta*, multæ doctrinæ, & mediocris eloquentiæ æqualis æmulusve Herodis Attici.

EPITHYRVS nonnullis dictus quod Architecti filius fuerit. *Philoſtr. Volat.*

SEDVLIVS.

Cælius Sedulius Poëta inter Chriſtianos non contemnendus. *C. Barth. lib. XXVI. Adverſ. c. 15. Gyr. dial. V. p. 214.*

Sedul. Scotus ſublimi vena & variæ eruditionis Poëta. *Dempſterus.*

SEMPRONIVS.

SEMPR. maximæ ſcientiæ, quem populus Rom. Σοφὸν, id eſt, SAPIENTEM appellavit: nec quiſquam ante hunc aut poſt hunc hoc nomine cognominatus eſt. *Pomponius ff. de origine juris tit. II. lib. I. Hiſtoria juris Rom. à Iuſtin. compoſiti c. 3.*

SENECA.

L. ANNÆVS SEN. PHILOSOPHVS: *etſi Fabio* in philoſophia parum diligens. Egregius tamen vitiorum inſectator fuit. l. X. c. 1. Vnde MORALIS dictus. *Vid. Gyrald. dial. VIII. p. 316.*

Romanæ Philoſophiæ SIREN. *Iſaac Pontanus in Macrob. VII. Saturn. c. 3.*

Nec inepte, Advocatum bonæ mentis dicas. ex Ep. ſua 94.

Magnus inter magnos vir. *Lipſ. I. manud. ad Stoic. Phil. diſſ. I.*

Sapientiæ FONS. *Eid. ep. 89. Cent. ſing. ad Ital. & Hiſp. & ep. 16. Cent. I. ad Belgas.*

Foret optandum, pares, aut ſaltem proximos illi viro fieri. *Quintil. l. c. p. 455.*

Vir excellentis ingenii atq; doctrinæ. *Columella lib. III. de re ruſt. c. 3.*

Multarum rerum experientia cognitus. *Tacit. lib. XIII.*

Princeps eruditionis ac potentiæ, quæ poſtremo nimia ruit ſuper ipſum. *Plin. lib. XIV. c. 4.*

Seneca tantus utique, quem *Fronto*, ſecundum quoſdam *nepos Plutarchi*, aſſerit, ſic univerſos exterminare errores, ut *aurea videatur ſecula* reformare, & Deos ab humano genere exſulantes, eius opera *revocatos*, hominibus contracta ſocietate miſceri. *Sarisber. Policrat. l. VIII c. 13.*

Omnes ſui ævi Romanos, multos vero & alios, ſapientia anteivit. *Dio lib. LIV.*

Laudatiſſimus inter omnes veteres ſcriptor, & virtutis ſtudio pœne Chriſtianus. *Lipſ. in epiſt. ad Paullum V. Pont.*

Si legas illum ut *Paganum*, ſcripſit *Chriſtianè*: ſi ut *Chriſtianum*, ſcripſit paganicè. *Eraſmus in judicio de Seneca.*

Pura & cœlo digna mens, & ad cœlum alios ſubducens. *Lipſ. I. Manuduct. ad Stoic. Phil. diſſ. 18.*

Rigidus virtutis Magiſter. *Tertullianus* ſæpe Noſtrum, *Auguſtinus*, Apoſtolis familiarem, *Hieronymus* penè Sanctorum numeris, ivit inſertum. *Idem ib.*

Plus

Plus aliquid semper dicit, quam dicit. Qui proprius quidem eius *Genius* videtur, ut in parcimonia verborum mira ἐνέργεια atq; efficacia sit: in brevitate claritas & splendor. Cum fructu oblectationem adfert pariter, & Venerem cum Minerva jungit. *ibid.*

Rarum sapientiæ lumen. *ibid.*

CATO TERTIVS. *Andreæ Schotto de Seneca declam. p.* 3.

Parem ingenio non habuit, & admirandus potius videtur, quam laudandus. *Caussinus III. Eloq. c.* 14.

Soli Caligulæ, cui nihil boni placere poterat, displicuit, qui eum ARENAM *sine calce* appellavit. *ibid. Displicuit vero etiam Quintiliano lib. X. c.* 1. *& Agellio lib. XII. c.* 2. *sed sine causa, ut satis monstrat Lipsius in Iudicio, Senecæ operibus præmisso, & Caussinus l. d. Confer Tacit. XIII. An. c.* 42. *Adde Volaterr.*

SENECA.

M. ANNÆVS Seneca RHETOR seu DECLAMATOR. Pater Philosophi. Extant non ipsius sed alienæ ab eo digestæ declamationes: quas præloquiis aut interloquiis distinxit: & vel sic come atq; *amœnum ingenium* suum satis ostendit. *I. Lipsius in vita Senec. c.* 1. *f. Tacit. XIII. c.* 3.

Vtile illud ad eloquentiam scriptum est, & quod in uno velut corpore præfert, tot membra veterum Oratorum. *Idem epist. IV. cent. IV. misc.*

Vnice me in *Filio* Sapientia delectat: in Patre comitas, lepos & facundia quædam simplex. *Idem ep.* 45. *cent. I. misc.*

Nihil in lingua latina, cum à Cicerone Fabioq; discesseris, scriptum purius aut elegantius. *Andr. Schottus Editor declamatoris huius.*

SENECA.

SEN. Solus ille Latinorum qui extent, TRAGICVS; qui est MARCVS, quod quatuor Tragœdias, Herculem Fur: Thyestem, Oedipum, Agamemnonem concernit: LVCIVS ille PHILOSOPHVS, quod Hippolytum, Troadas, Medeam attinet. Reliquæ diversorum sunt singulæ. *Iudicio Heinsii in Animadvers. in Senec. Tragœdias. Vbi Lucium,* vel Euripidem lacessere *adserit. pag.* 490.

Tragicis poëtis videtur contigisse quod aliis scriptoribus, ut Criticus quidam vetus ex diversis corpus unum composuerit, præscripto eius nomine quod ipsi fuerit visum commodissimum. *C. Barth. lib. XLIV. c.* 25.

Seneca suas seorsim tuetur partes, quem nullo Græcorum majestate inferiorem existimo: cultu vero ac nitore etiam *Euripide* maiorem. *Scalig. in Hypercrit. p.* 839.

Austeritatem disciplinæ, quia uti (erga Neronem) non poterat, prudenter temperavit. Ne exulceratum libidine animum, nec juvaret & remediis præcluderet. D. Heinsius in dedicat. Confer Tacit. XIII. & *exemplum* ARISTOTELIS *apud Plut. in Alex.*

Seneca nepos, Tragœdus purus, gravis. *Dempsterus.*

Seneca pater Philoſophus verè facundus, ſed inimitabilis.

Seneca avus declamator, terſa dictione, ſummo iudicio. *Idem.*

SENECIO.

Ingenii fuit confuſi & turbulenti: is cupiebat grandia dicere, ſervos probabat nonniſi grandes, & argentea vaſa nonniſi grandia: quin & calceos quoq; maiores ſumſit, & proficis mariſcas edit: unde vocari cœpit GRANDIO. *Seneca 1. Suaſoriar.*

SERAPION.

SERAP. Pictor cognominatus ANTHROPOGRAPHVS, quod homines optimè pingeret. *Plin. Volat.*

SERAPION.

SERAP. Chriſtianus, ob elegantiam ingenii meruit SCHOLASTICVS cognominari. *Volat.*

SERENVS.

SER. *Sammonicus* de medicina ſcripſit elegantiſſimè, ut ait *Barth. LVII. Adverſar. cap. 3.*

Fuit Gordiani Junioris Præceptor. *Gyrald. dial. IV. p. 189. Celſo additus prodiit ex Typogr. reg. Lugdun.*

Cultus quantum materia patitur Poëta. *Dempſterus.*

SERGIVS.

SERGIVS VI. Pontifex, dictus ante Petrus BVCCA PORCI, Sawrüſſel. *Calviſ. p. A. C. 1009.*

SERVIVS.

SERVIVS MAVRVS HONORATVS.

Servius Donatusq; maiorum gentium & veteris ævi Interpretes. *Taubman. in l. Æn. p. 310.*

Diligentiſſimus celeberrimusque Virgilii Interpres. *Giſan. apol. pro poët. Lat. p. 420.*

Omnium Grammat. doctiſſ. utiliſſ. *Dempſter. Vide Symmach. l. VIII. ep. 60. ibiq; Iuretum in miſcellan.*

Grammaticorum omnium ferè princeps. *C. Barth. XV. Adverſ. c. 2.*

Cuius utinam nulla fuiſſet apud pleroſq; Grammaticos noſtri temporis auctoritas, ne ineptis quibusdam interpretationibus imbuti, falſa aliquando, puerilia & barbara traderent. *Domitius ad III. Sylvar. Papin. p. 331.*

Lubet paucis immutatis exclamare cum Jubentio *Celſo*: aut non intelligo, Servi, quid ſit, quod reſponderis, aut valde ſtulta eſt reſponſio tua. *Tileman. diſc. p. 352. Confer. Domitius 27. ff. qui teſtam. fac. libr. XXVIII. t. I.* Vide BEROALDVS.

SEVERVS.

ALEXANDER SEVERVS & ANTONINI & MAGNI nomen recuſavit multo clarior alienis nominibus non receptis, quam ſi recepiſſet, etſi multis *Alexandro M.* par. *Lamprid vit. c. 5. 12. & 13.*

SEVERUS Eutychiani delirii sectator. Ἀκέφαλος dictus. *Synod. c.109.*

SEPTIMIUS SEVERUS.

Dictus PERTINAX vel ob crudelitatem, vel ob vitæ parsimoniam similem A. Helvii Pertinacis. *Aurel. Cæs. c. 20. §. 1.*

SERVILIUS

VATIA, Vir prætorius, dives nulla alia re, quam otio notus, & ob hoc unum felix exclamantibus in periculo hominibus: *O Vatia solus scis vivere!* At ille latere sciebat, non vivere. Nunquam aliter hanc villam Vatia vivo præteribam, quàm ut dicerem: *Vatia hic situs est.* verba *Senecæ ep. 55.*

Invenerunt autem sibi hoc cognomentum nonnulli Romæ *à suris retortis. Volat.*

SEXTUS EMPIRICUS Medicus,

Sectæ Pyrrhoniorum. Tres elegantissimi & longè acutissimi libelli extant Sexti Philosophi, quos cum admiratione ingenii leges, omnes Philosophorum decisiones adeò in dubium ducentes, ut nihil omnino in rebus certi relinquatur. *C. Barth lib. LIV. Adv. c. 9.*

Gentianus Hervetus Interpres, illum esse existimat Sextum Philos. è Bœotia oriundum, cuius *Marcus Imp.* studiosus fuit, adeo, ut ipsum frequentaret, atque ad eius fores ventitaret. apud *Philostrat. II. de vit. Soph. p. 556.* Prodiit Aurelianæ cum Notis Henrici Steph.

SFORTIA.

LUDOV. Sfortia Dux Insubrum, MAURI cognomentum ex fusco colore accepit, *Guicciardin. l. 3.* cui calliditas hominis respondit.

SIBYLLA.

Divinitas, & quædam cœlitum societas nobilissima, ex fœminis, in Sibylla fuit. *Plin l. VII. c. 33.*

Omnes fœminæ vates, Sibyllæ sunt à veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel à Consiliis Deorum denuntiandis: σιοὺς enim Deos, non θεοὺς & consilium non βουλὴν sed βυλὴν appellabant Æolico sermonis genere. Itaque Sibyllam dictam esse quasi θεοβουλὴν. *Lactantius de falsa relig. c. 6. ubi ex Varrone decem numerat.* Vide *& librum de ira Dei c. 22. & Suidam.*

De his prolixum suum examen ita concludit *Tilemannus.* valere aliquid ad paganorum vanitatem convincendam, non tamen ad istorum auctoritatem amplectendam. *Discursu Philol. p. 75. Confer Casaub. exerc. ad Apparat. Anal. cap. 10. p. 53.*

SICILIA.

DREPANUM dicitur ut & *Corcyra*, quoniam utrobique creditur esse falx Saturni aut Jovis. *Rhod. l. 13. c. 21.* TRIQUETRA à figura triangulari. HORREUM *Rom.* IMPERII sive CELLA PENUARIA, *Catoni.*

L. SICI-

L. SICINIVS DENTATVS.

Qui 120. præliis cum hoste conflictatus, cicatricem aversam nullam habuit, ROMANVS ACHILLES laudatus est. *Agell.2.c.11. Plin.7.c.28.* DENTATVS dicitur ab auctore gentis, qui dente jam nato prodiit in lucem, sicut de *M. Curio & M. Carbone* traditur. *Solin. c. 4.*

SIDONIVS.

Caius Sollius Sidon. Apollinaris, Arvernorum Episcopus. A vita moribusque MODESTI nomen apud librarios accepit. *C.Barth.lib. VI. adv.c.1.*

Nemo post Claudianum melior poeta fuit, à quo deinceps cæteri omnem eloquentiam in affectatos illos rithmos fregerunt, multa paucis includere, & consonis sententiarum clausulis velut harmonicum genus dicendi affectantes. *Idem lib. LVII. c. 11.*

Sidonij tarditatem admirari vix sufficio, nisi fortè temerarius ipse sim, dum *temerarium* illum dicam, dum Sales eius, seu tarditatis meæ, seu illius styli obice, seu fortassis (nam unumquodque possibile est,) scripturæ vitio non satis intelligo. *Petrarcha in epistolari præfat.*

In utroq; dicendi genere Gallicum nescio quid & barbarum redolere videtur *Gyraldo de poët. dial.5.*

In *Sidonio*, ingens, ut apparet, ingenii vigor. Magis ob multas virtutes admirandus, quod præmortua Romana facundia hæc scripserit, quam ob temporis vitia accusandus videatur. *Caußinus lib. III. cap. 14.*

Vir secundum seculi dignitatem nobilissimus, & de primis Galliarum Senatoribus, ita ut filiam sibi *Aviti Imperatoris* in matrimonio sociaret. *Gregor. Turonensis lib. II. hist. c.21.f.*

Scholasticißimus omnium præsulum Sidonius. *Wibertus Gemblacensis.*

Vir ingeniosus & cothurnatæ eloquentiæ. *Vincentius Spec. lib. XXI. c. 46.*

Veteris studiosus elegantiæ, ita ut barbaricis incursionibus obsoletæ, & pene antiquitatæ *antiquæ facundiæ reductor & reparator* haberetur. *Savaro. in vita.*

Apollinare opus, Musis & Apolline dignum. *Idem.*

Obnubilum Apollinaris opus. *Id.* qui & notis doctissimis illustravit, de quibus in SAVARO.

In epistolis juxta ac carminibus supra modum litteratus. *Dempster.*

SIGONIVS.

Carol. Sigonius reliquum in ea gente (Italica) lumen. *Lips. Cent. I. epist. 79.*

Italiæ Sol, qui princeps aliis ad Rom. historiam in hanc lucem è situ pulverulento, in quo oppressa miserè jacebat, eruendam, signum sustulit. *Carrio l. 2. Lect. antiq. c. 3.*

Græcas & latinas litteras Mutinæ professus. *Gyrald. dial. II. Poët. sui temp. p. 421.*

Vir excellentis doctrinæ & industriæ accuratissimæ. *Rhodoman. in præf. Diodori.*

SILENTIARIUS.

Ioannes Palæstinæ Monachus sic dictus, quod præ nimia sanctitate & speculationibus continuis ne verbum quidem aliis audientibus proferret. *Baron.*

SILIUS

ITALICUS, Urbis & Imperii Romani tertium Consul, multis Impp. æqualis, multis superstes, veterum rituum ad unguem scriptor, non ex aliena fide, sed oculatus.

Non Poeta, non Historicus, sed utrumq; est. Libri Punicorum Historicum volunt, dicendi character poëtam &c. Euripidi non usquequaque dissimilis. Nam Γνωμοτύπȣ vocabulum, quod *Euripidi* datum honori, in hunc nostrum non parce convenit, nec sine cura impensiore, &c. Silii Italici *os* verè *Magnum*, verè *Aureum*. *Cl. Dausqueius in frontispicio suæ edit.* Confer EURIPID.

Scribebat carmina maiore cura quam ingenio: nonnunquam judicia hominum recitationibus experiebatur &c. Erat φιλόκαλ𐅹 usque ad emacitatis reprehensionem; In Neapolitano suo, *inedia* vitam finivit, ex *Plinij lib. III. Epist. VII.* vid. *Gyraldum Dialog. IV. p.* 177.

Castalidum decus sororum, *Martial. l. IV. epist.* 14.

Facundo Silius ore. *Idem VI. epist.* 64.

Vates consularis. Iano Lernutio.

Orator verius quam Poëta, nimius & interdum ridiculus Virgilii imitator. *Dempsterus.*

SIMMIAS

RHODIUS, Poëta & Grammaticus, origine Samius, qui post Samiorum direptionem, dum migrarent, ab eis *Dux* electus est, ut ex reliquiis Coloniam deduceret, *Suidas & Gyrald. dial. III. p.* 129. Ovum, alas & securim Ipsi exclusit, reddidit, exacuit. *Daniel Heinsius ad Theocrit.*

SIMPLICIUS

FECIALIS & quasi Pater patratus Aristotelis ac Platonis. *Heinsio orat. III. de Bibl. p.* 31.

SIMOCATES.

Theophylactus Simocates vel Simocatus, Sophista seu Scholasticus. Eius Epistolæ Ethicæ, agrestes & amatoriæ, à *Iacobo Cujacio* latinitate donatæ & cum cæteris Græcorum epistolis Aureliæ Allobr. excusæ M.DC.VI.

SIMONIDES.

Filius Sororis Simonidis Cæi, cognominatus MELICERTA. *Suid.*

SIMULA.

Magnus ac procerus homo, sed ineptus ac stolidus, unde in eum primus

hoc jecit Stratonicus. οὐδεὶς σαπρὸς μέγας ἰχθύς, Nullus putidus magnus Piscis.

SLEIDANVS.

Nobilis quidam Misnicus, se propter unius *Sleidani* mendacia, nulli historicorum quidquam crediturum professus est. *Possevinus lib. I. Bibl. c. 19.* vocem Julii *Pflugij Naumburgensis Episcopi* refert: Sleidanus nebulo mentitur. Verum in istos & alios quadrat, quod Melissus in quendam *Rusium* hisce versibus conclusit:

> *Mendaciorum quippè tanto pessimus*
> *Excogitator, optimus quantò fuit*
> SLEIDANVS, *ipsa veritatis unicæ*
> *Scrutator, & qui veritatem mortuus*
> *Fatetur, hanc tu Scurra, ne vivus quidem.*

Merito suo Sleidanus amplissimæ Argentinensium Reip. legatus integerrimis historicis debet accenseri. *Tilemannus in discursu Philol. p. 246.*

SMYRNÆVS.

COINTVS *Smyrnæus* seu *Quintus* CALABER Iliados Homericæ continuator, Homeri simillimus, Coluthi, Musæi & Nonni præter propter æqualis. In poemate eius Hesperidum pomaria, aureis malis referta, & Adonidis horti, hymettis floribus iucundissimè spirantes: Imo limpidissimus Veneris Acidaliæ fons, ubi se cum Gratiis assiduè lavat; denique singuli prope versus Charitum cum Musis tripudium festivissimum nobis referunt. *Laurentius Rhodomannus Interpres illius & Editor.* CALABRI nomen legitimum esse asserit & Dausqueius in Notis.

Alter HOMERVS. *Rhodomanno in Troica Dionis. Chrysost.*

SOCRATES.

Ille Sapientissimus ab Apolline judicatus. *Plin. lib. VII. c. 31. & 34. Valer. Max. lib. VII. c. 2.*

Σοφὸς Σοφοκλῆς; σοφώτερος δ' Εὐριπίδης; Ἀνδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος. Sophocles sapiens quidem, Euripides vero Sapientior, sed omnium Socrates SAPIENTISSIMVS. *Oraculum Delphicum ex Nubibus. Aristoph. apud Suidam in σοφός.*

Socraticæ doctrinæ, & splendidum illud virtutum iudicium, etiam Delphicis Cortinis approbatum est. Oraculum enim veritatis Pythius ille ex adyto dedit

> Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος.
>
> *Lucianus in dial. qui amores inscribitur tom. IV. p. 233.*

Homo & corpore purissimus: & animo optimus: & vivendi ratione perfectissimus, & in dicendo suavissimus: qui piè cum DEO & sanctè cum hominibus versabatur. *Maximus Tyrius differt. XXXIX. pag. 39.*

Περιπα-

Περιπατῶν ἄγαλμα σοφίας VIVUM SAPIENTIÆ SIMVLACHRVM Magnus Socrates. *Eunap. in Ædesio p.* 39.

Humanæ Sapientiæ quasi quoddam terrestre Oraculum. *Valer. Max. lib. VII. c.* 3. *extern.* 1.

Sol Sapientiæ. Heinsio in dedicat. Senecæ Tragœd. cui & prolixè depingitur atque elegantissimè *Orat. III.*

Perpessitius senex, per omnia aspera jactatus, invictus tamen. *Senec. epist. CIV. quem vide.*

Hinc μαινόμενος insanus Diogeni, ob summam in tolerandis iniuriis etiam corporis, duritiem. *Erasm. p.* 90. *adagiorum.*

Socrates SCVRRA ATTICVS à Zenone dictus. *apud Cic. l. N.D.c.*33.

Ex suavitate loquendi & argutiis interrogandi captiosis quod ridibundus pleraq; docebat, dum omnes eius apud Platonem & Xenophontem disputationes, suavem quandam Ironiam præferunt, sic dictus & Arnobio, & Lactantio. *Barth. in Vespruciam. od* 1.

SOL.

Omnia qui video, per quem videt omnia tellus.

MVNDI OCVLVS. *Ovid.* 4. *Metam.*

Oculus ille mundi. COR cœli, princeps & moderator luminum reliquorum. *Plin. l.* 2. *c.* 6.

Diei oculus. *Naz. or.* 43.

SOLINVS.

C. Iulius Solinus ex Pliniano opere, aliisque receptissimis sui ævi scriptoribus, insertis ubique historiis, gentium origines, nominum rationes, mores, ritus, religiones, miranda artis & naturæ opera (unde & liber POLYHISTORIS nomen accepit) calamo non inauspicato, ad sui temporis (quod non multum post Vespasiani Cæsaris ætatem fuisse putatur) statum enarravit. *Christianus Vrstisius in Editione Basileensi.*

Sol: *Polyhistor*, Plinii *transscriptor*, nec titulo diligentia satisfaciens. *Demsterus. Simia & fucus Plinij, aliis.*

SOLON.

Atheniensis Philosophus, legumlator, & Demagogus seu Populi Princeps. *Suid.*

Solon, qui Athenas æquo jure fundavit; inter septem, ævi sapientia notos. *Seneca Epist. CX.*

SOPHOCLES.

Sophili Colonei filius, Atheniensis, Tragicus Poëta. Natus est Olympiade septuagesima tertia, ante Socratem annis septendecim. Appellatus fuit APIS ob Orationis suavitatem. *Suid.*

Polemon Philoſophus Athen. delectabatur Sophocle & Homero & utrumq; pari præditum Sapientia dicebat, ac HOMERUM quidem HEROICUM eſſe Sophoclem. SOPHOCLEM vero TRAGICUM HOMERUM. *Id in* πολ. Vid. SOCRATES.

Gravitas & Cothurnus & ſonus Sophoclis ſublimior. *Quintil. lib. V. c. 1. p.* 448.

Ἄνθος ἀοιδῶν *Flos Poëtarum. Simonidi lib. III. Anthol. c. XXV. epigr.* 38.

Tragici quinam ſunt celeberrimi, quiq; omnes, ut ita dicam, ferunt calculos? optimi opinor: *Sophocles, Æſchylus, Euripides.* Nec enim quis horum maximè, diſputo, ſed hos aliis omnibus præſtare. *Ariſtides Orat. contra proditores myſteriorum p.* 703. *t.* 3.

Sophocles magni illius Periclis collega, illuſtri dignitate in ea urbe, è qua omnes diſciplinæ primum ac ſcientiæ fluxerunt, & ex ea ipſe Oriundus: &c. *Dan. Heinſius in epiſt. dedicat. Senecæ Trag.*

Aiunt virum nunquam ſatis laudatum Sophoclem, cum Antigonem ſuam legeret, & cum longa periodo ſpiritu contento paria feciſſet, ſubito expiraſſe. *Idem in animadverſ. Senec. p.* 489.

Sophocl. glorioſum cum rerum natura certamen habuit. prope enim centeſimum annum attigit, ſub ipſum tranſitum ad mortem, Oedipode Coloneo ſcripto; qua ſola fabula omnium eiusdem ſtudii poetarum præripere gloriam potuit. Idque ignotum eſſe poſteris, filius Sophoclis Iophon noluit, *Sepulchro patris,* quæ retuli, inſculpendo. *Val. Max. l. VIII. c.* 7. *ext.* 12.

Coronam auream cum ex arce Athenæ perdidiſſent, Sophocles ſomniando redinvenit. *Tertull. de an. c.* 46.

Poſtmodum ætate *Plinij Minoris,* SOPHOCLES & *Laudicani* dicti actores qui σοφῶς καλῶς, eugè bellè, acclamabant, ſportulis & cœnis invitati. Vide *lib.* 2. *ep.* 14. *Kipſ. cent.* 2. *ad Belg. ep.* 14.

SOPHRONIUS.

Hieroſolym: Summus ſacerdos μελίγλωσσος τῆς ἀληθείας πρόμαχος i. e. *mellitus* veritatis propagnator. *Synodicon c.* 124.

SPARTIANUS.

Ælius Spart. Vitas Cæſarum aliquot deſcripſit.

Hiſtoricus non magni ponderis. *Dempſterus in Roſin.*

SPHODRIAS.

q. d. VEHEMENTIUS, dux Lacedæm. quem valdè ſimplicem & temerè ſpe efferri ſolitum tradunt. *Suid.*

STATIUS. vid. PAPINIUS.

STEPHANUS.

Henricus Steph. doctiſſimus omnium Typographorum: cui MANUTIANAS laudes pari jure tribuas.

STEPHA-

STEPHANVS

Martyrum primicerius. *Augustino*. al. Protomartyr.

STESICHORVS.

Poëta Lyricus, ex Himera Siciliæ civitate, sic vocatus, quod primus cum citharæ cantu chorum constituit, cum ante TISIAS diceretur. *Suid. Volat. Quintil.*

STOBÆVS.

JOANNES cognomento Stobæus. Florilegium scripsit ad Epimium filium, quod varias multorum opiniones continet libb. IV.

Præclarum opus & omni eruditione refertum Suid. in Joan.

Et lectione & judicio mirabilis. *Dempsterus*.

STOICI.

A Stoâ schola illa Atheniensi, quæ olim *Pisianactea porticus*: post à Polygnoti pictura, *Poecile*, i. e. VARIA dicta fuit, in qua Zeno Citticus obambulans docuit. Propterea Stoici dicti eius Sectatores, cum Zenonij ante dicerentur. *Suid. ex Laertii l. VII. p.* 437.

STRABO.

Amasenus Philosophus & Geographus. *Suid.* & Ipsius *lib. XII. Geogr.*

Vir profecto maximus, quo priorum Geographorum nemo plus terrarum lustravit, ut ex *ipsius lib. II. cognoscere licet, editionis Casaub.*

Homericæ Philosophiæ summus admirator ac diligens rerum omnium indagator. *Neand. in Gnomol.*

Geographiam suam scripsit quarto anno imperii Tiberii Cæsaris.

Præstantissimus scriptor & *Geographorum princeps. Eid. Casaub. not. in Matthai c. 2. f.*

SVETONIVS.

C. Sueton. TRANQVILLVS Grammaticus Romanus. *Suidas.*

Vir probissimus, honestissimus, eruditissimus. *Plinio lib. X. epist.* 95. cuius contubernalis fuit.

Emendatissimus & candidissimus scriptor, *Flavio Vopisco in Firmo c.* 1. cui familiare amare brevitatem. *ibid.*

Emendatissimus & liber, licet concisus historicus. *Dempster.*

Libertas illa, qua malorum principum vitia persecutus est, etiam cuidam post eum magno stetisse dicitur, nam scelestissimus Imperator COMMODVS, eum, qui Tranquilli librum, vitam Caligulæ continentem legeret, feris objici jussit, quod eundem diem *natalis* ipse habuerat, quem & Caligula. *Politianus præfat. in Suet.*

Pari licentia Cæsarum vitas, ac illi egere scripsit. *Turneb. l.* 1. *c.* 2. *Confer. Lips. elect. l.* 2. *c.* 17.

Adriani principis epistolarum Magister aliquando fuit. *Ibid. ex Spartiani Hadr. c. 11.*

Huius pater fuit Suetonius LENIS tribunus militaris angusticlavius. *Ipse in Othone l. VII. c. 20.*

SVIDAS.

Monachus Byzantinus, ut quidam putant, non ignobilis nec pervetustus. Verborum ac Rerum locos communes, una cum historiis, non facilè obviis, persequutus est. Thesaurus insignis & Amaltheæ velut cornu. Copiosa & perfecta quædam Grammatica. *Hieron. Wolfius in editione latina.*

Ante annos claruisse quingentos, existimat *doctissimus Casaubonus exercit. I. ad Apparat. An. n. 25.*

Viri sapientes, qui librum istum composuerint, numerantur & nominantur *undecim*: in editione Æmilii Porti recentissima.

In eius Collectaneis, seu verius thesauro, illud eruditi homines uno ore hodieq; requirunt, pleraq; veterum scriptorum, ut Polybii ac Dionis, nomina temerè omissa. Qui tamen scalmi seu ἀποσπασμάτια, utilitatem profectò maiorem, mea quidem sententia adferrent, si Fragmenti cuiusque pater auctorq; de more laudaretur. Hæc *Schottus ante proverbia Suidæ, à se scholiis explicata*, *quem vide.*

Suid. admirabilis, incomparabilis, unus instar omnium Grammaticorum. *Dempsterus.*

L. CORNELIVS.

SVLLA se FELICEM edicto appellavit, sed paulò post phtiriasi sublatus est. *Aurel. c. 75.*

Nominis etymon contractum ex SIBYLLA. *Macrob. Volat.*

Idem ex decreto VENVSTVM se appellari voluit: quæ nuncupatio à Felici non ita videtur dissentanea. *Rhodig. l. 24. 6.*

Ab eius nomine *Syllaturire* apud *Cic. l. 9. ad Att.* syllaturit jam diu animus & proscripturit.

Sylla utique 7000. civium occidi iussit, eique occidendi finem fecit hostium inopia. *Vide Lucan. l. 2. & lit. K.*

SVLPITIVS.

Severus, Presbyter, cognomento *Sulpitius*, Aquitaniæ provinciæ, vir genere literisque nobilis, & paupertatis atq; humilitatis amore conspicuus. Dictione SALLVSTIVS, historiæ Heroum Christi quidam FLORVS.

Elegantia Romani sermonis vix quispiam Christianus auctor extat præferendus, Severo Sulpitio, ut eum legens, videatur stantis Reip. Senatorem aliquem de divinis rebus disserentem audire. *C. Barth. l. XII. Adv. c. 18.*

SYMMA-

SYMMACHVS.

Q. Aurelius Symmachus Vir consularis, præfectus urbis: inter præcipua nominandus exempla doctrinarum, atq; modestiæ &c. *Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. c. 4.*

Nullo veterum minor. *Macrob lib. V. c. 1.*

Haut quisquam ita nitet, ut comparatus tibi non sordeat; Quis ita Æsopi venustatem, quis sophisticas Socratis conclusiones, quis enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem nostri Maronis accedat? quis ita affectet singula, ut tu imples omnia? Quid enim aliud es, quam Ex Omni Bonarvm Artivm Ingenio Collecta Perfectio. *Ausonius Epist. ad Symmach.*

O linguam miro verborum fonte fluentem
Romani decus eloquij, cui cedat & ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas!
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum cui sordida monstra.
Pratulit. &c.

Prudentius lib. I. in Symmach. v. 634.

Mirabili eloquio & scientia præditus. *Prosper. Aquit. part. III. promiss. 38.*

Facundissimi Symmachi eximium dictum. *Caßiodorus lib. II. Epist. 1.*

Illud pretiosissimum generis humani decus, Vir totus ex sapientia, virtutibusq; factus. *Boëth. lib. II. pros. IV.*

Scripsit epistolas familiares elegantissimas, miræ brevitatis ac rotunditatis, Ciceronis in Academiæ primus Accola. *Caussin. in Comment. Consul.*

Nulla ex iis est *Epistolis* quæ non spiret genium quempiam viri in rebus Egregii publici procurandis exercitati: nulla epistola est, quæ non integrum dogma Politici alicuius Syntagmatis propagare queat. *Casp. Barth.*

Strictim eruditione omnia complet. *Idem l. XXI. c. 5 f.*

In epistolis eloquens, in relatione vehemens. *Dempster.*

Vt tanquam rerum novarum studiosus cum genero *Boëthio* interemtus à Theodorico Gotorum Rege, & quomodo is piscis capite tanquam Symmachi, lethaliter territus *vide Rhod. l. 27. 22.*

SYNESIVS.

Episcopus Cyrenes. Nobis Platonem, Demosthenem, Pindarum, Christiano ore loquentes dedit. *Caussin. lib. III. Eloqu. c. 14.*

Epistolas eius θαυμαζομένας i. e. *admirabiles* nuncupat *Suidas.*

TACITVS

TACITVS.

C. Cornelius Tacitus Scriptor historiæ Augustæ eloquentissimus: Fabio Quintil: utrique Plinio, Floro, &c. æqualis.

Tacitus nunquam sine laude loquendus. *Sidon.Carm.II.v.192.vid Sallustius.*

Imitator Sallustii *Cor. Tacitus,* omni virtute antiquis proximus, longo quidem intervallo, sed tamen proximus: & si linguæ latinæ esset eadem puritas, cætera sic perfectus, ut vocare illos ipsos antiquos in certamen posset dignitatis. ACER scriptor & Prudens. *Iust. Lipsius in dedicat. Taciti.*

Non optimus ille quidem Latinitatis auctor, sed historiæ scriptor prudens, verus atque acutus. *Lambinus in Horat. lib. III. carm. od. 27.*

Mirabilis omnino scriptor, qui serio hoc ipsum agit, quod non agit. Nec enim historia solum est. Sed velut hortus & seminarium præceptorum &c. Sapientiæ simul & Prudentiæ verus Dux. *Lips. in I. Polit.*

Historicus ille judicii consideratus & liber. *Idem lib. IV. de Magn. Rom. c. 3. Confer epist. 89. Cent. sing. ad Ital. & Hispanos.*

Vir liberi judicii & stili. *Idem Cent. I. ad Belgas ep. 16.*

Tacitus Imperator, *Corn. Tacitum* scriptorem historiæ Augustæ, quod *Parentem suum* eundem diceret, in omnibus Bibliothecis collocari jussit, & ne lectorum incuria deperiret, librum per annos singulos decies scribi publicitus in archivis iussit, & in Bibliothecis poni. *Vopiscus in Tacito c. X.*

Luculentus Historicus, ac vitæ pernecessarius. *Dempsterus.* Confer *Caussinum*, qui in plerisque adipalem eloquentiæ succum desiderat.

Veracem fecit probitas, natura sagacem
Obscurum brevitas te, gravitasque brevem.

Sic Ovvenus l. 2. epigram. 159. de Tacito.

Quinque libri Primores inventi Corbeiæ, quod monasterium ad Visurgim est, atque illinc depromptum vere hunc thesaurum Quæstor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis. *Lipsius in Notis p. 86.*

TAMERLANES.

Orbis terror & clades Orientis. *vide Iovium.*

TARQVINIVS.

Priscus Rom. Rex V. LVCVMO dictus *Aurel. c. 6.*

TARQVINIVS SVPERBVS cognomen moribus præcipuè quod meruit. *Id. c. 8.* Tullum socerum insepultum abiecit, & Romulum sepulchro caruisse dictitans. *Sabellic. l. 2.*

TATIANVS.

Orator SIMIÆ cognomen adeptus, quod omnia ingeniosiùs imitando exprimeret. *Rhodig. l. 3. c. 10.*

TAVBMANNVS.

Frid. Taub.

Magnus Apollo. *Pareo.*

Homo hominum in illo tractu (Saxonia) literatissimus. *Lips. cent. V. miscell. ep.* 87.

Festivitatis & salinarum arbiter, si quis alius mortalium. *Baudio.* Salibus utiq; placebat Principibus.

TERENTIANVS.

Maurus elegantissimus, & inculpatæ Latinitatis Poëta *C. Barth. XV. Adv. cap.* 2.

TERENTIVS.

De hoc Africanus Magnus Comicus.

Terentio non similem dices quempiam.

Terentius IMAGO Menandri. *Heinsio not. in Horat. p.* 98.

Cuius incredibiles lepores, ut *Ioseph. Scalig.* dicebat olim, vix centesimus eruditorum quisque intelligit. *Heins. ibid.*

In quoq; tu in summis, ô dimidiate Menander
Poneris & merito, puri sermonis amator.

C. Cæsar in vita Ter. ab Ælio Donata data.

Dulces latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque & Afranium subpari ætate nituerunt. *Vellei. c.* 17. *lib.* 1.

TERTVLLIANVS.

Q. SEPTIMIVS FLORENS TERTVLL. Patre Centurione proconsulari, Carthaginiensis Presbyter, acris & vehementis ingenii sub Severo Principe, & Antonino Caracalla floruit: Cypriano sic amatus, ut absque eius lectione nunquam diem præterierit, ac crebro notario suo (cui Paulo *Concordiæ* nomen) dixerit: DA MAGISTRVM. *Ex Hieronymo in Catalogo Scriptor. Ecclesiasticorum.*

FLORENTIS cognomen à corporis habitu & modo videtur ductum. *Iun. in vit.*

Scientia eius incredibilis, res amentata acerrimè, verba ex intimo venerandæ antiquitatis penu eruta, copia & dignitate summa. *Franc. Iunius in præf. ad Notas suas in eum.*

Omni litterarum genere peritus, sed in loquendo parum facilis, & minus comtus, & multum obscurus. *Lactant. lib. V. Instit. c.* 1.

Certe præ illorum nautea, Tertullianus, mihi Terri TVLLIVS, & ROSA est. *Cl. Dausqueius* in eos qui dictionem Tertulliani carpunt, *Notis ad Basil. Seleuc. p.* 44.

Quis post Tertullianum inter sacros Scriptores doctior? ideoquè doctorum lima dignior. *Lips. epist. XLII. cent. I. misc.*

Eruditissimus & quantum patitur ætas illa & Patria Africa, eloquentissimus. *Dempster.*

Rerum uberrimus, sermonis sæpè innovator. *Eidem.*

Inculpatæ Latinitatis autor; judicio *Casauboni* quod repetit *Becman in manud. ad Ling. Lat. c. 2. f.*

Scriptorum quantum ad nos venit, eruditior nemo est, exque quo plura condiscere possis quam *Tertullianus.* Nullus in eo apex est non cum cura positus, ut quo pacto alii inopia, hic abundantia litterarum peccare nonnunquam videatur. *C. Barth. l. XIX. c. 1.*

Ecclesiæ Hominem *non* fuisse dicebat Augustinus, sed calore disputationis. *Rhenanus in admonit. de Tertull. dogmatis quibusdam.* Confer *Bisciolam l. 4. c. 5. Erasm l. 17 epist.*

THALES.

Primus Sapiens vocatus est, quo tempore Damasius Athenis princeps erat: sub quo *septem* quoque *Sapientes* appellati sunt, ut scribit Demetrius Phalereus ap. *Laërt. in vita p. 15.*

THEAGENES.

Quod esset stupidus ac garrulus more anserum, versipellis more vulpium, vulgari joco χηνναλώπηξ aut quod anseribus valdè delectaretur, ceu vulpes, q. d. Vulpanser, *Erasmus adag. p. 749.*

THEAGENES.

Athen. Capnus s. Fumus appellatus, quod multa promittens, nihil præstaret, & pauper cum esset, dives videri volebat, *Suid. Volat.*

THEANO.

Pythagoræ uxor; ut alii, Pythagoræ discipula & Brontini conjux.

τῆς Πυθαγορέιx σοφίας θυγάτηρ. hoc est. *Sapientiæ Pythagoricæ Filia* cognominata. *Laërt. lib. VIII. p. 594.*

Et in epistolis fœminæ addiris p. 877.

THEMISTIUS.

Cognomento Ἐυφραδὴς Euphrada, hoc est, *Eloquens,* seu, ut reddunt Suada.

Eius orationes disciplinæ regiæ, & sapientiæ thesaurum nuncupat *Dionysius Petavius, qui edidit Parisiis.*

Elegans & nitidus scriptor, non tantum doctus Philosophus. *Turneb. l. 12. c. 11.*

Spartiatas lancea indicat, humerus Pelopidas, eruditio Magnum Themistium. Nam quamvis omnibus rebus omnes superes, hoc tamen tuorum omnium maximè insigne esse scio &c. *Gregor. Nazianz. epist. 139.*

Præfectu-

Præfectura Prætorii Constantinop. defunctus, cætera Philosophus summus, Rhetor gravissimus. TVBA Paphlago. SVADA Græciæ, φιλοσοφορήτωρ. *Georgio Remo in frontispicio Editionis suæ.*

THEMISTOCLES.

Græcis quandoq; nuncupatus NAVMACHVS ex Navalis belli peritia præsigni. Nam & longiora paulò hastilia, quibus è navi depugnatur, vocantur naumacha.

Pericles, Miltiades, Cimon, Themistocles, 4. inter Græcos celeberrimi nominis Impp. gestarum rerum fulgore, per quandam exochen QVATVOR nuncupantur VIRI. *Rhodig. l. 14. c 12.*

THEOCRITVS.

Βουκόλος. i. BVBVLCVS dictus, sicut Homerus, *Poëta*. Bucolicorum Princeps. Scriptor cuius *Gratias* & *Veneres* nemo satis capit. *Dan. Heinsius in edit.*

THEODORETVS

Precibus Monachorum in Syria, de matre sterili in summo senio, non absque miraculo exoratus: Ipso statim nomine DEO dicatus: & Juvenis EPISCOPVS CYRENSIS consecratus. *Sectator magni Ioannis Chrysostomi*: cuius imitatione fluidus admodum & copiosus, & in elocutione facilis, & Atticam gravitatem redolens. *Ex vita.*

Clemens Alexandrinus, Cyrillus, Theodoretus, inter eloquentes summè docti, inter doctos summè eloquentes. *Caußinus lib. III Eloqu. c. 14.*

THEODORVS.

Ex Aristippi & Pyrrhonis schola cognomento ATHEOS dictus, *vid. tit.* DEVS *in Polymnemone nostro n. 287.*

THEODORVS.

Byzantius Sophista à Platone vocatus. LOGODÆDALVS, *Suid. Volat.*

THEODOSIVS.

Imp. Εὐσεβέστατος βασιλεὺς, i. *Rex piissimus*, ἀληθῶς ἐν θεοσεβείᾳ μέγας, i. verè in cultu DEI MAGNVS.

Synodico, φιλόχριστος *c. 74. 75.* Huic ferunt nomen, somno parentes monitos sacravisse, ut latinè intelligamus. *A Deo datum.*

Moribus & corpore fuit Traiano similis. *Aurel. epit. c. 48.*

THEOGNIS.

Alegarensis Siculus. Poeta vetus & Prudens. *Ammianus Marcell. libr. XXIX. cap. 5. f.*

Ipsam Theognidis poema nec caput, nec calcem suo loco agnoscit. Est enim perturbatissimum, Aristarchi alicuius opera ordini restituendum. *C. Barth. lib. XXIV. c. 9.*

Theognis vel Iſocrate judice neceſſarius. *Dempſter.*

THEOGNIS

Alius, poëta Tragicus, adeo frigidus, ut χιὼν, id eſt, Nix diceretur. *Suid.*

THEOPHILVS.

Magnificentiſſimus, Magiſter, leges ſeu jura in Regia urbe laudabiliter, & cum ſummis vigiliis, & ut *magiſteria* ſedulitate dignum eſt, docens. *Iuſtin. proœ. ff. §. 9.*

THEOPHRASTVS.

Sive Melanthi fullonis, ſive Leonis filius, ERESIVS, auditor Ariſtotelis, & ſcholæ Peripateticæ ſucceſſor, ab eo Chalcidem migrante relictus. Hic initio TYRTAMVS vocabatur: ſed ob divinam dictionem EVPHRASTVS à divinitate dicendi dictus eſt: Sicut *Plato* ab amplitudine ſermonis, cum ante ARISTOCLES vocaretur. *Suidas.*

Vir digniſſimus, qui eo ſeculo viveret, quod tulit Socratem, Platonem vidit. Ariſtotelem generi humano dedit. *Triumviros* conſtituendæ Philoſophiæ, ſine dubio divinitus excitatos. Quorum in ſinu & gremio cum fuerit educatus, nec dubium nec mirum eſt, eum ipſam ſcientiæ βαθύτητα eſſe conſecutum, eam ſcribendi facultatem adeptum, ut nihil unquam ab eo ſit profectum, quod non viſum ſit ſtudioſis ſapientiæ omnibus numeris perfectum. *Iſaac Caſaubon. epiſtola præfixa characteribus Theophraſteis.*

Magnus ille maximi Ariſtotelis diſcipulus. *Idem in proleg.*

Suavitate homo inſigni, linguæ pariter atque vitæ. *Agellius lib. XIII. c. 5.* ex quo cognoſces, quomodo illum *vino Lesbio* Ariſtoteles compararit, & Menedemo prætulerit.

M. TVLLIVS *delicias* eum ſuas appellitare ſuevit, *ut auctor eſt Plutarchus. Vide Ciceron. I. Academ. 19. & in Orat. c. 19.*

Divina vir eloquentia. *Scalig. lib I. poët. c. 13. p. 53.*

THERAMENES

Agnonis F. ob inconſtantiam, quodque modò harum modo illarum partium in rep. eſſet. COTHVRNVS dictus eſt. *Plut. in Nicia, p. 524* Hinc Ariſtophanes: ſubinde ſe convertere ad molliorem partem viri eſt ſolertis & natura THERAMENIS. *Vid.* SVIDAS.

Eandem ob cauſam *aulici* Theramenes & Cothurni dicuntur. *Budæo I. de aſſe.*

THESEVS.

Ob præclarè geſta ALTER HERCVLES vulgò nominatus. *Plutarch.*

THOMAS AQVINAS.

In ſcholis, condiſcipulis ridiculus erat, & BOS appellatus, quòd ſemper taceret, audiretque tantum: de quo audita vox cœlitus: hunc BOVEM mugitus quandoque per totum orbem editurum.

Circa

Circa extrema *Iesum flendo oravit, ut veniam tribueret scriptis*, si minus rectè scripta fuissent. *Volat.l.21.. Anthropol.*

THRACES

HIPPOMOLGI, quod lacte alantur equino. *Theodoret. Græcan. aff. curat. l. 5.*

THVANVS.

Iacobus Thuanus incomparabilis nostri temporis Historicus. *Rittershus. in Salv.*

THVCYDIDES.

Olori filius, qui non modo verborum vi & gravitate sed etiam accurata rerum descriptione inter omnes excellit historicos. *Aristides orat. I. Platon. p. 200. t. 3.*

Historiam IPSE suam esse voluit *κτῆμα ἐς ἀεὶ* h. e. *perpetuum monumentum. l. 1 p. 16.*

Vir & arte & orationum pulchritudine & accurata rerum notitia, & exercitus ductandi scientia pollens. *Marcellinus in vita.*

Post illum (Herodotum) Thucydides omneis dicendi artificio, mea quidem sententia, facilè vicit: qui ita est creber rerum frequentia, vt verborum propè numerum sententiarum numero consequatur: ita porrò verbis aptus & pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. *Cic. II. de Oratore c. 15.*

Rerum gestarum pronunciator sincerus & grandis. *in Bruto c. 33.*

Incitatior fertur & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum. *Id. Cic. in Orator. c. 12.*

Res nec multas nec magnas nimis scripsit, sed palmam fortasse præripit omnibus qui multas & magnas. Elocutione tota gravis & brevis, densus sententiis, sanus judiciis: occultè ubiquè instruens, actiones vitamque dirigens, orationibus & excursibus pœne divinus. *I. Lipsius in I. polit.*

Συγγραφεὺς nuncupatus, *κατὰ τὸ ἐξαίρετον*, sicut Homerus Poëta. *Cæl. Rhodig. l. 13. c. 19. quem vide.*

Ῥητορικῆς ἀστὴρ SIDVS RHETORICES. *Thomæ Scholastico, qui tria Rhet. sidera* numerat: *Demosthenem, Aristidem Thucyd.* ipse *καὶ Φιλαριστείδης καὶ Φιλοθουκυδίδης. lib. IV. Anthol. c. XXXI. epigr. 3.* Adde epigram. 67. l. V. Conquire, quicquid Demosthenes ille Orator etiam sua manu scripsit, deinde Thucydidis historiam, quæ *octies* huius Oratoris industria extat *descripta. Lucianus dialogo adversus indoctum p. 755. t. 2.*

In Thucydidis vestigiis oratorum ille princeps (Demosthenes) pedem sic posuit, ut quo exprimeret, quem ad imitandum proposuerat, promtius, *octies* manu sua transcripsisse Thucydidem auctor sit *Lucianus & Agathias Smyrnæus, Andr. Schottus declamat. Senecæ pr.*

Hinc *Orator Pæanienſis* dictus eſt *Olori filium devoraſſe. vid. Hadrian. Iun. lib. I. Animadv. c. 4.*

Xenophon Thucydidem adhuc latentem, & in ſua manu ne opprimeret (ô Candidam & ab omni æmulatione vacuam mentem!) primus ipſe protulit & divulgavit. *Lipſius in not ad I. Polit. c. 9.*

Quis mihi Herodoti ac Thucydidis otium linguamque ſuppeditabit, ut iſtius improbitatem futuro quoque tempori tradam? &c. *Gregor. Nazianz. orat. III. adverſus Iulianum p. 34.*

Tergemina Thucydidis gloria fuit. Nam ut de facundia viri nihil dicam, fuit & Philoſophus & Hiſtoricus, & bello Dux bonus. *Voß. I. de Hiſt. Gr. c. 5.*

Hiſtoricus verax, acer in concionibus. *Dempſterus.*

TIBERIVS.

Cl. Tiberius, inter cognomina & NERONIS aſſumpſit, quo ſignificatur lingua Sabina FORTIS ac ſtrenuus *Sueton. lib. 3. c. 1. f.* à jocularibus CALDIVS BIBERIVS MERO ob vinolentiam nominatus. *Diac. 7. miſcell. c. 22. & Suetonius.*

TIBVLLVS.

Albius Tibullus Eques Rom. Multorum iudicio principem inter Elegiographos obtinet locum. Obiit adoleſcens tempore Virgilii. *Vita.*

Inter tria lumina poëtices Romanæ, quæ *Ioſephus Scaliger cum Caſtigationib. recenſuit.*

Omnium cultiſſimus nec redundans in Elegia. *Iul. Scalig. in Hypercritico c. VII. p. 363.*

TIMÆVS

Siculus Tauromenita, Andromachi filius, ob ſcriptorum ſuorum futilitatem & vanitatem, γραοσυλλέκτρια, id eſt, ANVS COLLECTRIX eſt à veteribus appellatus: ob linguæ virus & maledicentiam quam in omnes exercuit; non *Timæus* ſed ἐπιτίμαιος i. OBTRECTATOR eſt appellatus. *Heſychius. Caſaubon. Not. ad Laert. p. 117.*

Al. Tymæus Locrus, Philoſophus Pythagoricus, Platoni æqualis, quemque Plato loquentem inducit. *vid. Suid.*

TIMON.

Μισάνθρωπος OSOR HOMINVM ſectam omnem averſabatur. Ἀνίδρυτος VAGABVNDVS, nullaſque firmas ſedes habens, Ἐριννύων ἀπορρὼξ FVRIARVM TRADVX & *propago*, ex Ariſtoph. *Suid.*

Scripſit *Sillos*, hoc eſt vituperationes Philoſophorum, inde SILLOGRAPHVS dictus. *ibid.*

TIMOTHÆVS.

Monachus Alexandrinus, qui Chalcedonenſem ſynodum anathemate notavit, eſt

est αἴλουρος ÆLVRVS, i. e. FELIS cognominatus, in *Synodico Græco c. 91. & 93. 97.* dicitur ad infernum migrasse. *c.101.*

TIRAQVELLVS.

Andreas Tiraquel. Fontenaius Burdigalensis, post Parisiensis Senator, vario litterarum genere excultus, Jurisconsultus celeberrimus: *æquè ingenij ut corporis numerosa fœcundus prole, cum singulis annis singulos libros ac liberos Reip. daret*, magno non solum in præsens patriæ suæ ornamento &c. Sed ad sempiternam Galliæ gloriam, quæ quod à Fontenaio accepit, in universum orbem Christianum, ubicunque doctrinarum splendor refulget, benigna dispensatione edidit. *Thuanus lib. XXI anno 1558. quo obijt p. 404.*

Diligentissimus, omniscius. *Dempster. in Casaub.*

TITIANVS.

Orator, quo usus est magistro Maximinus Junior, dictus est SIMIA sui temporis, quod cuncta imitatus esset, *Capitolin. in Maxim. Iun. c. 1.*

TITIVS.

S. Titius Orator, homo loquax & satis acutus, sed tamen solutus & mollis in gestu ut saltatio quædam nasceretur, cui saltationi TITIVS nomen esset, *Cic. Volat.*

TITVS

Generis humani DELITIÆ atque AMOR adpellatus, *Aurel. in Cæsar. c. X. & epit. X.*

Jucundissimus ut pater *maximus. Plin l. 1. præf.*

L. TORQVATVS. vide HORTENSIVS.

TRAIANVS.

Vlpius Traianus PATER PATRIÆ dictus. Justitiæ ac juris humani divinique tàm *repertor* novi, quàm inveterati *custos*. *Aurel. epit. c. 13.*

Hunc Constantinus HERBAM PARIETARIAM ob titulos multos ædibus inscriptos appellare est solitus *ibid. c. 41.*

PARTHICVS à Senatu appellatus, quod Parthos vicisset.

Idem OPTIMVS cognominatus. *Xiphilin.*

TRAPEZVNTIVS sic dici maluit, qui *Georgius Cretensis* conditis voluminibus Platonis vitia expendit plura, quo argumento CÆNOTIMON nuncupatus atque ERINNYS, à Bessarione insigniter proscissus *Rhod. l. 21. c. ult.*

TREBELLIVS vid. POLLIO.

TREBONIVS.

L. Trebonius, Trib. plebis cum Patres insectari & Il. suo libitu ferre videretur, ASPER cognominatus est. *Liv. dec. 3. l. 1.*

TREMEL-

TREMELLIVS.

Cum Quæstor in Macedonia relictus foret in castris, hostesque impressionem facerent, palam vociferatus est, se illos celeriter disjecturum, ut scrofa porcos, quod & fecit, & sibi cognomentum fecit, SCROFÆ. *Alex. l.* 1. *c.* 9. *Macrob.* 1. *Saturnal.* 6.

TRIBONIANVS

Homo absurdæ impietatis, &c. Abutuntur vero judicio suo, quibus mirum est Justinianum tam prolixe de eo sentire, cum ipsemet sit ille JVSTINIANVS. Eo magis DEI contemtor, quo maiora prœconia veritati dedit, qui tantopere illam abhorreret; Qui ergo aliis pietatem præscripsit, sibi ipsi de impietate sententiam dixit, sese pietatis regulis eximendo. &c. C. *Barth. libr.* II. *Adversar. c.* 17. Procopii, Suidæ, Hesychii in eum *elogia*, quære *sub tit.* JVRISPR. n. 2. & *Henric. Steph. in Hesych. p.* 79.

Justiniani judiciorum hoc unum: Tribonian. Illustrissimus nec non *prudentissimus Magister*, vir & in ipsis rerum experimentis, & in eloquentia, & in legibus scribendis satis spectatus, & qui nihil unquam nostrarum jussionum contemsit, in *Confir. ff.* §. 9.

TRISMEGISTVS vid. HERMES.

TRITHEMIVS

Vno omnes calopodio calceat, hoc est, iisdem æquat laudibus, quos laudat.

De eius magicis vanitatibus atque insidiis. *Tilem in disc. p.* 255.

TROGVS POMPEIVS. vid. JVSTINVS.

TVRNEBVS.

Adrianus Turnebus, Reipublicæ literariæ columen. *Morello in Philostrat.*

Vir in literis, non nisi paucissimis, comparabilis. C. *Barth.* XXVIII. *Advers. cap.* 20.

Summus harum litterarum conditor. *Eid. lib.* XXXVII. *c.* 4.

Inter doctissimos princeps. *Eid. lib.* XXXIX. *c.* 3.

Turnebus inclutæ LVX alta famæ. *Eid. l. Soliloq.* 2. *p.* 8.

Lux Criticorum. *Dempstero.*

Rex Criticorum. *Casaub. in Sueton.*

Qui Sophiæ & Charitum & Musarum est dulcis Alumnus
Qui nusquam cuiquam nocuit, qui profuit omni.
Quo disciplinarum interprete tota superbit
Gallia, ceu docto quondam Attica terra Platone.

Leodegarius à Quercu in eius Catarrhum, vid. & in obitum.

TYRVS.

Munitio muris *Es.* 23. *v.* 4, 14.

Coronaria

Coronaria cuius mercatores principes, cuius negotiatores honoratissimi terræ. *ib.v.*8.

TZETZES.

Ioan.Tz. Scriptor vanior stolidiorque (nemo qui legerit, dicet secus) quam antiquior. *Casaub. in Laert. Confer Voss. II. Hist. Gr. c.27.f.*

V.

VALERIANVS.

Huic cum Censor sumeretur acclamatum ab omnibus una voce: Valeriani vita *censura* est; ille de omnibus judicet, qui est omnibus melior &c. *Pollio in vita c.* 1.

VALERIANVS

Cæsar, CARPICI cognomen traxit à *carpo*, ob promptitudinem manuum in tractandis armis. *Al.l.*1.*c.*11.

L. VALERIVS.

Cum plebem in Patres concitatam mitigasset, POTITI nomen adeptus est. *Volaterr.*

M. VALERIVS.

Hic cum adversum ingentem Gallum provocatorem procederet, corvus ab ortu solis galeæ eius insedit, & inter pugnandum ora oculosque Galli verberavit, hoste devicto, Valerius dictus CORVINVS. *Aurel.c.*29. *Agell.*9.*c.*11.

MAXIMI nomen unde primum M. Valerio dictatori. *Vid. Cic. in Bruto cap.* 14.

Publ. VALERIVS

POPLICOLA dictus, quod legem de provocatione à magistratibus ad populum tulit. *Aurel. Victor. c.*15.

VALERIVS MAX.

Vt Ægyptus Homerica, bonis & malis mixtus est: in plerisq; enim est acutus & subtilis, quod maximè vult videri, in plerisque durus, subobscurus & ad plebeium sermonem abjectus, à puritate & candore Latini sermonis longius discedit. Est tamen in eo iucunda, tot historiarum quasi florum congesta varietas, & brevitas narrationum, acuminibus sententiarum, non rarò tam aptè aspersa, ut nihil videatur amœnius. *Caussin l.III. de Eloq. c.* 14.

Id quod duobus verbis *Ioseph. Scaliger.* enunciat:

VAL. MAX. Historicus, ineptus affectator sententiarum, quanquam non inutilis propter exempla. *Com. in Catalect ap.* 248.

Rerum varietate, eloquentiaquè incomparabilis, sola adulationis fœditate vilescens. *Dempsterus.*

Quovis adamante durior, quovis in orationis structura saxeto asperior. *Fr. Floridus quem & adducit. Erasm. adag p.* 73.

VALLA.

Laur. Valla Patritius Roman. & linguæ Latinæ adsertor.

Latinæ linguæ diligentissimus observator, elegantis, propriiq; sermonis mirus artifex. *Gybertus Longolius præf. elegantiarum.*

Calamitatem Latini sermonis deflentē graphicè *vide præf. l.1. elegantiarum.*

Vir certè tum latine doctissimus, tum vero alienorum scriptorum judex ut optimus, sic minimè ambitiosus, & *veritatis* amantissimus, id quod invidiosum nomen eius vulgò reddidit: ut jam publico consensu latinè ignorantium, tanquam iniquus judex ferè rejiciatur. *Bud. in Pand. Confer Iov. Pont. de sermone.l.1. Volat. l. 21. Anthropol. ubi hoc in ipsum Distichon.*

Ohe ut Valla silet, solitus qui parcere nulli est:
Si quæris quid agat, nunc quoq; mordet humum.

Vide Iovium in elogiis doct. p.17. & Alex ab Al.l.6. c.9. Cui doctus & confidens *l.1.c.18.*

Ab alio quodam malevolo CYMBALUM MUNDI dictus, ut APION, disticho: *Sunt duo Grammatici, qui sunt duo* CYMBALA MUNDI,
APPIO *verba sonat: Verbaq;* VALLA *sonat.*

Quod non sic in illis qui sine re dant sonum, tunc demonstrat, ubi res postulat.

VARRO

Sophista, à forma nasi ciconiæ comparis cognominatus; PELARGUS. *Alex. l. 2. c. 11.*

M. VARRO.

Quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit. *Lactant. l. 1. c 6.*

Terentius Varro vir ætate sua doctissimus. *Dionys. Halic. l.II. antiq. Rom. c.21.*

Varro Philosophus, Vir adcuratissimè doctus atq; eruditus. *Appul. in apol.*

Vir Romanorum eruditissimus. *F. Quintil. l.X.c.1.*

Peritissimus linguæ Latinæ, & omnis antiquitatis, & rerum Græcarum nostrarumque. *Ibid.*

Diligentissimus investigator antiquitatis. *Cic. in Bruto c. 56. Confer eundem Philipp. II. c. 41.*

Terentius Varro *humanæ vitæ exemplum, ætatisq; spatium* nominandus: non annis, quibus *seculi* tempus æquavit, quam stylo vivacior fuit. In eodem enim lectulo & Spiritus eius & egregiorum operum cursus extinctus est. *Val. M. l. VIII. c. 7. ex. 3.*

Quis Marco Varrone curiosius ista quæsivit? Quis invenit doctius? Quis consideravit attentius? Quis diligentius pleniusq; conscripsit? Qui tametsi minus est suavis eloquio, doctrina tamen atq; sententiis ita refertus est, ut in omni eruditione, quam nos secularem, illi autem liberalē vocant, *studiosum rerum* tantum iste doceat, quantum *studiosum verborum* Cicero delectat. *August. VI. C.D. c 2.*

Homo

Homo omnium facilè acutiſſimus, & ſine ulla dubitatione doctiſſimus. *Cic. ap. Aug. l. c. Vbi addit Vives:* Varronem etiam Viventem, cum multum valet Invidia, DOCTISSIMVM omnium TOGATORVM appellarunt, viventiq; quod nemini antea, *ſtatua* poſita eſt in Bibliotheca. Iſte vir tam inſignis excellentiáq; peritiæ, & quod de illo etiam Terentianus elegantiſſimo verſiculo breviter ait:

Vir doctiſſimus undecumquè Varro. (eſt in c. de Phaleuciis verſibus) qui tàm multa legit, ut aliquid ei ſcribere vacaſſe miremur: tam multa ſcripſit, quã multa vix quenquam legere potuiſſe credamus. *Auguſtin. l. c. Adde Petrum Diaconum de notis literar. Conrad. Imp. I.*

Hunc duodecimam annorum hebdomadam ingreſſum (h.e. annum 84.) Septuaginta hebdomadas librorum conſcripſiſſe (h.e. *libros* 490.) è quibus aliquot, cum proſcriptus eſſet, direptis Bibliothecis ſuis non comparuiſſe. *Agell. refert l. III. c. 10. f. ex ipſius Varronis I. Hebdomadum.*

Criticorum pater, in re ruſtica, in hiſtoriarum fragmentis in Lat. linguæ explicatione incomparabilis. *Dempſterus.*

ROMANVM CYNICVM, quod liberè quæ ſentiret, de diis loqueretur, vocat *Tertullian. c. 14. apol.*

Eum Palæmon, PORCVM dicebat; *vid. ſupra* PALÆMON.

Porcus ſanè fuit *litterarius*, quia nihil intactum reliquit, & ſplendidiſſimo omnium rerum adparatu unicuiquè animi famem explevit; Rationem comparationis *vide apud Zvvinger. vol. 3. l. 3. p. 681.*

VATICANA APPENDIX.

Proverbiorum Græcorum FARRAGO, è Vaticanâ Bibliothecâ ab Andrea Schotto, una cum Zenodoti, Diogeniani & *Suidæ* proverbiis, eruta & edita Antverpiæ.

VEGETIVS.

FLAVIVS *Veg. Renatus*, Vir Illuſtris, Comes, bellicæ diſciplinæ ſcriptor.

Scriptor non malus potius, quam bonus. *Lipſ. epiſt. XLI. Cent. I. ad Godeſchalcum Stevvechium editorem & commentatorem.*

Vegetus totus valenſq; ac priſtinæ integritati reſtitutus, & verè nunc primum RENATVS, prodiit opera *Petri Scriverij ex Officinâ Platinianâ.*

Diligens & doctus, & ut illa ferebant tempora, eloquens ſcriptor. *Dempſterus.*

VELLEIVS.

C. Vell. Paterculus. Explicator veteris hiſtoriæ luculentus & preſſus & efficax. *Aldus Manutius in Scholiis Grut. edit. adjectis.*

Compendium Velleianum laudabile fuit, ſed potior pars periit, judicio & ordine tamen ſcriptum: & quod exemplar pleniori Chronologiæ ſit ad imitandum. *Lipſius Cent. III. miſcell. epiſt. 61.*

Styli elegantis ſed pudendæ adulationis. *Dempſterus.*

VENANTIUS HONORIUS FORTUNATUS.

Pictaviorum Pontifex, Poëta mirifico & admirabili ingenio, temporibus & gentibus Eloquentiæ iniquissimis editus. *Casp. Barth. lib. V. c. 12. quem consule, ut & Gyrald.*

Ad hunc Fortunatum velut CALLIOPIUM quendam *Magistrum* & Coryphæum Musicorum modulantium respexit omnis sequentium Poetarum chorus. *Idem lib. XLVI. c.3.*

VENETUS.

M. PAULUS Ven. à doctis *fabulosus* existimatus fuit, at nunc compertus verissimus, ob navigationum observationem: ait *Iosephus Moletius in Commentar. ad I. Ptol. Geograph. c 5.* apud *Tilemann. in Disc. Phil. p.236.*

VETIUS EPAGATHUS.

Martyr Gallicanus, CHRISTIANORUM ADVOCATUS nuncupatus. *Euseb. l. 5.*

VESPASIANUS.

Sanctus omnia. *Aurel. in Cæsar. c.9.* Infirmus tamen uti quidam pravè putant, adversum pecuniam. *Vid. l. c.*

CUBIOSACTES hinc ab Alexandrinis dictus, *Sueton. l. VIII. c. 19. vid. adag. p.626.*

VESPUCIUS.

AMERICUS *Vesp. Florentinus*, terram illam, trans æquinoctialem lineam, quam à suo nomine AMERICAM dixit, exploravit. *v. Thuanum l.I. Histor. p. 4.*

VESSELUS.

Frisius, LUMEN MUNDI, ob excellentiam in omni scientiarum genere dictus. *Isaac Pontanus rep. Amstelod. c.28. p.236.*

VICTORIUS.

Petrus V. Instaurator non ultimus humanitatis. *C. Barth. in Rutil. p 186.*

Neminem arbitror meliori fide ac religione & diligentia in antiquorum scriptorum emendatione versatum esse, quam Victorium. Nam quandocunque uspiam hæret, ne antiquitati præscribat, veterem scripturam velut subscripta testatione repræsentat, & rem judicio hominum relinquit: in quo ea pudoris ingenuitate est, ut de existimatione malit amittere, quàm per fucum hominibus os sublinire, & dum famæ consulit, verum opprimere. *Turneb. l.19. c.28.*

VICTOR. v. AURELIUS.

VIDA.

M. HIERONYMUS. Vida, Cremonensis, Eò pervenit, quò sine Græcis, duce cumprimis Virgilio pervenire poëta potest, adeo ut à malevolis SURRIPERE nedum SUMERE dicatur, in nullo certè MARO magis deprehenditur. *Li. Gyrald. dial. I p.390.*

Univer-

Vniversum penè opus eius quasi Parodia sumpta atq; formata è Virgilianis. CENTO quasi quidam iudicari possit. Multa nihilominus divina sunt, atq; omni maiora obtrectatione. CHRISTIAS meretur summam laudem: non enim nisi à VIRO PIO atq; etiam OPTIMO proficisci illa potuêre. BOMBYX liber, rex est librorum Vidæ. *Scalig. in Hypercrit. p.* 804. 806.

VIGILANTIVS

Natione Gallus, præsul in Hispania, Hieronymo DORMITANTIVS, quod inter alia divitias præferret paupertati: *Gennadius. Volat.*

VIGILIUS.

Martyr. Egregius Scriptor, Sermonis, judicii & sanctitatis suo genere eximius. *Casp. Barth. lib. XIX. Adv. c.* 3.

DORMILIVS dictus ab iis, quibus vigilantiâ sua orthodoxa officere videtur.

VIRGILIUS.

PVBLIVS Virg. MARO.

Ab extremo miraculo nomen factum Vati, nam à Virgâ Virgilius, ad quam rem allusit Calvus:

Et vates cui Virga dedit memorabile nomen Lauren.

Alii populeam nominant. Siquidem (*ait Servius in vita Virg.*) virga populea, more regionis, in puerperiis, eodem statim loco depacta, ita brevi coaluit, ut multo ante satas populos adæquarit, &c. Poeta ipse videtur allusisse *Eclog. IV.*

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

Confer Rhodigin. l. VII. c. 4.

PARTHENIAS dictus à pudore, quod vita, ore & animo probatus. *Servius & Auson.* Ob verecundos & virginales mores, *ait Gyraldus de poët. hist. dial.* 4. *p.* 150.

POETA. *Senec. lib. VI. Nat. quæst. c.* 17. *&* 18. *August. IV. de Civit.*

ALTER HOMERVS, *Hieronymo epist. CLI. ad Alges. qv.* 10.

POETA SVBLIMIS, non *Homerus Alter*, ut Lucillius de *Ennio* suspicatur, sed PRIMVS HOMERVS apud Latinos. *Idem in Comment. in Mich. c. VII.*

Ἄλλος Ὅμηρος. *lib. V. Anthol. ep.* 74.

MANTVANVS HOMERVS. Macrobio.

De numero Vatum si quis seponat Homerum
PROXIMVS *à primo, tunc* MARO PRIMVS *erit*
Et si post primum MARO *seponatur Homerum*
Longe erit à primo quisq; secundus erit.

Ex illo Domitii Afri apud *Quintil. l. X. c.* 1. Qui Fabio interroganti, quem Homero crederet maximè accedere, secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo quam tertio.

PLATO POETARVM, Alexandro Severo Imp. qui eius imaginem cum Ciceronis simulachro in Larario habuit. *Lamprid. in eius vita* 31.

PLATONICVS POETA. *Cœl. Rhodig. l.* II. *&* X. Platonicus Maro. ibid.

SIDEREVS VATES *Columellæ lib. X. fine.*

ALTISONVS MARO. *Iuvenali Sat.* II. *& Auson. in Eidyll.* Cothurnatus, *Martiali.* Alteloquentissima eius Æneis. *Scalig. lib. IV. c.* 1. *p.* 443.

Vates suavissimus, Nitidissimus, Pulcerrimus, Splendidissimus. Dulcissimus, Politissimus. APOLLO ipsus cum pastor esset, iucundioribus aut teretioribus non cecinit numeris. Inest in eo phrasis regia, & ipsius Apollinis ore digna. Sic puto loqui Deorum proceres in consiliis cælestibus. Non si ipse Iupiter Poëta fiat, melius loquatur. *Scaliger in critico & passim.*

Homerici versus in terrâ, Virgiliani inter Musas à Phœbo facti videntur: ille *Græculus Circulator*, is Regiæ orationis Auctor. Virgilius MAGISTER est, Homerus DISCIPVLVS. Hic VERVS POËTA, ille Foraneus Narrator. Homerus moles quidem est, sed rudis & indigesta. Virgilius Matrona honesta. Idem.

Phœnix Poetarum. Idem.

Vnicus poëticæ SIRENOPHOENIX, Virgilius. Quibus (Cæsarem & Aristotelem ipsi jungit) ut ait de Bacchylide Pindarus, obstrepunt & obclangunt inepti Milvi, Corvi, Vultures, etiam Noctuæ atq; Vespertiliones. Illi verò οἷοι πέπνυνται τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι. *Scal. ex.* 194. *f.* 4.

Dulcis Virgilius LATINA SIREN.
Duplex Mœonides, triplex Apollo
VNVS OMNIA, *quæ ambiunt* POËTÆ:
O CYGNE, *ô Philomela*, VER LATINVM
MEL MERVM *Latij*, LATINÆ ATHENÆ.
O MONSTRVM *vitio carens. quid ergo?*
O cœlum sine nube, lux serena,
O Pontum sine fluctibus profundum. &c.
Idem in Heroib.

Αἰγύθρο͂ος κύκνος CANORVS CYGNVS dicitur V. *Anthol.* 74.

Quemadmodum Antonius apud Ciceronem de poetis, videntur ipsi alia lingua, quam Poetica, mihi usi.

Item, illius versus nemo mortalium æquare valet. *Scaliger.*

Vnum illum censeo scivisse, quid esset, non ineptire. *Ibid.*

Nusquam Musa Maronis mortale quicquam sonat. *Id.*

Cuius ingenium tantum omnes efferre debent, quàm imitari nulli possunt. *Munsterus apud Merulam Cosm. præf.* 2. *l.* 4. *c.* 35.

Optimus Philosophus. Cum Poësi jungit Philosophiam, excutit VIR ADMIRABILIS Philosophiæ penum. *Idem.*

Multæ

Multæ antiquitatis homo, sine ostentationis odio peritus. *Agell. lib. V. c. 12. & f. adde Macrob. lib. V. c. 13.*

Vir omnium Græcissimus. *Albericus Gentilis.*

Antiquitatis altissimus Gurges. *Hadr. Iun. I. Animadv. c. 9.*

Latini eloquii Magnus Auctor. *August. X. de Civit.*

Poëta magnus omniumq; Præclarissimus atq; optimus, *I. C. D. c. 3.*

Non minus Orator quam Poëta. *Macrob. l. V. c. 1. & 2.*

Quantum poësis ab Homero & Virgilio tantum fastigium accepit Eloquentia à Demosthene atq; Cicerone *Quintil. l. XII. c. 11.*

Decem Rhetorum, qui apud Athenas Atticas floruerunt, stylos inter se diversos permiscuit. *Macrob. l. d. c. 2.*

Cuius mentem tam Homeri credo, quam Virgilii anima constare, quorum uterq; ARCEM possedit MVSICÆ, te tertium ex *utroq; compositum* esse confirmans. *Ad Iulianum Consulem, Priscianus in præfat.*

Cum sextam illius Eclogam Cytheris meretrix recitaret in theatro, Cicero, spectator, stupefactus, auctorem inquisivisse, & eo cognito dixisse fertur & ad suam & ad illius laudem: MAGNÆ SPES ALTERA ROMÆ. *Servius in VI. Eclog.*

Tanto Romæ in pretio, ut prodeunti in publicum à populo acclamaretur, DELICIAS ROMÆ. *Auctore vitæ eius.*

Populus auditis in theatro Virgilii versibus, surrexit universus, & fortè præsentem spectantemq; Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum *Quintil. in dialogo de orat.*

D. Augustus Carmina Virgilii cremari, contra testamenti eius verecundiam vetuit: maiusq; ita Vati testimonium contigit, quam si ipse sua carmina probavisset. *Plinius l. VII. Nat. hist. c. 30.*

Hæc est Maronis gloria, ut nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur. *Macrob. I. Saturn. c. 24.* quod laudibus plenum.

Plura elogia vide sis *in Commentar. Ludovici de Lacerda.* Plures præcones apud C. *Barth. lib. LX. Advers. c. 3.* Item sub HOMER.

Inter VIRGILIOMASTIGES fuit PERO.

VIVES.

LVDOVICVS VIVES Hisp. quo decedente DOCTIOR Nemo in Hispania superfuit. Doctrinæ columen, decusque Vitæ. *Iovius in Elog. doct. Virorum p. 141.*

Vir longè eruditissimus & Præclatissimus Judicii. *C. Barth. l. X. c. 6.*

VLPIANVS.

Tyrius, doctissimus & discendi studio flagrantissimus κειτέκειτος nominatus: quod moris haberet, appositorum nihil comedere, πρὶν εἰπεῖν, κεῖται, ἢ οὐ κεῖται, καὶ πῦ κεῖται, antequam *omnium epularum nomina ubi exstarent, aut legerentur inquisivisset. Athenæus in argumento operis ex restitutione Casauboni.*

DOMITIVS VLPIANVS, Ictus.

Cerdibius Scævola, & Julius Paulus, & Domitius VLPIANVS CORIPHÆI legum prudentum. *l. Scire oportet XIII. §. 2. ff. de excusat. tit. 1. l. XXVII.*

Heliogabalus removit & Vlpianum Ictum ut *Bonum Virum. Lamprid. in Heliogab. c. XVI.*

E Scriniorum principibus & doctissimis jurisperitis primus Vlpianus. *Idem in Severo c. XV. & in Maximinis c. LXIIX.* sine quo nihil statuit Alex. Severus *ibid. c.* 31.

Juris auctor. *Aurelius de Cæsarib. c. XXIV.*

Scrinii Magister. Juris Conditor. *Histor. Misc. l. X. c.* 25.

ULYSSES.

Apud Lycophronem CORVVS d. ob longævitatem. *Rhod. l.* 20. *c.* 34.

VOLATERRANUS.

Rhaphael Vol. Vir infinitæ prope lectionis, quippe qui disciplinas omnes in ACERVVM (*Commentariorum urbanorum*) conjecerit VTILI potius in aliena desidia, quam ad explicatæ doctrinæ decus nobili opere: non multo enim cum sale, & sine ornamento Latinæ orationis, cuncta abstricto ordine ita digessit, ut alibi quærenda legentibus indicare videatur. Integritate vitæ Vir optimus. *Iovius in Elog. doct. Vir. p.* 131.

VOPISCVS.

FLAVIVS. *Vop. Syracusius*, Aureliani Imp. & aliorum vitas scripsit, ita quidem, ut melius scribere potuerit, se teste sub fine hist. Historicus illius ætatis optimus. *Dempsterus.*

VVLCATIVS GALLICANVS V. C.

Avidium Cassium descripsit.

VRBANVS.

VRBANVS III. Papa, quod pacem inter Ecclesiam & imperium turbare conaretur, dictus est à Germanis TVRBANVS. *Calvis. p. a. c.* 1185.

W.

WARNEFRIDVS.

PAVLLVS WARN. Longobardus. Historiæ Longobardicæ autor.

WOLFIVS.

HIERON. WOLFIVS Oetingensis, exacta linguæ Græcæ cognitione clarus. *Thuanus lib. LXXI. sub fin.*

WOWERIVS.

Ioannes Worverius Senator Antverpianus. Vir sagax & doctus. *C. Barth. lib. XXIV. Ad. c.* 7.

Cujus mores candidissimos tenerrimis manibus fecerunt finxeruntque Orchemenia numina: cuiusque eruditio & multiplex & ingens non modo suavi

suavi humanitate totam occupat Belgicam; sed & per totam erat exporrectura Europam, nisi eam propriè sibi applicasset Patria. *Ianus Gruterus in epistola præfat. ad orationes Politicas Dinarchi.*

X.

XENARCHVS.

Rhodius ob polyposian seu b bacitatem METRETES. *Rhodigin. l.24. c.6.*

XENOCRATES.

De quo dictum: Ὁ πάντα πάντη. h. e. Xenocrates Vir ille, qui VNVS *omnibus fuit Omnia. Laërt. lib. III. p. 262.*

XENOPHANES.

COLOPHONIVS, de quo Timon: *Ξεινοφάνη θ' ὑπάτυφον, Ὁμηρ(ο)απάτην ἐπικόπτην.*

Hoc est.

Xenophanem subacerbum & HOMERI *nobile*
FLAGRVM. *Laert lib. IX. p. 639.*

XENOPHON.

Grylli filius, Philosophus, Atheniensis. Primus Philosophorum scripsit historiam: Vir cum in cæteris præstans ac bonus, tum equorum venationisque ac disciplinæ militaris inprimis studiosus: Religiosus præterea, & sacrificiis intentus. MVSA ATTICA. *Suidæ: & in Antholog. lib. V. epigram. 70.*

APIS ATTICA à dulcedine Eloquentiæ & incredibili facilitate. Imitator Socratis accuratissimus, quemadmodum illius *Onesicritus*, qui tamen ita differt à Xenophont. ut exemplum ab exemplari: neq; enim præstantiam eius assecutus est. *Laert l. II. p. 125. & Suidas.*

Xenophontis sermo melle dulcior. *Cic. in Orat. c. 11.*

Cuius voce MVSAS quasi locutas ferunt. *Ibid. c. 19.*

Molle & Xenophonteum orationis genus. *in Bruto. Confer eundem in Cat. Maiore c. 17. p.*

In rebus gerendis facilè præstantissimus Dux, quiq; præeundo exemplis Duces & Imperatores exercitus genuit. Neq; verò Magnus ille Alexander, *Magni* cognomen adeptus fuisset, nî Xenophon virorum fortium res etiam perfunctoriè & quasi aliud agentibus factitatas, memoriæ ac litteris prodendas esse monuisset. *Eunapius in procem.*

P. Cornelium *Africanum*, nunquam Xenophontis libros de manibus deponere solitum fuisse accepimus. *L. Lucullum Imperatorem* summum, adversus Mithridatem missum, cum rudis & prorsus artis Imperatoriæ imperitus esset, Xenophontis lectione tantum profecisse, *testis est Cicero*, ut de hoste omnium callidissimo, ac inprimis strenuo, multas clarissimas victorias reportarit.

Cyrus à Xenophonte non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem iusti

Imperii. *Cic. ad Q. Fratr. l.* 1. *ep'st.* 1. *c.* 8. Confer Procopium *Orat. l. de ædific. in præf. Lipsium in Not. ad l. Polit. c.* 9. *Tileman. in Disc. Philol p.* 159.

Doctor Imperatoriæ artis. *Waremundo de fœderibus p.* 13. *f.*

Stylo sublimi, dictione candida. *Dempsterus.* vid. LYCVRG. & ARRIANVS.

Xenophon ἀγελ⊙ κυβευτὴς i. ALEATOR, aleæ insigniter deditus. *Menandro.*

XIPHILINVS

JOAN. *Xiphil. Monachus.* Correptor Dionis Nicæi, quem in Epitomen contraxit.

Ea interpretamenta & notis vulgata à Friderico Sylburgio.

Z.

ZACHARIAS.

Ille summi Sacerdotii splendor, Pater vocis, genitor clamoris obmutuit. *Chrysol. f.* 86. *ubi plura.*

ZENO

Criticus Stoicæ disciplinæ auctor. ÆGYPTIVS PALMES dictus, ob corporis atri gracilem proceritatem. *Laert. lib. VII. pr.*

Tantæ apud Athenienf. autoritatis, ut urbis ac mœnium apud illum claves deponerent, coronaque aurea & ærea imagine honorarent. *Ibid. p.* 438.

Vitam suam verbis, ac doctrinæ suæ consentaneum exemplar nobis proposuit. *Athenienses in decreto suo p.* 441. *ibid.*

σεμνὸς καὶ ὑψηλολόγ⊙ i. e. *Severus*, sublimia sapiens ac proloqueus. *Themistius in Gratiarum actione. pr.* V. STOICI,

ZENO

Veronensium Antistes, CHRISTIANVS quidam APPVLEIVS, adeò eruditus est & densus in significandis per pauca multis. Nobilissimus Auctor. *Casp. Barth. l. XLIII. c.* 10.

ZENOBIVS

Sophista Romæ, qui sub Cæsare Adriano docuit æqualis Phlegonti. Eius sunt proverbia ex Tarrhæo ac Didymo exscripta: *Suid. Gerh. Vossius de Histor. Gr. lib. II. c.* 11. *Ab Andrea Schotto edita*, qui & XENODOTVM notat appellari *præfat. ad Lector.*

ZOPYRVS

Profitebatur se hominum mores, naturasque, oculis, vultu, fronte pernoscere, dictus ob id PHYSIOGNOMON, qui cum turpia quædam & à virtute aliena de Socrate dixisset, ac à multis idcirco derideretur: Non errat, (Socrates respondit) ZOPYRVS, huiusmodi enim natura essem, nisi naturam philosophia superassem.

ZORO-

ZOROASTES

PERSOMEDES cognominatus, Persarum Magister & Magicæ inventor. Locatur in Anno mundi 3400. à Frisio. *Vid. Plin.*

ZOROASTRES.

Dictus q. ζῶον ἄςρον, quod uti VIVENS ASTRVM ab omnibus coleretur: aut quod quasi fulmine in cœlum esset elevatus.

Cham Noë filium à patre maledictum hunc esse putant nonnulli, Mesraim Chami filium, *Gen.* 10.6. dictumq; q. ἀςροθύτην i. ASTRORVM SACERDOTEM. *Ioan. Frisius.*

ZOSIMVS.

Comes & Exadvocatus fisci, vixit tempore Theodosii junioris, ut ex *Evagrio Scholastico constat lib. III. Eccles. Hist. c.* 41. Reliquit Historiæ libros sex. *Io. Leunclavio interprete & Frid. Sylburgio recensore, editos. tom. III. Hist. Rom.*

ZOILVS.

Amphipolitanus, cognomento HOMERO-MASTIX, quod Homerum derideret. Quapropter Olympiæ spectatores ipsum persecuti, de Scyroniis saxis deturbarunt. Fuit autem orator & Philosophus, scripsit tamen etiam quædam Grammatica contra Homeri poesin, contraq; Isocratem Oratorem. *Suidas.*

Imò Homeri flagellare est solitus effigiem. *Galen. I. Therap.*

Polycratis fuit Auditor, eius qui & accusationem scripsit contra Socratem. Neque Zoilus stylum modo in Homerum, sed & Platonem aliosque strinxit: causam rogatus, se, *quod malè facere non liceret, malè loqui*, respondit: dictus inde κύων ῥητορικός. i. e. CANIS RHETORICVS.

Ælianus, cui φλογερὸς κακοδαίμων FLAMMEVS CACODÆMON, *l. XI. c.* 10. *ubi eius effigiem pingit.*

Non enim hoc recens nomen: est apud *Martialem*, est & nomen TVTORIS apud *Livium*, & ORATORIS apud *Strabonem*, & apud *Vitruvium* CALVMNIATORIS Homerici: inquit *Domitius in II. epigr.* 42. *p.* 160.

Et propter hunc, nomen sane exosum ubiq; *t. Ovid.* 1. *Remed. v.* 365.

Ingenio Magni livor detrectat HOMERI.
Quisquis es, ex illo, ZOILE, *nomen habes:*

Omnibusq; peius pessimis, ut cui tanquam fascino avertendò, votis opus judicetur & execrationibus. Ex his partim aliorum, nostra partim & seminostra, *Zoile, ni grave sit, lege & hinc te noscere disce.*

Pellunt Zoile, fascinos coralli,
Et fel lucifugæ mellis, jecurq;
Insertumq; sacrâ monile conchâ,
Et bacchar niveæ impedita fronti.

Et rerum numerum & tacere nomen;
Sunt qui se cruce muniant salubri.
Sed quid, Zoile, fascinationes
Et venena tui repellet oris?
Spes est in cruce si tuam viderem.

Martialis Monerij Lemonicis fin. epigrammat.

In Cognomentum.

Adlabas, rabidoq; miser nos dente lacessis,
Quiq; aliquid scribunt, hos nihil esse putas.
Dentibus auctores & cum corroseris omnes
Ipse nihil scribis, nunc potes esse aliquid.
Invidiam hanc veteres quondam dixere *Caninam*
Cum noceas aliis, nec tibi proficias.
Nil ego sum fateor; tu qui mordesq; latrasq;,
Esse aliquid jam te dico; quid ergo? CANEM.

Iacobi Paschasii Lotharingi lib. IV. epigr.

In responsum eius.

Omnia quod rodis, quod mordes dente canino,
Quis te non rabidum dixerit esse CANEM?
Sed quia nulla facis cum sanguine vulnera, non es
Re CANIS, ignavus nomine sed CYNICVS.

Hieronymi Arconati Silesii.

In responsum eius & præcipitium,
Athenienses.

Zoile ni cesses malè sic facere & male fari
De nostris iterum præcipitère petris.

Auctoris.

In Os eius & linguam.

Pestis, flamma, fretum, tria sunt mala, Zoile: verùm
Tu tribus his gestas peius in ore malum.

Nicolai Borbonii Vandoperani, prima voce mutatum.

Pindum solus habes & solus, Zoile, Musas,
Et cor solus habes, solus & ingenium.
Omnia solus habes: hoc non puto posse negari:
Linguam tu sed habes, Zoile, cum CANIBVS:

Factum ad Martial. ep. 26. l. III. ab Auctore.

Non opus est nostros ut rodas, Zoile, libros.
Ipse ego quos toties rodo, vocoq; malos,
Quos toties NIHIL esse puto, servire palato
Si vis, ne rodas Zoile, rosa prius.

Hieronymi

Hieronymi Arconati, una dictione supposita.

Hic nihil ingenii, nihil artis, nilq; laboris?
Zoile clamabis, prætereaq; nihil.
Sic est: ingenium tibi soli est, arsq; laborq;
Zoile, quod rodas, hic erit ergo NIHIL.

Auctoris.

Eiusdem ad quemvis anagnosten.

Quisquis es, hoc unum mihi da: prodesse JUVENTÆ:
Omnia concedam, Lector amice, tibi.
Usq; minus pigeat, teneræ prodesse juventæ,
Fortè quod est hominis, fer, tege, corrige homo.

MISCELLANEA ONOMATOLOGICA.

Ad elucidationem EPONYMOLOGII *plurimum facientia.*

ALEXANDRI ab ALEXANDRO Genialium Dierum Lib. I. Cap. 9.

Pleraq; veterum Romanorum cognomenta, quibus de caussis indita & denominata fuerint.

Verum profecto est, id quod à multis traditur, veteres illos non infimæ plebis homines quorum bona fortiq; opera populus Rom. usus fuit, *ex re rusticâ*, in qua multum diuq; versati fuerant, clari nominis cognomenta sumpsisse. Ex qua re conjectari licet, fortes illos atq; acri ingenio viros, quicquid à reipublicæ muneribus otio & laxamenti habebant, id plerumq; in exercendis agris & colendis frugibus ponere consuevisse, neq; sementes terræ jacere, neq; vites amputare, aut agros stercorare vel irrigare, fastidio unquam duxisse: quæ nunc probro ducimus, dedecoriq; & turpitudini damus. [a] Eiusmodi fuisse PISONES, quod in pinsendo frumento longo usu fuerant exerciti, vel à piso legumine: hi enim [b] GALPHURNIORUM prosapia à Numa originem duxisse feruntur. [c] CICERONES & LENTULI, alteri ob ciceres, alteri ob lentes eximiè cultas, generosum familiæ nomen invenere. [d] FABIOS quoq; à satione fabarum sunt qui autument denominatos: [e] Tametsi ab Hercule prognatos, & à *fovea* dictos non nulli ferant. Sicut [f] ANTONIORUM familia, quæ Romæ imperitavit, *Antonem Herculis* prognatum autorem stirpis nuncupat [g] LACTUCINI, quod lactucas

colerent, & [h] HORTENSII quod Hortorum ſtudio tenerentur. [i] STOLONES quoq; à pampinatione & cura arborũ, quod curarent, ne frutices quos ſtolones vocãt, ad caudices arborum naſcerentur, nobilia cognomenta invenere: ex quâ familia Licinius ille *Stolo* [k] primus de plebe conſul, quia filium emancipando, fraudem legi fecerat, quâ vetabatur ultra quinquaginta agri jugera poſſidere, ſuâ lege damnatus eſt. PILVMNOS, [m] quod pilum conterendo frumento idoneum commenti ſunt, dictos accepimus. Et [n] SERRANOS, quod agros ſererent, vel quod ſerenti fuerat delatus honos. [o] Cuius familiæ proprium erat, fœminas nullo tempore lineâ veſte uti, ſicut [p] CETHEGIS diſtincto amictu, & exerto brachio incedere: & FLAMINIIS, niſi ſacrorum cauſſa è ſuâ domo ignem efferri. [r] SVILLI vero, [ſ] BVBVLCI, [t] BVPECII, [u] CAPRARII, & [x] PORCII, [y] OVINII quoque, [z] CAPRILII, EQVITII, & [a] TAVRI, *à pecudibus & armentis* cognomenta familiæ tulere: ex quibus claros illuſtreſq; viros militiæ domiq; multos fuiſſe, fama vulgavit. Rurſus [b] *ex corporis vitio*, aut membri jactura magis quam honeſtamento plures dicti cognominatiq; ſunt, quos recenſere, & breviperſtringere, de quibus meminiſſe potuimus, non pigebit. [c] STRABONES, PÆTI, [d] & COECI [e] *ex oculorum* vitio cognomenta invenere: tametſi [f] pætos habere oculos laudi plerumq; datum ſit. Sunc enim ad laſciviam proniores. Sicut [g] LICINII & [h] LIMI alteri quod parvis ocellis naſcerentur: alteri quod limis oculis intuerentur. [i] HORATIO illi qui Thuſcorum copias detinuit ſolus, quod alterum in bello amiſit oculum, *Coclitis* nomen fuit: quamvis quod eſſet unoculus. *Cyclopem*, mox lapſâ conſuetudine pro Cyclope Coclitem appellatum ferant. A ſimis vero *naribus* vel repandis, [k] SILOS & [l] *SIMOS*: *à ſuperciliis* [m] SILONES: *à labiorum* magnitudine [n] CHILONES & [o] LABEONES: à naſo [p] NASONES: ab *auribus* mobilibus [q] FLACCOS: à capite [r] CAPITONES, *à fronte* [ſ] FRONTONES, dictos accepimus: ſicut à *colore* [t] BVRROS, [u] NIGROS, [x] RVFOS [y] AQVILIOS & [z] RVTILIOS. Dixere autem Silos, naribus ſurſum verſus repandis: Silones vero, qui præeminenti ſupercilio forent. [a] GALBAS quoq; à colore galbulæ avis credunt denominari. Eſt enim paſſeris genus luteis pennis, tametſi à galbeo indumento aliqui dictos aſſeverent. Et [b] LAPPAS, ab inculto capite, & [c] SVRAS à ſurarum nervoſitate, & [d] HALAS, à fœdo oris halitu: [e] Coſſoſq; quod rugoſi corporis forent: ſunt enim vermes ſeu teredines, quos in vetuſtis lignis cum cariem cariem contraxere, genitos inſpicimus. Sicut [f] *Ænobarbos* ab æris ſimillimo capillo multos dictos volunt. [g] C. Mutius vir clarus genere factiſq;, cum Porſennam gladio impeteret, quod ſcribam pro rege obtruncarat, à clade dextræ manus, quam ſibi ad ignem deflagravit, *Scævolæ* nomen tulit. Inde [h] cognomentum Scævolæ multis Romæ factum eſt. Scævum enim græcè lævum deſignat. [i] PLAVTOS etiam & [k] PLOTOS, quod ſupra modum pedibus planis eſſent. [l] PLANCIS vero & [m] PANSIS à vola pedum pariter id nominis fuit; cuius familiæ numeratur [n] NVMATIVS PLANCVS, vir prætorius & conſularis, qui ſub diſciplina Ciceronis evaſit orator ſummus. Sic [o] VALGI, [p] VARI, [q] VATIÆ, [r] VATINII & [ſ] SCAVRI quod varias haberent ſuras, aut crura pedum intorta.

intorta, vel quod talis prominentioribus forent. In Scauris enim adnumerantur præcipuæ nobilitatis viri quorum familiam in [t] SCAVRO MAMERCO, qui majestatis reus caussam dixit, extinctam fuisse volunt.

Ex METELLIS uni, quod frontem vitta ligatus ambularet, [u] VITTATO: alteri quod funebres ludos & visceratiomem sine mora exolvendos curavit, [x] CELERI nomen datum: tertius, quod à Furio tribuno patris reditum exoravit, [y] PIVS cognominatus est. [z] FALCONVM, quod pollices pedum introrsus curvatos Falconis instar haberent.

Et [a] SEDIGITI, quod senis plerumq; digitis: & [b] IVDITANI quod malleo simili capite nascerentur, cognomen gentilitiæ stirpis invenere. Tudites enim mallei, à tundendo dicti sunt. Sic [c] MALICI & [d] BRONCI, alteri quod magnis malis, & buccis tumidioribus essent: alteri quod ore sine labiis nascerentur. [e] CAPELLAS quoq; à capillorum hirsutie dictos volunt. Et [f] CENESTELLAS, à calvitie: [g] COLVMELLAS à proceritate: [h] ARVINAS, à pinguedine: [i] NASICAS ab adunco naso: & [k] MAMMULAS quasi papillosos ab ipsâ re denominatos ferunt. [l] LECCÆ, quod inexhausta libido & obscœnus amor, gentilitium nomen dedit. Quin etiam *ex variis fortunæ casibus* multos clara nomina sumsisse invenimus. Valerio tribuno militum, cum ad singulare certamen à Gallo provocatus descendisset, quod pugnanti in galea corvus insedisset, [m] CORVINI nomen factum. Et T. Manlius, quod prævalidum hostem comminus trucidasset, exuviasq; hosti torquem detraxisset, [n] TORQVATI nomen assumpsit.

[o] DRVSO quoq; à duce Druso pugna singulari victo, clarum familiæ nomen datum. Rursus [p] BVTEONES dicti, quod autori familiæ cum classi præfectus à portu solveret, Buteo avis felici omine insedit, quo augurio insignem de hoste victoriam tulit. Ea enim [q] TRIORCHES, quod tres habeat testes, nuncupatur. Et [r] LÆNATOS quod eo vestis genere utebantur, [s] quæ χλαῖναι dictæ. Quorum M. [t] POPILIVS LÆNAS princeps familiæ fuit, qui consul & flamen cum lænam indutus sacrum faceret, orto patrum & plebis tumultu, ut erat amictus, in forum processit; magnificâq; oratione seditionem compressit, & rixam sedavit. Livio [u] SALINATORI, quod in censura ex salaria annona novum vectigal statuisset, *sal* cognomentum dedit. Ex Sabinis vero [x] CLAVDIOS, ab autore Appio Clauso gentis principe, qui cum multitudine clientum Romam commigravit, deductos ferunt: [y] ex quâ familia multi insignes nobilitate & honoribus, contra furores tribunitios, pro patribus perpetui defensores extitere. Huius generis [z] Appius CAVDEX cognomento fuit, quod primus classem extra Italiam duxerat, & navali prælio pugnare docuerat. Dixere autem *caudicem* lignorum acervum compactum & conglutinatum, unde & codices. [a] Ea autem APPIORUM familia ab *apii* corona, quam L. Appius in Acchaia ludis Nemæis meruit, originem duxisse fertur, qui postea [b] NERONIS dixere nomen, quod Sabina linguâ fortem designavit & strenuum: ex qua [c] nonnulli patritii, alii plebeja Marcellorum, patritia vero Pulchrorum fuit.

[d] AVRELIOS quoq; ex Sabinis, quod publicè his Romę locus datus foret, ubi Soli sacra facerent, à Sole nuncupatos ferunt, proq; Auseliis Aurelii dicti, sicut Valesii, Fusii & Papisii quonnam nunc [e] Valerii, Furii, & Papyrii, R primum litera inventa. Is enim Claudius Centinianus, seu [f] Centimanus fuit, qui librum in jure Civili conscripsit, & primus R, literam dedit Papyrius, à pedum pernicitate, quâ victor omnium suæ ætatis æqualium fuit. [g] CVRSORIS nomen accepit: alteri, ob loquendi tacendiq; in ætate prætextata prudentiam. [h] PRÆTEXTATI nomen datum. Præter hos [i] CATI, qui & [k] CORCVLI, quod usu & sapientia * præstarent: nam catum [l] *Sabini* acutum dixere. Et [m] CVRIONES à curis quibus macilentiores erant, denominati sunt. [n] Ex quâ gente tres præcipui oratores, lumen totius senatus atq; imperii fuere. [o] DENTATOS quoq; quod solido osse vice dentium armarentur, dictos putant, quomodo [p] PRVSIÆ regis Bithyniæ filius fuisse fertur. [q] Quanquam pleriq; alitèr sentiant, autorem scilicet gentis, cum primum in lucem editus fuit, dente nato prodiisse: Sicut de [r] M. CVRIO & M. Carbone traditur. Rursus [s] CLODII & [t] CLVENTII à Cloante, [u] & Memmii à Mnesteo, à [x] Sergesto autem SERGII, sunt à Naute [y] NAVTII, & [z] *Geganij* à Gia, Troianis ducibus, qui Æneæ comites post eversum Ilium, huc applicuere, illis progenitoribus gloriantur. Fuitq; [a] proprium NAVTIORVM familiæ, ut Sacerdotes Palladis fierent, & sacra tractarent, quod princeps familiæ Palladium Romam attulisse ferebatur. Sic [b] MANILIOS à Manilia Telegoni filia, quam Thusculi genuit, & [c] COECILIOS à Cæculo Prænestis conditore. Et [d] LAMIOS à Læmo, qui Formiis imperavit, & [e] CALPHVRNIOS à Calpho Numæ Regis filio oriundos ferunt. [f] Quatuor enim Numa filios genuit, qui omnes honestarum familiarum nomina dedere: Calphum ex quo Calphurnios: Pomponem unde Pomponios; à Pino autem Pinarios & ex Mamerco MAMERCOS fluxisse putant. Calphurniorum familiam illustrasse dicitur L. [g] Calphurnius PISO FRVGI, qui tribunus plebis repetundarum legem tulit primus & promulgavit. [h] Æmylia gens, Mamercum Pythagoreum autorem suæ stirpis nuncupat: cui propter eximiam humanitatem quodq; animo esset æquissimo, cognomen *Æmilios* inditum ferunt: Sicut à lepóre [i] LEPIDI, & [k] CICVRII mansueti appellati. Scipio [l] NASICA à maioribus naribus, & ob morum temperantiam CORCVLVM. Contra vero [m] TREBONIVS, quod esset ingenio impotens, & moribus difficilimis, ASPER dictus est.

Sic [n] COTÆ ab ira & oris torvitate, quod acres forent & vehementes. Et [o] INSANI quod natura intractabiles: atq; [p] MASSÆ, quasi fures, & [q] LAMIÆ. quasi voraces, cognomenta invenere. *Fabius* vero MAXIMVS ex morum clementia & quod nihil illo esset placidius, [r] OVICVLÆ: idem quod Hannibalem mora fregit, [f] CVNCTATORIS, & à verruca in labiis, [t] *Verrucosi* nomen accepit. Est enim [u] verruca, præminens caro seu tuberculum. Alter quoniam sordidæ intemperantiæ foret, & profusâ largitione patrimonium prodegerat, [x] GVRGITIS, sicut [y] NEPOTES, qui attritis facultatibus vino, alea & scortis. patrimonium

exhausere,

exhausere, appellati. Tertius: quod salutis ædem pinxit, [z] PICTORIS. Alius [a] AMBVSTVS [b] cuius filia Licinio Stoloni nupserat. [c] Ex qua familia, quod nulli contigit, uno velut tenore tres principes senatus fuere, Fabius scilicet Ambustus [d] Rutilianus, & Gurges, præcellenti ingenio viri. [e] Is autem Ambustus quod adolescens ictus fulmine deflagravit: idemq; PVLLVS, postea [f] RVLLVS nominatus. Fuit quoq; Fabius cognomento VENOX, [g] qui censor cum Appio Claudio ob inquisitas aquæ venas, Venocis nomen accepit. Et alter Rutilianus, cui primum [h] ob virtutem *Maximi* cognomen datum, qui [i] magister equitum à Papyrio dictatore penè securi percussus est. [k] Duos enim Maximos populus Romanus præcipue cognominavit, VALERIVM qui plebem patribus conciliavit, & hunc Rutilianum: post quem [l] Pompeius, astipulante Sylla, Magni nomen recepit. Nec me præterit, [m] CÆSONES, quod cæso matris utero in lucem prodiissent, sicut [n] Cæsares, quod est Juliorum familiæ cognomentum, vel quod cum cæsarie nascerentur, seu quod avus C. Cæsaris elephantem occiderat, qui Punica lingua *Cæsar* dicitur, nomina invenisse: cuius familiæ proprium dicunt fuisse, ut sacra Apollinis curæ habeant, eiusq; ministri fiant. [o] IVLOS vero, à primâ barbæ lanugine plerique dictos autumant: ἴουλον enim Græci primam in mento dixere lanuginem, & [q] AGRIPPAS quod contra nascentium legem pedibus prius ex utero emersis, nati essent, quasi ægrè partos nuncupari, quod omen infelicitatis fuit: [r] sunt qui ex utero haud magno negotio & proniori partu effusus foret, felix augurium affert. Et [f] VOPISCOS cum ex gemellis uno defuncto alter superviveret: & [t] PROCVLOS, qui foris agente patre: ac [u] POSTHVMOS, qui post patris obitum nati essent: & [x] CORDVM qui sero & postremus: atque [y] OPITER, qui patre mortuo, avo vivo editi forent, dictos existimarunt. Cornelius qui [z] SCIPIONVM nomen propagavit, quod patrem lumine orbum, pro baculo regeret, velut hastili nixum, Scipio fuit appellatus.

Et [a] CINCINNATVS, quod esset capillo incompto: & [b] ROSCIVS quod exactæ virtutis & consummatissimus foret. Cum enim Roscius Gallus histrio nulli secundus supra omnem memoriam absolutissimè mimum ageret, sicut [c] Pollus apud Græcos, si quem virtute præcipuum & artibus præcellentem videbant, Roscium hoc est, miræ & perfectæ probitatis nuncupabant. Sic PISO, quod in omni re commodus foret, utilis & fructuosus, [d] FRVGI est cognominatus. [e] SCROFÆ vero & [f] ASINÆ unde sint cognomenta vulgo proditum est: siquidem alter cum vades daret, asinam onustam auro in forum duxit: alter supposita uxore puerpera, quam depeculatus fuerat, scrofam se non habere mentitus fuit: seu quod [g] VARRO tradit, qui primus genti nomen propagavit, cum quæstor in Macedonia relictus foret in castris, hostesq; impressionem facerent, palam vociferatus est, celeriter se illos *ut scrofa porcos*, disiecturum, quod & fecit: unde nomen assequi meruit.

Proditumque memoriæ est, Cornelium Rufum, quod ex præscripto li-

 brorum

brorum Sibyllinorum ludos fecerat, *Sibyllam* primo, mox annis intercedentibus [h] *Syllam* appellatum, posteris nomen propagasse. Et militem, quod fronde coronatus, militaria gessit facinora, [i] FRONDICII nomen dedisse. Sed jam longius evecti sumus, quam statueramus. Itaq; ne longius legentes fatigemus, neve pluribus moremur studiosos de his hactenus dixisse satis sit. Hoc quoq; non fuerit ab re meminisse, pleraque cognomenta Romanis ex *piscibus* fuisse indita. Nam [k] MVRENAS & [l] ORATAS, vel quod piscium eius generis vivaria quàm amplissima haberent magno fœnore, vel quod eo edulio præcipuo vescerentur, plerique dictos volunt. [m] Tametsi MVRÆNAM à nervoso corpore, sicut [n] NERVAM à fortitudine multi denominari dicant. [o] Fœminasq; Romanas duo tantum nomina fere, matres vero tria, sæpius quatuor, prænomen, cognomen, agnomen & nomen, idq; nobilitatem generis monstrare: quodque Prarenter mulieres prænominibus utebantur, mares verò frequentissimè. Namq; cognomen & agnomen mulieri non dabatur. Quod nobis, cum frequenti lectione id observaremus, ita esse propemodum visum fuit.

ANNOTATIONES in cap. IX.

TIRAQVELLI.

[a] *Plinius l.* 18. *c.*3. *& vid. seq. annot.*

[b] Vt scribit in eo *Plutarchus*, qui tamen Calphum appellat Numæ filium, sicuti *Pompeius Festus l b.*3 Sed quod hic dicit Pisones à Calphurniis Numæ Pompilii posteris cognomen traxisse, id probat Horat. in lib. de arte Poëtic. ad Pisones:

Vos ô Pompilius sanguis.

Quo in loco *Acron & Porphyrion* interpretes tradunt, Pisones à Pompilio descendisse: nam Calpus filius erat Numæ Pompilii à quo Calpurnii Pisones nomen traxerunt.

[c] De prioribus *Plutarch. in Cicerone.* De utrisq; *Plin l.*18. *c.*3.

[d] Idem ubi supra, sed alii aliter, ut mox subiiciam.

[e] *Plutarchus in vita Fabii Maximi*: Ferunt, *inquit*, Herculem cum muliere aut una Nympharum concubisse, & hinc Fabium Maximum natum esse à quo Fabiorum familia Romæ initium habuit. Quidam autem primos eius generis viros, quod primum venandi per voveas morem induxerunt, à fodiendo *Fodios* olim appellatos dicunt: deinde mutatis literis, lapsam loquendi consuetudinem Fabiis cognomen fecisse. Cui nonnihil connivens *Pompeius Festus l.* 6. Fovii, *inquit*, qui nunc Fabii dicuntur, quod princeps gentis eius ex ea natus sit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii putant eum primum ostendisse, quemadmodum ursi & lupi foveis caperentur.

[f] Antoniorum familia. *Plutarch. in Antonio pr.* Ex quo intelliges eum fuisse Marcum Antonium Triumvirum, qui nunquam Romæ imperavit, illi enim tantum Triumviratus in divisione imperii cessit quo respublica constitueretur. Antoninorum autem qui posteà Romæ regnarunt familia, aliunde orta dicitur, ut videre

ut videre licet apud *Capitolinum in vitâ utriusq; Antonini,* Pii scilicet & Philosophi. Quod imperasse dicuntur Antonii, putem vel ex eo quod M. Anto. cons. impotenter dominaretur, teste *Floro ex Livii* 117.

g *Plinius lib.* 19. *c.* 4. Sanè Diodorus Siculus meminit M. Valerii LACTUCÆ, lib. 2. Μάρκ☉, inquit, οὐαλέρι☉ λακτῦκας.

h Familiam Hortensiorum fuisse Romæ haud dubium est: è quibus Hortensius ille Orator tempore Ciceronis fuit, & alter Poëta apud *Ovid. lib.* 2. *Trist.*

Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Servi
Carmina.

Eos autem ab hortorum cultu dictos esse, Alexander coniecturâ probabili ponit.

i *Varro lib.* 1. *de re rustic. c.* 2. *& Plinius lib.* 17. *c.* 1. Caji autem Licinii *Stolonis* Consulis meminit *Valer. Max. lib.* 1. *c.* 1. ubi de more ludorum loquitur.

k Hic posset videri lapsus Alexander: nam *Livius decad.* 1. *lib.* 6. *ad fin. & lib.* 10. *in oratione P. Decii Muris, & Plutarch. in Camillo* dicunt, L. Sextium primum de plebe Consulem factum, Verum *Plinius Secundus si is de Viris illustribus, c.* 20. hunc Stolonem dicit primum è plebeiis consulem factum, sed Plinium Alexander secutus est. Sed quod non est controversum, ipse Licinius *Stolo* primus è plebe magister equitum factus est, ut legitur apud *Livium, citato lib.* 10. Item ex eiusdem Licinii lege consules ex plebe creari in urbe Romanâ cæperunt *teste Gellio lib.* 17. *c.* 21. Collegam autem idem Licinius habuit in Consulatu L. Sulpitium Peticum, ut *Livius tradit, lib.* 7. *init Dec.* 1.

l *Livius prædicto loco sic habet*: C. Licinius Stolo à M. Popilio Lenate sua lege decem millibus æris est damnatus, quod mille jugerum agri cum filio possideret, emancipandoq; filium fraudem legi fecisset. De quo *Plinius lib.* 18. *c.* 3. *Columel. lib.* 1. *c.* 3. *& Plinius Nepos, aut quisquis est, in libro illo elegantissimo de viris illustribus, & Plutarch. in Camillo.*

m *Plin. dicto lib.* 18. *c.* 3. *post princ. & Servius init lib.* 9. *Æneid.*

n *Plinius ibid. & Servius ad Virgilium. Quintilian. lib.* 1. *c.* 8. *Q. autem Serrani Consulis cum Q. Cæpione meminit A. Gellius lib.* 15. *c.* 28.

o *Plinius Varronis autoritate lib.* 9. *c.* 1. M. *inquit,* Varro tradit in Serranorum familiâ gentilitium esse fæminas lineâ veste non uti.

p Porphyrion interpres Horatii in arte poëticâ, ibi:

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis.

Omnes, *inquit,* Cethegi morem servaverunt eundem: inter cætera descriptam comam retulerunt. Nunquã enim tunicâ usi sunt. Ideò cinctutos eos dicit quoniam cinctum est genus tunicæ infrà pectus aptatæ. Alii autem intelligunt cinctutis i. e. militaribus Viris, & ad militiam paratis: unde per contrarium dicit Poëta: *Discinctos Mulciber Afros*

i. e. imbecillos ad malitiam, de quâ re alibi dicam. Sed quod ad hunc locum pertinet, credo Alexandrum hoc voluisse dicere cincto amictu; nisi potius

 volucrit

voluerit dicere distincto; atque id omninò contrarium esset iis quæ suprà diximus. Verum haud dubiè cinctuto legendum est, ex Porphirione uti suprà, cui adstipulatur illud *Lucani lib. 2.*

Exertiq; manus vesana Cethegi.

& *Silij* de eodem, aut alio eiusdem nominis, loquentis lib. 8. non adeò longè à fine:

Ipse humero exertus gentili more parentum
Difficili gaudebit equo.

q *Festus Pompeius lib. 9.* Ignem, *inquit*, ex domo Flaminiâ efferre non licebat nisi divinæ rei gratiâ: sed tamen vide num id intelligendum sit de domo Flaminis qui è Sacerdotibus erat, non è domo Flaminiorum.

r *Plutarchus tum in vitâ Publicolæ, tum Problematis c. 40. autoritate Fenestellæ.*

s *Plutarchus dictis in locis & Plinius lib. 18 c. 3. post prin.* Caius autem Junius *Bubulcus* Consul, semel & iterum est *ap. Livium 1. Decad. lib. 9.* item & Censor, & posteà Dictator, *eiusd. lib. 10. post prin.* & C. Attilii Bubulci Consulis meminit *Paulus Orosius lib. 4 c. 10.* Bubulcus Juniorum cognomen fuit, quod optimè bubus uterentur.

t Nihil de his, quod nunc recorder, legi.

u Capiliorum & Caprarum familias fuisse dicità capris dictas, *Varro de re rusticâ. lib. 2. c. 1. Interpres tamen Plutarchi in Publicola,* Caprarios vertit eos, qui à capris cognomina sumpserunt: & legimus C. Cæcilium Metellum *Caprarium* consulem fuisse cum C. aut ut alii legunt Cn. Papyrio Carbone, anno V. C. 641. Scio autem Ciceronem de eo dicere *lib. 3. de Orat.* matrem ipsius, si quintum pareret, *asinum* fuisse parituram. Sunt & aliàs caprarii custodes caprarum *apud Varr. de re rust. lib. 2. c. 3. & Colum. lib. 3. c. 10.* Et Caprarii cognomen ex contumeliâ traxisse.

x *Idem & Varro & Plutarchus ubi suprà.*

y *Varro eodem loco. Lampridius autem in Alexandro Severo*, mentionem facit Ovinii Camilli, Senatoris antiquæ, *ut dicit*, familiæ. Quod si legas *Oviculæ*; Fabius enim Maximus *Ovicula* dictus fuit, quia moribus fuit humilibus. *Plutarchus in Fabio: author de Viris Illustribus.* Nisi *Ovinios* dicamus eos fuisse qui & Junii. Hi autem dicti à quodam Æneæ comite *teste Dione.* Nam hic author *Oviculæ* meminit.

z Jam de iis diximus, de quibus ut vides ita, loquitur hîc Alexander, tanquam diversæ essent familiæ Caprariorum & Capriliorum.

a De his duobus *Varro*, ubi suprà: ibique ultrà eos qui hîc nominantur, *Vitulos* quoque à pecore dictos putat. *Statilii* autem *Tauri* bis consulis ac Triumphalis meminit *Suetonius in Nerone cap. 35. & Varro ubi suprà. Dion. lib. 49. Velleius Paterculus lib. 2. Item Sexti Pacuvii ædilis* plebis, *Plinius meminit lib. 34. cap. 5.*

b *Plutarchus in vitâ Coriolani.*

c *Plutar-*

[c] *Plutarchus ibi*, & præterea *Plinius lib. 7. c. 12. & lib. 11. c. 37. & Nonius Marcellus lib.* 17. de quo vide infrà in verbo, *Patos*.

[d] *Plinius dicto lib. 11. c. 37. & Plutarch. ubi suprà. Livius autem Decad. 1. lib.* 8. memorat. P. Ælium Pætum consulem & eiusdem *lib.* 10. de quo vide infrà, sub verbo, *Patos*. refert Livius augurem & paulò post consulem M. Fulvium Pætum. Et plures Epist. Cicer. ad C. Papyrium Pætum *lib. 9. fam.*

[e] *Plutarchus ibi.*

[f] Venus enim oculis pætis fuisse dicitur *Virgil.* si is est in obscæno carmine:

Notas habemus quisq; corporis formas,
Phœbus crinosus, Hercules lacertosus,
Trahit figuram virginis tener Bacchus
Minerva flavo lumine, Venus pæto.

Et *Varro* de numismatis apud *Priscianum lib. 6.* Non hæc res de Venere Pæta strabam fecit ἐπερόφθαλμον. D. Pæto illud *Horatii lib. 1. Serm. Satyr. 3.*

Strabonem Appellat pætum pater

quo in loco *Acron*, Pæti, *inquit*, propriè dicuntur, quorum huc atque illuc oculi velociter vertuntur, *Porphyrion* autem alter interpres, *Strabo*, *inquit*, qui est detortis oculis, Pætus, leviter declinatis.

[g] Luscinii ut puto voluit aut debuit dicere ex *Plinio lib. 11. c. 37.* ubi tradit Ocellas Luscinios injuriæ cognomen habuisse, qui parvis essent oculis. Nam quod Licinii ab oculorum vitio dicti sunt, nusquam opinor, lectum est. Cicero autem in oratione legis Agrariæ, *Luscinos* nominat honoribus & rebus gestis ornatos: & *A. Gellius lib. 17. c. 21.* memorat Q. Fabricium Luscinum cum Q. Æmilio Pappo censorem.

[h] De limis oculis *Plautus in milite glorioso*, & *Ovid. lib. 3. Amorum. Eleg. 1. & Plinius lib. 8. c. 16.* sed an fecerint cognomen familiæ cuipiam ignoro.

[i] *Plutar. in Publicolâ*, Horatio, *inquit*, quod alterum oculum in bello amisisset cognomen *Cocles* est inditum: quod & ipsum antè scripserat *Dionys. Halicarnas. lib. 5.* Subdit autem *Plutarchus* quosdam id ex simitate nasi tractum autumasse, quia sub ipsâ fronte ita depressus demissusque erat ut nullum ferè inter oculos discrimen extaret, ipsaq; supercilia commista interim confusaque essent. Idcircò volentibus cum plerisque *Cyclopem* appellare, delapsa loquendi consuetudo obtinuit, ut *Cocles* à plurimis diceretur. *Plinius* autem *lib. 11. c. 37.* ab iisdem qui altero lumine orbi nascerentur, Coclites vocantur. At *Varro de linguâ latinâ lib. 3. aut aliorum computatione. 6.* ab oculo ait, cocles, ut *ocles* dictus, qui unum haberet oculum, citatq; illud *Plauti in Corculione:*

Ly. Vne ocule salve. Cur quaso deridésne me?
Ly. De Coclitum prosapiâ te esse arbitror.
Nam hi sunt unoculi.

Cuius loci autoritate *Servius lib. 8. Æn. ad id*,

auderet qui vellere Cocles,

ſcribit luſcos coclites dixiſſe antiquos, unde & Cyclopas dictos coclites quod unum oculum haberent.

k *Cicero lib.1. de naturâ Deorum. Plutarchus in Coriolano, Quintilianus l.1.c. & Feſt. Pompeius lib.*17. ubi ita ſcribit Silus appellatur naſo ſurſum verſus repando; unde galeæ quoq; à ſimilitudine Silæ dicebantur. *Valerius autem maximus l.7.c.1.* memorat Cn. Sergium Silum, & *Seneca l.1.controv.cont.2.* Albutium Silum Oratorem, & iterum *l.2.controv.3.* Fuere & alii Silii, ex quibus P. Silius Proprætor, ad quem extant *Epiſtolæ Ciceronis* 36. & ſeq. lib. 13 *famil. & Cn. Silius apud Tacitum lib.*3.

Gloſſis: Silo σιμός & Cillico. *Arnobius.3.adverſus gentes*: ergò eſſe dicendum eſt quoſdam *Capitones, ſilunculos, frontones, labeones, in his alios mentones, nanios atq; naſicas.*

l *Plinius lib.* 11.*c.*37.

m Cilones hîc & ſtatim poſt dicendum eſſe, videri poteſt ex *Pompeio Feſto l.*3. ubi poſteaquam de Chilone dixit, uti mox dicemus, ſtatim ſubdit *Cilo*, ſine aſpiratione, cui frons eſt eminentior, ac dextra ſiniſtraq; velut reſciſſa videtur. At *Soſipater Chariſius artis Grammaticæ lib.* 1. Cilones, inquit, dicuntur quorum capita oblonga & compreſſa ſunt. Verum *Nonius Marcellus* tradit Silones dictos à ſuperciliis prominentibus, à Sileno, qui hirſutis ſuperciliis pingebatur, idq; autoritate *Varronis* in γνῶθι σεαυτόν: nonne non unum ſcribunt eſſe grandibus ſuperciliis Silonem Quadratum &c. Ex quibus potes intelligere corrigendum quod ſtatim habet *Alexander*, hos dici qui ſunt præminentibus ſuperciliis, & ſcribendum prominentibus: differunt enim præminere & prominere. *Seneca lib.2. controv.*1. meminit Pompeji Silonis oratoris.

Gloſſis: Cillo προκέφαλος, iiſdem etiam dicitur, capeto. Hinc Fabius Cilo dictus. *l.1.ff. de officio præfecti urbi. l. ult. ff. de offic. præf. urbi.*

n *Feſtus uti ſuprà*, Chilo, inquit, dicitur cognomento à magnitudine labiorum.

o *Plinius lib.*11.*c.*37. *& Donatus in Eunucho Terentij act.2.ſc.3.* Verum *Priſcianus* tradit hos à *labe* dictos: fuêre autem Antiſtii *Labeones* Juriſconſulti, de quibus in *l. poſteriore ff. de orig. juris. & Tacitus lib.3. ante fin.* At *Soſipater Chariſius artis Grammaticæ lib.*1. Verrii Flacci autoritate dicit, à labris immodicis *Labeones* dictos.

p Ovidius Naſo cognominatus fuit, & Sextius Naſo inter coniuratos necis Cæſaris, apud *Appianum lib. 2. bellorum civilium*, & Cn. Otacilius Naſo *Ciceroni epiſt.* 38. *Famil. lib.* 13.

q *Plinius lib.*11.*c.*37. aures, ait, homini tantum immobiles: ab his Flaccorum cognomina. *Cicero lib.1. de naturâ Deorum. Livius autem 3. Decad lib.5.* memorat Quintum Fulvium Flaccum conſulem cum Appio Claudio: & eundem ſive alium eiuſdem nominis cenſorem. *Valer. Max. lib.2.c.2.* & M. Furium Flaccum, ibidem: & C. Avianum Flaccum *Cicero epiſt.* 56. *Famil. lib.* 13. Omnibus autem nota eſt hiſtoria Sulpitiæ, M. Fulvii Flacci uxoris quæ cenſurâ omnium matronarum à centum probatiſſimis haud temerè electa eſt, quæ ſimulacrum Veneris monitu

monitu librorum Sibyllinorum dedicaret, *apud Plinium lib. 7. cap. 35. Valerium Maximum lib. 8. c. 16 & Solinum. c. 7.*

[r] *Cicero libro* 1. *de naturâ Deorum. Idem autem epistolâ Famil lib.* 13. *epist.* 30. C. Atteii Capitonis meminit: & alterius Atteii Capitonis *Tacitus lib.* 3. & Istei Capitonis *lib.* 13. & Asinii Capitonis *A. Gellius lib.* 1. *c.* 20. *&* 21. A. Fonteii Capitonis *Tacitus lib.* 4. *&* 17.

[s] *Cicero in Antonianis, & Lactantius libro de opificio Dei.*

[t] *Quintilianus lib.* 1. *c.* 8. *Sextus autem Pompeius lib.* 2. Burrhum cum aspiratione scribit, dicitq; antiquos *Burrhum* dicere, quod nunc dicimus *rufum*: unde rustici Burrham appellant buculam, quæ rostrum habet rufum: pari modo rubens cibo ac potione ex prandio Burrhus appellatur. Burri præfecti cohortium prætoriarum meminit *Tacitus lib.* 14. *& Suetonius in Nerone.* 35.

[u] *Plutarch in Coriolano, Spartianus in Pescennino Nigro. Tacitus autem lib.* 3. memorat Brutedium Nigrum ædilem; & C. Cæcilii Nigri Quæstoris sub Verre prætore meminit *Cicero in Verrem actio.* 1. & ibi *Asconius Ciceronis interpres in argumento.*

[x] *Plutarchus ibi, & Quintilianus dicto lib.* 1. *cap.* 8. Minutii Rufi meminit *Cæsar lib.* 3. *belli civilis*: & P. Sulpicii Rufi, *idem lib.* 4. *belli Gallici. Seneca lib.* 2. *controv.* 2. Vilii Rufi. Extatque *epistola Ciceronis* ad Sextilium Rufum *Famil. lib.* 13. *epist.* 24. & ad Titum Rufum prætorem urbanum *eodem lib. epist.* 34. Et Q. Minutii Rufi ædilis plebis & L. Iubilii Rufi & M. Cœlii Rufi prætoris meminit *Livius* 4. *Decad. lib.* 2.

[y] Aquilum colorem quendam esse liquet ex *Suetonij Augusto cap.* 79. colorem inter aquilum & candidum. Quis autem qualisvé is fuerit declarat *Pomponius Festus lib.* 1. Satisq; constat Aquiliorum familiam Romæ fuisse: nam & de Aquiliis meminit *Plinius Secundus*, si is est de Viris *illustribus lib.* 10. & de Aquilio Regulo fit mentio *in l. Aquilius ff. de donat.* quanquam nonnulli ibi legunt Attilius; sed in Pandectis Florentinis legitur Aquilius; & de alio Aquilio trib. plebis qui legem Aquiliam rogavit *l.* 1. *ff. ad l. Aquiliam* & de alio item Gallo Aquilio Jurisconsulto. *l.* 2. *§. post hos Quintus ff. de orig juris*, nisi idem fuerit: sed de hoc etiam meminit *Tullius lib. de officiis.* 3. Fuit & alius C. Aquilius his multò antiquior, qui consul vigesimus fuit cum T. Sicinio apud *Livium Decad.* 1. *lib.* 2.

[z] *Sextus Pompeius Festus lib.* 16 Rutiliorum autem familiam apud Romanos antiquam testimonio est C. Martius Rutilius, ter consul, Dictator primus de plebe, & censor apud *Livium Dec.* 1. *lib.* 7. Est & P. Rutilius consul apud *Valerium Maximum lib.* 2. *c.* 2. & P. Rutilius à M. Scauro repetundarum accusatus, ut scribit *Tacitus lib.* 3.

[a] *Suetonius in Galbâ. cap.* 3. Qui primus inquit cognomen *Galbæ* tulit, cur aut unde traxerit, ambigitur: quidam putant quod oppidum Hispaniæ frustrà diu oppugnatum, illitis demum galbano facibus, succenderit, alii quod in diuturnâ valetudine, galbeo i. e. remediis lanâ involutis assiduè uteretur: nonnulli quod

præpin-

præpinguis visus fuerit quem Galbam Galli dicunt: vel contra quod tàm exilis, quàm sunt animalia quæ in Æsculis nascuntur, appellanturq; Galbæ. Cassiodorus autem scripsit Galbam à lucido corpore dici, quia Galbeus, ut dicit, est passeris nomen lucidis pennulis. *Quintilianus lib.* 1. *c.* 8. inter alia cognomina quæ ex secretiore quadam causâ imposita sunt, ponit, nec aliter declarat, uti nec in aliis multis in quibus illum in hâc tractatione citavi. Est autem Sergii Galbæ epistola ad Ciceronem, inter huius familiares *lib.* 10. Fuit & alius multò antiquior ita cognominatus à Catone Censorio repetundarum accusatus, ut scribit *Tacitus lib.* 3. *cuius etiam meminit Paulus Orosius lib.* 4. *c.* 20. *& Eutropius lib.* 4. *c.* 2. & Servius Galba memoratus Cæsari *lib.* 3. *belli Gallici*, initio, & Servilius Galba, unus ex competitoribus Ciceronis in consulatu, upud *Asconium Pædianum* in argumento orationis Ciceronis in togâ candidâ contrà C. Antonium & L. Catilinam.

[b] Quid sit lappa videris ex *Plinio lib.* 21. *c.* 17. Sed quid ad hanc hominum appellationem pertineat, non video: idem tamen quod hîc Alexander, scripsit *Cœlius Rhodig. lib.* 24. *c.* 5.

[c] Aliter *Plutarchus in Cicerone*, ubi de Cornelio Lentulo *Surâ* loquitur: quem à surâ quidem cognominatum tradit, sed aliâ de causâ quàm Alexander scripserit. Cornelii Suræ meminit *Martialis lib.* 6. *epigr.* & Manlii Suræ causidici *Quintilianus.*

[d] Eo cognomine quosdam Romanos fuisse vocatos scimus, & inter alios laudatissimum illum C. Servilium *Halam*, magistrum equitum L. Quintii Cincinnati Dictatoris: qui ipse Hala seditiosum illum Sp. Melium obtruncavit, *apud Livium Decad.* 1. *lib.* 4. quiq; bis consul fuit apud eundem *lib.* 4 *&* 7. *eiusdem Dec.* 1. Sed unde ita sint vocati non recordor me legisse, nisi apud *Cœlium Rhodigin. lib.* 1. *c.* 5.

[e] *Sextus Pompeius lib.* 3. & de huiusmodi vermibus præter illum *Plinius lib.* 11. *c.* 33. *& lib.* 17. *c.* 14. *& lib.* 30. *c.* 13. ubi hos Cossos voaat. Quis autem ignorat Cornelium Cossum, illum tribunum militum, qui de Larte Tolumnio rege Veientum occiso, spolia optima retulit, apud *Liv. Dec.* 1. *lib.* 4. *& Valerium Maximum lib.* 3. *c.* 2. *& Plutarch. in Marcello. de quo illud Virgilij* 6. *Æneid.*

Quis te magnæ Cato tacitum aut te Cosse relinquat.

Præter hos autem authores *Glossarij author*: Cusus ξύλυ σκώληξ teredines iidem & termites dicti à terendo. Est igitur in ligno termes aut teredo quod vermis in carne, tinea in vestimentis, eruca in olere, Tarmes in lardo. 12. *Isid.* 5.

Is idem consul creatus fuit cum T. Quintio Pœno, iterumq; cum L. Furio Medullino, & tertium cum eodem, ex citato *Livij* testimonio. Fuitque alter P. Cornelius Cossus Tribunus militum consulari autoritate, *eodem lib.* 4. Alius item Aulus Cornelius Cossus cum M. Valerio Corvino consul, *Livij eius Decad. lib.* 7. Alius prætereà Cossus præfectus urbis sub Augusto, de quo *Seneca ad Lucilium epist.* 1. *Tacitus lib.* 15. loquitur de Corneliâ vestali ex familia Cossorum.

[f] *Suetonius in Nerone c.* 1. *& Plutarch. in Paulo Æmilio.*

g *Livius* hanc historiam & hinc nominis *Scævolæ* principium elegantissimè scribit *Decad.* 1. *lib.* 2. *& Dionysius Halicarnassæus.*

h *Festus Pompeius lib.* 10. *ubi de Læva loquitur.*

i *Plinius lib.* 11. *cap.* 45. *& Sextus Pompeius lib.* 14. *& Quintilianus lib.* 1. *c.* 8.

k *Festus dicto libro* 14. sed ad quos referes, ad hos, an ad Plautos illos, qui *Plautij* cognominati sunt? nam C. Plautium consulem cum C. Fabio, iterumq; cum Manlio Torquato, memorat *Livius Decad.* 1. *lib.* 7. Sed & Plautios Lucium, Cneum & Publium legas 1, *Dec lib.* 8. & Aulum Plautium in *Nerone Suetonij* .35.

l *Plinius dicti lib.* 11. *c.* 45. *& Quintilianus lib.* 1. *c.* 8. *& Pompeius lib* 14. ubi docet plantas tabulas planas dici, atq; ab huiusmodi tabulis *Plancos* appellari qui suprà modum pedibus plani sunt. Lucii autem Planci consulis tempore Augusti meminit *Suetonius in Augusto* & Titi Munatii Planci Tribuni plebis *Asconius in orationem pro Milone,* Glossis: Plancus πλατύπους.

m *Plinius & Quintilianus ubi suprà: Cassiodorus* verò dicit dictos ab expansis capillis. Cæterum *Livius* 1. *Decad. lib.* 10. memorat Apuleium Pansam consulem cum M. Valerio Maximo. Fuit & alius Pansa cum Hircio, qui ambo perierunt in bello civili adversus Antonium & Augustum.

n Huius sunt ut quidam putant plurimæ elegantissimæ epistolæ ad Ciceronem & Ciceronis ad eum, *famil. lib.* 10. & de hoc quoq; loquitur *Plutarchus in Catone Uticensi.* Sed illi Planco, sive hic fuit, sive alius, Prænomen Cneus fuit, ut videre est ex illius ipsis epistolis. At huius Numacii Planci haud dubiè meminit *in Augusto Suetonius c.* 7. ubi scribit ex illius sententiâ Octavium cognomen Augusti assumpsisse: hic autem ut scribit *Eusebius Chronographus,* cum Galliam comatam regeret, Lugdunum condidit.

o *Sextus Pompeius lib.* 19. *in verbo, Valgos.*

p *Pompeius ibidem verbo, Vari. Cicero de naturâ deorum lib.* 1. *Plinius dicto lib.* 11. *c.* 45. *Nonius Marcellus in verbo Varri,* hos Varros appellat. Fuit & aliud cognomentum non longè ab hoc differens, scilicet *Varij*, pro his qui è semine vario i. e. è meretrice prodeunt. Sic enim appellatum Heliogabalum illum imperatorem diffamatissimum, tradit in illius vitâ *Lampridius.* Actium autem Varum memorat *Cæsar belli civilis lib.* 1. & Q. Titanium Varum præfectum equitum *Hircius lib.* 8. *belli Gallici,* & Lentulum Varum, Julius, *Paulus l. Imperator ff. ad municipalem.*

q *Plinius ubi suprà, Seneca in epistolis ad Lucilium,* loquitur de hortis Servilii Varii, & *Varro de re rusticâ,* ubi de canis forma, Canis pedibus ait, potius varis quàm vatiis. Varii & Vatii meminit. *lex.* 10. *ff. de ædilitio edicto.*

r *Plinius eodem loco:* ubi & nonnulli legunt Vatieni, ut scribit Hermolaus Barbarus in eius loci castigatione. Et eius nomine est Narbonensis Orator nobilis *apud Martialem in epigr.*

Docti patria Narbo Vatieni.

& apud *Eusebium Chronographum.*

s *Quintilianus & Plinius ibidem.*

 s E pro

[t] E prosapiâ Veteri fuit hic, vir Consularis sub Tib. Cæsare, *de quo Tacitus lib. 3.*

[u] *Plutar. in Coriolano.*

[x] *Plut. ibidem & in Romulo*, Asinii autem Celeris viri consularis meminit *Plinius lib. 9. c. 17.*

Sic *Antoninus* primus huius nominis imperator, PIVS cognominatus est, ut tradit *Iulius Capitolinus*, huius cognominis multas rationes ponens *in vita ipsius Antonini post princip.* Refert autem *Suetonius in Tiberio c. 17.* quod cum Romani peterent, ut ipse Tiberius *Pius* cognominaretur, Augustus intercessit. *Sen. l. 1. Suasor. 1. contr. 2. & l. 2. Controv. 1. & 2.* mentionem facit *Cestij Pij* oratoris.

[z] *Sext. Pompeius l. 6. Livius autem* 3. Decad. l. 10. & Decad. 4. l. 1. memorat Valerium Falconem prætorem.

[a] *Ex Plinio lib. 11. cap. 43.* Notus est autem omnibus *Volcatius Sedigitus* qui Jambis judicium suum de Latinis Comicis interposuit, apud *A. Gellium lib. 15. cap. 24.*

[b] *Festus l.* 18. Tudites, inquit, mallei à tundendo dicti: unde & cuidam cognomen *Tuditano* fuit, quod malleo simile caput habuerit.

[c] Idem Festus l. 12. ait, cognominantur homines malarum magnarum atq; oribus late patentibus.

Vide *Festum in Mallici*, ubi alii legunt Malici: quod veteres μαπύας, τὰς σιαγόνας appellarunt. Igitur & Malici sunt gulosi, ut & ab eadem ratione γναθῶνες gulosi.

[d] Broccos *dicit Plinius l. 11. c. 37.* Labra inquit à quibus Brocci. Bruncos autem *Nonius Marcellus*: dum scribit, Brunci sunt producto ore præ dentibus in idq; citat illud *Lucilij Satyr l. 3.*

Bruncus norit lanius dente averso, &c.

[e] Nullibi hæc memini legere me, nisi apud *Rhodiginum*, qui ab hoc autore ni fallor, acceperat, ut alia plerumq; in *libr. 24. c. 5.* Omnes autem norunt nomen *Martiani Capellæ* qui de *Mercurij & Philologiæ* nuptiis scripsit.

[f] Fenestellam scribit *Cælius Rhodiginus* præd. l. At *Hadrianus Iunius in Commentario de Coma. c. 11.* ponit Fenestellam, ut hic autor, quem solum ille citat.

[g] *Donatus in Phormionem* Terentii scribit *Columellas* apud veteres dictos servos maiores domus: ut columina familiæ.

[h] *Servius enarrans illud 7. Æn.*

Et spicula lucida tergunt. —— *Arvina pingui*

Arvina, inquit, est durum pingue inter cutem & viscus: laudat eius rei authorem *Suetonium libr. de vitiis corporalibus.* Ego scio Aruinas quosdam esse cognominatos, ut Aulum Cornelium *Aruinam* dictatorem apud *Livi. Dec. 1. l. 8. ante finem*, & P. Cornelium *Aruinam* consulem cum Q. Martio Tremulo eiusdem Decad. l. 6. sed an id illis cognomen à pinguedine nescio me legisse.

[i] Idem *Cælius l.* 24. *c.*5. Inferius autem dicit hic non ab adunco naso, sed à maioribus dictum naribus *Scipionem Nasicam*, quod est diversum: nec tamen scio unde utrumque acceperit. Scipionis autem Nasicæ meminerunt inter cæteros *Pomponius leg.* 2 §. post hunc Appius. ff. de orig. iuris & *Cicer. l.*1. *Tuscul.*

[k] Idem *Cælius* habet ibidem. At *Livius* 3. Decad. l. 3. memorat A. Cornelium Mammulam proprætorem Sardiniæ.

[l] Idem & *Cælius. Livius autem Decad.* 4. *l.* 2. M. Portii Leccæ prætoris meminit.

[m] Ex *Livio* hanc historiam late describente *Decad.* 1. *l.* 7. & *Plinio de viris illustribus* 29. *&* *Paulo Orosio l.*3. *c.*6.

[n] Ex eodem *Livii libro* & ex *Tullio l.* 1. de Finibus & 4. *Tuscul.* & 3. Officior. *& Plin. l* 33. *cap.* 1. *&* 11. *& Sueton. in Caligul. cap.* 35. *& A. Gellio l.* 9. *c.* 14. *Plutarchus* autem in Mario, putat id cognomen ex forma & modo corporis impositum fuisse.

[o] *Suetonius in Tiberio c.* 3. Drusus ait hostium duce Druso comminus trucidato sibi posterisq; cognomen fecit. Livii autem Drusi seditiosi viri meminit *Lucius Florus* epitome rerum Romanarum *l.*3. & M. Livii Drusi, autor est *Plinius de viris illustribus* 66.

[p] *Plinius l.*10 *c.*8. memoratur autem inter cœteros cognomines M. Fabius *Buteo* dictator, & postea ædilis curulis 3. *Decad. l.* 3. *&* 10. *& Plutarch. in Fabio.* Sed & Buteonis oratoris meminit Seneca controvers.1. l.2.

[q] Ibidem *Plinius & Aristoteles historia* animalium *l.* 9.

[r] *Quintilianus libr.* 1. *c.*8. Apud *Livium Decad.* 1. *l.*7. M. Popilius Lenas quater consul fuit: verum is Lenas sine diphthongo, non *Lænas* vocatur, ut inde ortum dici non possit, quod hic dicitur: quanquam scio plurima vocabula nunc sine, nunc cum diphthongo scribi. Fuit autem & Caius Lænas Poëta Lyricus, cuius meminit *Donatianus in Poëtica.*

[s] *Plutarchus in Numa* autoritate Jubæ scribit, Lænas apud Romanos eas esse dictas, quæ Græcis χλαῖναι vocantur.

[t] *Cicero de claris oratoribus* de eo sic ait: Qui cum consul esset, eodem tempore sacrificiumque publicum cum læna faceret, quod erat Flamen Carmentalis; plebis contra patres concitatione & seditione nuntiata, ut erat læna amictus, venit in concionem.

[u] *Livius* 3. *Decad. libr.* 9.

[x] *Idem* 1. *Decad. l.* 2. & *Dionysius Halicar. l.*5. *& Suetonius in Tiberio cap.* 1. hinc illud *Virgil.* 7. *Æneid.*

Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magniq; ipse agminis instar
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens.

[y] Id apud *Livium* perpetuo videre licet.

[z] *Seneca lib. de brevitate vitæ,* Quis, inquit, Romanos prius persuasit navem ascendere? Claudius is fuit Caudex, ob hoc ipsum appellatus, quia plurium tabularum contextus, caudex apud antiquos vocatur: unde tabulæ codices vocantur, & naves nunc quoque quæ ex antiquâ consuetudine commeatus subeunt, caudicatæ appellatæ. Ex quo intelligis caudicem & codicem promiscuè eandem rem appellari. Sed & de eo *Suetonius in Tiberio cap.* 2. Claudius Caudex primus fretum classe transjecit, Pœnos Sicilia expulit. De qua re etiam *Polybius l.* 1. & de eodem Appio Caudice *Plinius de viris illustribus c.* 37. *& A. Gellius l.* 10. *c.* 25. *& l.* 17. *c.* 21. Sed quod ad naves pertinet eas caudicarias *Festus libro* 6. dicit ex tabulis grossioribus factas.

[a] Signatam præsente nota impositionis rationem habet ab Appio herba, quamvis fuerint cum tempore literæ in cognomine Appiorum duplicatæ. Aliter autem *Caius Titus Probus in epit.* 10. *Valerij Maximi nisi liber subdititius, eiusq; titulus sit,* dicit Appium ab Antæo regione Sabinorum prænomen esse.

[b] *Suetonius in Tiberio cap.* 1. extremo, loquens de gente Claudia, inter cognomina & Neronis nomen assumpsit, qua significatur lingua Sabina fortis ac strenuus *Idem & A. Gellius l.* 3. *c.* 21. Id autem sive Nerio, sive Nerienes, Sabinum verbum est, eoq; significatur virtus ac fortitudo. Itaq; ex Claudii, quos à Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia atq; præstanti fortitudine, Nero appellatus. Sed id Sabini à Græcis accepisse videntur, qui vincula & firmamenta membrorum νεῦρα dicunt, unde nos quoq; Latine nervos appellamus.

[c] Id omnino est *Asconii Pædiani.* Cui concinens *Suetonius initio Tiberij* scribit, Patritia gens Claudia (fuit enim & alia plebeja, nec potentia minor nec dignitate) orta est &c.

[d] *Pompeius Festus lib.* 1. Aureliorum, inquit, familiam ex Sabinis oriundam à *sole* dictam putant, quod & publice à populo Romano datus sit locus, in quo sacra facerent soli; qui ex hoc Aulelii dicebantur, ut Valesii & Papysii, pro eo quod est Valerii & Papyrii.

[e] De Valeriis & Papyriis diximus ex Pompeio: sed & de Valeriis & Furiis idem scribunt *Livius* 1. *Decad. l.* 3. non multo post princ. *Macrob. l.* 3. *Saturn. c.* 2. & de Papyriis quoq; *Pomponius* Juris consultus *l.* 2. §. post hunc Appius. ff. de orig. Juris & *Quintil. l.* 1. *c.* 6. Quo pertinent quæ *Cicero lib. Familiar. epist.* 9. ad Papyrium Pætum scribit, Lucium Papyrium Crassum primum Papysium vocari desiisse.

[f] Hoc acceptum ex dicta L. 2. §. post hunc Appius.

[g] *Livius Decad.* 1. *lib.* 9.

[h] *A Gellius l.* 1. 1. *c.* 13. *& Macrob.* 1. *Saturnal. c.* 6.

[i] Quid Catus significet aperte indicat *Cicero* 1. *de leg.* Quis igitur prudentem & ut ita dicam catũ non ex ipsius habitu &c. & *ap. eund. Tuscul. l.* 1. *Ennius* aut alius ex veteribus Latinis dixit, egregie Cordatus homo Catus Ælius Sextus.

Item

Item Tusc. 2. Sed homo catus nunquam terminat, nec magnitudinis nec diuturnitatis modum: quamvis nonnulli legant ibi cautus *Plautus quoq; in Mostellaria.*

Equidem pol miror tam catum, tam doctum te

Et in *Menechmis:* — *Custodi cate*

Ex quibus satis ostenditur catum significare prudentem, cautum, callidum. Nam & hinc Mercurius Catus dicitur *Horat. l.* 1. *Carm. Od.* 10. & catum consilium *Plauto in Epidico. Varro* autem de lingua *latina lib.* 6. interpretatur cata *ap. Ennium* acuta: hoc enim, inquit, verbo Sabini dicunt: quare Catus Ælius Sextus, non ut aiunt sapiens, sed acutus. At *Donatus in Andriam Terentij* scribit catum dici callidum, doctum & ardentem παρὰ τὸ καίειν, unde & Cato dictus. *Servius* in primum Æneidos catum exponit, ingeniosum. Igitur *Plinius l.* 7. *c.* 31. scribit apud Romanos Catos fuisse cognominatos qui animi bonis cæteros mortales sapientia præstitissent: ut hinc intelligas sapientes quoq; Catos dici, contra quam *Varro* supra dixerat. A Cato autem quopiam dictus est fons Cati, ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit, ex *Festo lib.* 6. Porro Firmii Cati, meminit *Cornelius Tacitus lib.* 2. at Sexti illius Ælii Cati, præter *Varronem. Cicero in Top. l.* 2. *de orig. Iur.*

[k] *Cicero in Bruto & in Tuscul. Plinius* prædicto loco item eius nepos de viris illustribus *cap.* 44. ad id quod de catis diximus addit & corculum *Sext. Pompej. l.* 3. Corculum, inquit, à corde dicebant antiqui, solertem & acutum: citatq; illud *Plauti in Caßina.*

Ego sum liber meum corculum.

Sed id melius probat illud *Ciceronis l.* 1. *Tuscul.* Aliis cor ipsum animus videtur; ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur: & Nasica ille prudens bis consul, *Corculum*, ut scribit ipse *Cicero in Bruto*, sive de claris oratoribus.

[l] Hoc illud est quod supra de catis ex Varrone diximus.

[m] An à curis cognominati sint ignoro. Scio autem Sextum *Pompeium l.* 3. scripsisse curionem agnum à Plauto pro macro positum fuisse, quasi cura macruisset. Locus *Plauti* quem ille non designat est *in Aulularia*

MEG. *Volo ex te ego scire, qui sit agnus curio*

EVC. *Qui ossa atq; pellis totus est, ita cura macet.*

Curio autem maximus, cuius frequens mentio est apud Livium, is est, cuius autoritate curiæ, omnesque Curiones reguntur, ut tradit idem *Pompeius l.* 11. Quasi scilicet non à cura, sed à curia dici videatur: quod & palam profitetur *Varro de ling. lat. l.* 4. Cæterum *Plinius l.* 7. *c.* 41. Vna, inquit, familia Curionum, in qua tres continuâ seriè oratores extiterunt. Sunt præterea ad Curiones complures Ciceronis epistolæ *familiar. l.* 2.

[n] *Solinus cap.* 7. scribit plurimos inter Romanos eloquentiâ floruisse sed hoc bonum hæreditarium nunquam fuisse, nisi in familia Curionum in qua tres serie continua oratores fuerunt.

o Plinius *lib. 7. c. 16.* & *Solinus cap.* 4. scribunt hos *dentatos* dici quod cum dentibus nati essent.

p *Valer. Max. l. 1. c. 8. Solinus d. cap. 4. Sext. Pompeius l. 11.* ubi hinc dicit illum appellatum fuisse *Monodon,* quod unum os habuit dentium loco: Subditque similiter habuisse Pyrrhum Regem Epirotarum: quod & ipsum tradit *Plutarchus in Pyrrho.*

q Quod nos jam diximus *ex Plinio & Solino.*

r Ex Plinio *dicti lib. 7. c. 16.* & *Solino dicto cap.* 4.

s Sunt qui Clodii legunt apud *Plutarch.* in Coriolano, ubi de nominis origine disserit.

t Ex *Virgil.* 5. *Æneid.*

Syllaq; Cloanthus
Cærulea genus unda tibi Romane Cluenti.

u Ibidem *Virgilius* ait: Mox Italus Mnestheus, genus à quo nomine Memmi: Sunt autem quædam epistolæ *Ciceronis* ad C. Memmium scriptæ *l. 13. familiar.* quem tamen alium putem, utpote minorem & posteriorem Cajo Memmio, cui *Lucretius* libros sex de rerum natura dedicavit.

x Idem Virgil. Sergestusq; domus à quo tenet Sergia nomen.

Sergii Cornelii Consulis cum Q. Flacco meminit *Livius Decad.* 1. *l.* 2. & alterius L. Sergii Fidenatis cum M. Geganio Macerino, eiusdem *Decad.* 1. *lib.* 4. & cum Hastro Lucretio Tricipitino *ut est ap. eundem.*

y *Servius Maurus ad 2. Æneid. ibi.*

Fatale aggreßi sacrato avellere templo
Palladium. —— ——

Item *& lib. 3. & lib. 5. Sextus quoq; Pompeius lib. 12. Dionysius Halicarnassæus lib. 8. Livius Decad. 1. l. 2.* memorat Spurium Nautium & Sextum Furium consules, & Caium Nautium & P. Valerium. Item *lib. 3.* Lucios Nautium & Minutium: & alium C. Nautium Rutilium & M. Papirium Atratinum eiusdem *Decadis l.* 4. *Dionysius quoq; Halicarnassæus libr. 6.* meminit etiam S. P. Nautii familia inquit, natus honestissima. Nam autor eius generis unus ex Æneæ sociis fuerat: qui sacerdos Minervæ in æde in arce Iliensi consecrata, Palladium secum transtulerat, cuius custodia mansit penes successores gentis Nautiæ.

z Ex eodem Servio in eum locum *Æneidos lib.* 5.

Ingentemq; Gias ingenti mole Chimeram.

Fuereq; ex antiquâ familia Geganiorum ut liquet T. Geganius & P. Minutius consul, *Livij Decad. 1. lib* 2. & M Geganius Macerinus C. Julio consul. *Decad.* 1. *l.* 3. Idemque iterum cum Tito Quintio Capitolino, *Livii dictæ Dec. l.* 4. Idem & Tertium consul fuit cum L. Sergio Fidenate ut dixi proxime in verb. Sergesto. Fuitq; idem ipse censor, cum C. Furio, ut videre licet ex oratione P. Sempronii apud *Livium Decad. 1. l. 9.* & alius Proculus Geganius Macerinus cum L. Menenio La-

nio Lanato consul. *Decad.* 1. *l.* 4. *Dionysius autem Halic. lib.* 3. scribit, ad magistratus Romæ gerendos fuisse Geganiorum familiam. *Idem l.* 7. meminit T. Geganii Macerini consulis & L. Geganii eius fratris. Geganios autem ex Albanis ortos tradit idem *Dionysius lib.* 3. In oratione Metii Suffetii, & præterea Julios, Servilios, Metilios, Curiatios, Quintilios, & Clœlios, quorum Alexander non meminit.

[a] Ex *Servio* tum *d. lib.* 2. *Æneid.* tum *d. lib.* 3. eodem *ex Dionysio Halicarnass. lib.* 6.

[b] Ex Festo *lib.* 11.

[c] Ex *eodem lib.* 3. Sed idem ipse aliter *lib.* 11. ubi de Metellis habet. Fuit autem Q. Cæcilius consul cum L. Veturio apud *Livi. Decad.* 3. *lib.* 8.

[d] Lamias legendum est. Fuit enim Lamiarum Romæ nobilis familia à Lamia Formiarum Rege orta: ex qua fuit Ælius Lamia, ad quem *Horatius scripsit* 26. *Odem lib.* 1. *Carmin. & od.* 17. *l.* 3.

Æli vetusto nobilis ab Lamo
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos.

Et ibi *Acron & Porphyrion* interpretes. Fuit autem Lucius Lamia commemoratus *Ciceroni familia. l.* 11. *epist.* 16. *& seq.* ubi illum dicit esse equestris ordinis principem. *& lib.* 12. *epist.* 29. & *Ascon. Pæd. in orat. Cicer. contra Pison.* Item & fuit alter ab illo Ælius Lamia, à quo coniugem Domitiam Longinam in uxorem duxit Domitianus, ipsumq; Lamiam postea in exilium egit, tandemq; necari iussit, ut est apud *Suet. Domit. c.* 1. *&* 10. De quo *Iuvenalis Satyr.* 4. *extremo.*

Lamiarum cæde madenti.

Sed & de familia Lamiarum *idem Satyr.* 6.

Quædam de numero Lamiarum ac nominis alti

& utrobiq; interpretes. Lamii autem Caietæ Regis meminit Silius ibi

Et regnata Lamo Caieta.

[e] De iis ad initium capitis dictum est, sub verbo Calphurniorum prosapia.

[f] *Plutarchus* Calpum appellat uti quoq; *Festus l.* 3. quem *Alexander* hic Calphum appellat. Sed quod de Pinariis hic est aliter se habet *Plutarcho Probl.* 60. scilicet eos ita appellatos fuisse, quod vescentibus cæteris ex iis quæ super ara magna Herculis imolarentur, dapibus prohibiti sint. Sed & aliter de Mammercis *Festus lib.* 11. scilicet id prænominis Oscum esse, ab eo quod ii Mammertem appellant.

[g] *Cicero de Clar. Orator. l.* 2. *off.* & in *Verr. act.* 5. *& Valer. M.* meminit eiusdem *lib.* 2 *cap.* 2.

[h] *Plutarch. in Numa* & in *Paulo Æmylio & Festus lib.* 1. & vid. infra *lib.* 5. *cap.* 4.

[i] Quin Lepidus à lepóre dicatur, nemo dubitabit, quando Lepidus is sic dicatur, in quo leporis est plurimum.

[k] *Varro de lingua Latina lib. 6.*

[l] De Nasica diximus sub verbo Nasicas: de Corculo, sub verbo Corculi.

[m] *Liv. Decad. 1. lib. 3.* Lucius, inquit, Trebonius Tribunus plebis infestus patribus, quod se ab iis in cooptandis tribunis fraude captum proditumq; à collegis aiebat. Rogationem tulit, ut qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usq; eo rogaret, dum X. tribunos plebis faceret. Insectandisq; patribus unde *Aspero* etiam inditum est cognomen, Tribunatum gessit.

[n] *Quintilia.* id tantum indicat *l. 1. c.* 8. Suidas autem tradit *Cottam* tam vehementes ictus tragula fecisse solitum, ut non solum hostis pectus & latera trajiceret, verum etiam terræ adfigeret; dicitq; græca origine appellatum fuisse, quod Græci ictûs vehementiores κόττυς vocant.

[o] *Plato in Symposio non longè à princ.* scribit Apollodorum cognomine *insanum* fuisse appellatum, quod sibi & aliis detraheret. Sed & Antiochum regem Syriæ ita vocatum scribit *Polybius*, & ex eo *Athenæus l. 2. c. 2. & l. 5. c. 4. & 10. c. 12.* At ex Latinis autoribus ad quos Alexander respexit, *Domitius* doctus & celebris Grammaticus Romæ cognomentum *insani* ob id nactus est, quod esset natura intractabilis & morosus, *teste A. Gellio, lib. 18. c. 7.*

[p] Idem & *Rhodiginus l. 24. c. 5.* Sed unde id sumpserint, nescio. Nonnullos autem dictos Massas, ut Bæbium Massam legas ap. *Plin. Cæcil. epist. 4. l. 3. & 29. lib. 6. & 33. l. 2.* & alios Massones didici ex *Cic. fam. l. 9. ep.* 11. ubi Lucii Massonis meminit

[q] Idem Cælius ubi supra. Aliunde autem id nominis in quandam Romanorum familiam ortum esse, diximus in verbo Lamios. Scio autem *Lamias* alia significatione mulieres quasdam sive larvas aut lemures dici, quæ homines præsertim infantes enecant & devorant, vt videre licet apud *Philostratum de vita Apollon. & Horat. l. 1. Od. 36. & Apul. Metamorph l. 1.*

[r] *Plutarchus in vita illius. Plinius Iunior de Viris illustribus. 43. & Senior l. 34. c. 7.*

[s] *Livi Decad. 3. l. 2. & 10. Plutarch. ubi supra.* hincq; illud Ennii à *Cicerone de Offic. & Macrobio* relatum: Vnus homo nobis cunctando restituit rem. Ex quo *Virgil. Æneid. 6.* verbum confecit.

Vnus qui nobis cunctando restituit rem.

[t] *Plutarch. & Plin. Secund. ubi suprn. Cicer. de Clar. Orat.* Quintus etiam maximus, inquit, Verrucosus orator habitus est temporibus illis: & *Iulius Obsequens Prodigiorum c.* 28. *Plin. d. l* 34. c. 7.

[u] *Horat. l. 1. Serm. Satyr. 3.*

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum.
Postulat, ignoscat verrucis illius &c.

De iis *Plin. locis infinitis, & ex libris originum M. Catonis. Gellius l. 3. c. 7.* habet: verruca

verruca est locus editus atq; asper. *Arnob.5. adv. Gentes*: Sed concedamus Jovem in verrucula collis unius cum homunculo stantem altercabilem conseruisse sermonem.

[x] *Macrob.lib.Saturn.3.c.12* De hoc quoq; Fabio Gurgite *Livius Dec.1.Lib.10.*

[y] Hi dicuntur luxuriosi bonorum suorum consumptores, abliguritores ut scribunt *Diomedes Grammaticus & Sext. Pomp. l.12. & Porphyrion in Horat. Epod. od.1.* qui huius appellationis caussam ponit, quod solutioris delicatiorisq; victus soleant esse, qui sub avo nutriuntur. Quod & satis probat illud ipsius Horatii eo loco, *Discinctus aut perdam ut nepos.*

& lib.2. Sermon. Sat.3.

Vincit enim stultos ratio insanire nepotes.

[z] *Plin.l.35 c.4* de pictura loquens ait: Apud Romanos quoq; honos huic arti maturè contingit. Siquidem cognomina ex ea pictorum traxerunt Fabii, clarissimæ gentis, princepsq; eius cognominis ipse ædem salutis pinxit. Huius sæpè meminit *Livius & Dec.1.l.1.* appellat ipsum antiquissimum scriptorem. De quo *Cicer. in Bruto.*

[a] De hoc attigi proxime in verbo Gurgitis. Sed & huius meminerunt *Plin. de viris illustrib. 20. & Liv. Decad. 1. l. 4.* Fuit & alius C. Manutius *Ambustus* cognominatus ob eam caussam quam declarat *Asconius Pædianus in Milonianam.*

[b] *Livius 1. Dec.l.6.* inquit, M. Fabii Ambusti filiæ duæ nuptæ, Servio Sulpitio maior, minor C. Licinio Stoloni.

[c] De quo diximus ex Plin. proxime in verbo Gurgitis.

[d] Rullianum vocat *Plin. c.40.l.7.* Plutarch. Rullum in vita Pompeji & Rhylaum in vita Fabii Maximi. Sed Rutilianum *Liv. Dec.1.l.8.* ubi scribit illum fuisse dictum magistrum equitum à L. Papyrio cursore & alias, It. *Val. Max. l.2. c.2. & l.4.c.1. & Scrip. de Vir. ill. 32.*

[e] *Pompeius Fest.l.14. Pullus*, inquit, *Iovis* dicebatur Fabius, cui Eburno cognomen erat, propter candorem, quod eius natis fulmine icta esset. Antiqui puerum, quem quis amabat, pullum eius dicebant. *Arnob. contra Gent. l.4.* & ut Jovis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obsignaturque posticis.

[f] Ita cognominatus fuit Fabius Maximus avus illius Q. Fabii Maximi Cunctatoris, ut liquet *ex Plutarch in Pomp. & Liv. Dec.3.l.10.* Fuere & alii cognomines: *Plin. etenim lib.8.c.50.* scribit P. Servilium Rullum patrem eius Rulli, qui consule Cicerone legem agrariam promulgavit, solidum aprum Rom. primum in epulis apposuisse. Extantq; etiamnum tres orationes ipsius *Ciceronis de Leg. Agrar. contra P. Servil. Rull. Trib. pleb.*

[g] Vereor ne hic Alexander memoria lapsus sit: neque enim quispiam Fabius *venox* aut alterius cognominis censor fuit cum Appio Claudio: sed C. Plautius, ut tradit *Liv.l.9.* cui quidem Plautio an cognomentum fuerit venox, nescio: At id cognominis fuisse alteri L. Plautio consuli cum M. Follio Flaccina videre

est *dicto l. 9.* ut alteri L. Plautio consuli cum L. Papyrio Crasso eiusdem *Decad.* 1. *l.* 8. Post illos autem censores fuere Q. Fabius & P. Decius dicto *l. 9.* in fine. Sed quod illi Fabio cognomen fuerit non reperio: nisi is fuerit Q. Fabius Maximus Rutillianus qui annis 22. plus minusve fuerat ante magister equitum L. Papyrii Cursoris, sicuti supra diximus. Quanquan *Cal. Rhodig.* idem quod hic habet *l. 24. cap. 5. in fine.* & addit præterea hos censores fuisse M. Valerio Maximo & P. Decio consulibus. ego neque censores neq; consules hos simul fuisse reperio. Cæterum *Hermolaus Barbarus in Castig. ad Plin. l. 7. c. 9.* scribit, antiquam tabulam Romæ repertam hoc scripto: Cæsar Claudius C.F. Ap.N. Cæcus C. Plautius C. F. C. N. qui in hoc DXXV. honore appellatus est: *& paulo post subdit:* Quanquam & Venox L. Plautius L. F. L. N. Vennocens in eadem tabula legitur.

h Aliter *Livi. 1. Decad. l. 9.*

i *Livi. Decad. 1. l. 8. & Valer. Max. l. 2. c. 2.*

k *Plutarch. in Pompeio.*

l Ibid. *Plut. & Liv. Decad. 3. l. 10. in fin. Caßiodor. l. 4. Variar. L. ep. ult.*

m *Plin. l. 7. c. 9. & C. Titus Probus in epitome l. 10. Val. Max. & Fest. l. 3.* Cæsonis autem Fabii Consulis primum cum L. Æmylio, secundum cum *Sp.* Furio, tertium cum T. Virginio, meminit *Liv. Dec. 1. l. 2.*

n *Plin.* ubi supra *& Solinus c. 4.* Sed tu omnino vide quæ de hac re scripsi in *nostris commentariis.*

o Servius ad eum locum *Æneid. 1. Virgil.* At puer Ascanius cui nunc cognomen Iulo.

p Idq; non solum virorum, quod planum est, sed & arborum & pomorum ex *Plin. l. 16. c. 29.*

q *Plin. l. 7. c 8. Quintil. l. 1. c. 8. A Gellius l. 16. c. 16. Solin. c. 4. & Nonius Marcellus ad extremum operis sui.*

r Id quod tacite sentiunt prædictis locis *Plinius & Solinus.*

s *Plin. l. 7. c. 10. Quintil. d. c. 8. Plutarch. in Coriolano. Solinus & Non.* ubi supra: C. autem Titus Probus in dictâ epitome Valerii *Opiscos* habet, ubi mendum putem, cum ipse idem Vopiscum Iulium commemoret.

t *Plutarch.* prædict. loc. & *Festus l. 14. Livius autem Decad. 1.*

u Ibidem *Plutarch.* & iterum in Sylla, in fin. *Serv. l. 6. Æneid.*

Tua posthuma proles

Quintil. l. 1. c. 8. Gell. l. 2. c. 16. Euseb. in Chronico, & clarè probat illud *Plauti in Aulularia act. 1.*

Post mediam ætatem qui duxit uxorem domum
Si eam senex anum prægnantem fecerit fortuito
Qui dubitas quin fiet paratum nomen puero Posthumus?

Festus lib. 15. Et de iis in nostris Legib. connubial.

x *Quintil. prædicto loco.* Quod ad Cordum pertinet, de quo hic tractamus

facil

facile possumus conjicere, ita eum nominari, qui sero & velutiintempestivè nascitur, ut fœnum cordum appellatum, quod autumnale est, & sic serotinum & postremum ut scribit *Columella l.2.c.1. Plin.l.18.c.28. Pompeius Festus l.3.* ubi ait frumenta corda dici, quæ sero maturescunt. Sic & olus cordum appellat ipse *Columella l.12.c.13.* & agnos cordos *Plin.l.8.c.47.* & ante illum *Varro* qui per aspirationem scribit chordos *de re rustic.l.2.c.1.* â χοϱὸς verbo Græco. Cordi Crexentii meminit *Suetonius in August. c.25.* & *Iulius Capitolinus* in Gordianis alterius Cordi qui vitas Imperatorum scripserat, meminit. Sed Scriptor de viris *illustr. cap.12.* scribit Mutium Scævolam, *Cordum* fuisse cognominatum, licet in quibusdam libris Codrus eo loco legatur.

y *Quintil. ubi supra.* C. T. *Probus in epit. 1.c. Valerij Maximi. Festus lib.13.* Memoratur autem Opiter Virginius Consul Rom. primum cum Sp. Cassio iterumque cum L. Æmilio *Livii Decad.1.l.2. & Dion. Halicarn.l.5. Atq; Cæsar* Opiter *Tito Probo* ubi supra. Ex quo illud te scire oportet, multa prænomina aut etiam nomina, in cognomine & è diverso ab antiquis versa fuisse, vt vides in Opitris appellatione & Posthumi, Cepionis, Bruti, & aliis quam plurimis ipsi Probo commemoratis.

z *Ibidem Quintil Livius Dec.1.L.5. Macrob.1. Sat. c.6.*

a *Suetoni in Calig. c.35.*

b *Cicer. l.1. de Orato. scribit* Roscium Gallum Comœdum eo præstantiæ venisse, ut cum de perfecto in arte aliquâ loquimur, is in suo genere *Roscius* à nobis dicatur. *Et Fest. l.13. ad fin.* Roscii, inquit, appellantur in omnibus perfecti quod Roscius quidam perfectus unus in arte id est, comœdia judicatus sit. Vbi emendandi sunt libri vulgares, qui ubi Roscii deberent, Rosii habent.

c *Pollus.* Nescio an hic intelligat de polo Agrigentino Sophista, Gorgiæ discipulo, qui primus in oratione invenisse dicitur antitheta & similiter desinentia; quod *Philostratus* dicit minimè verum esse, sed jam inventis sæpe usum fuisse. *Suidas* autem scribit eum genealogiam eorum qui ad Trojam profecti sunt scripsisse, simulque navium catalogum. Sed hunc Polum puto eum esse Histrionem de quo loquitur *Gellius lib.7.c.5.* ubi eum dicit fuisse in terra Græciæ fama celebri, qui gestu & vocis claritudine & venustate cæteris antestabat.

d *Cice. pro Fonteio.* Eius quoq; in Verrinis meminit *Cicero* & in eius *Pisonianam Asconius.. Cic. l.3. Tuscul l.9 fam. ep.22. & Dionys. Hal. lib.4. Sueton. Galb. c.17.*

e Ex *Macrobio Saturnal. l.1.c.6.* ubi & ita cognominatum ait Tremellium.

f *Macrob. ib. Livius autem Decad 3 l.3.* memorat Cornelium Asinam interregem & P. Cornelium Asinam sive illum sive alterum *Ascon. Ped. in orat. Cic. contr. Pison.* Cn. Cornel. Asinam consulem cum Duillio *Paulus Orosius l.4 cap. 8.* Fuerunt autem & Asinii vetustæ familiæ equil. Asinius Pollio orator celeberrimus & cuius perelegans extat oratio adversus Catilin. Asinius quoque Sabinus memoratus *Tacito l. 3.* & Asinius Capito *ap. A. Gell. l. 5. cap. 20, & 21.*

Fuere & Asellæ cognominati ut Lucretius Asella *ap. Flor. epit. l. 86. & 88. & Scriptor. de viris illustrib.* 68. Fuere deniq; Asell ones, ut Sempronius Asellio *Scriptor Rom. Hist. ap. A. Gell. l. 1. c. 13. & l. 5. c. 18.*

g Scilicet *de re rustica lib. 2. c. 4.*

h *Plutarch. in Mario*, initio *Macrob. Saturnal. l. 1. c. 17. Quintil. vero libr. 1. cap. 8.* ponit hoc nomen inter ea quorum origo secretior est. Ad illam autem sententiam alludit Silius Italicus ibi

Sibyllam vocant Syllam.

i *Plin. l. 17. c. 1.* de arboribus loquens.

k *Varro de re Rust. l. 3 c. 3.* Et *Macrob. Satur. 3. c. 15. Plinius l. 33. cap. 3. Scriptor de Vir. illustr. c.* 30.

l Iidem ibidem de Sergio Orata loquuntur, de quo & alia multa dicit Macrob. *Val. item Max. lib. 9. c. 1. post princ. & Plin. l. 9. c. 54.*

In iis autem cognominibus sumptis à piscibus adde Callimedontem Rhetorem *Locustam* fuisse cognominatum, quod eo pisce delectaretur, vt videre licet apud *Athenæum l. 3. c. 11. & 13. & lib. 8. c. 6.*

m *Caßiodorus* hoc dicit *in libro variarum.*

n Idem ex eo loco. Miror autem Alexandrum prætermisisse *Macrinum Torquatum, Sylam*: tu videbis *ap. Plutar. in Mario*, init videlicet ex figura & modo corporis. Longos etiam ex habitu corporis ex Quintil. l. 1. c. 8. uti & jam ex eo diximus. Fuit autem C. Sulpitius Longus consul *ap. Liv. Decad. 1. lib.* 8. Gracchos, quod eum qui ita primus vocatus est, mater mensibus duodecim gestasset in utero: quare quod legitimum partionis tempus supergressa esset, eaque diutius partum quam solerent gravidæ gessissent, Gracchum à gestando nominavit, ut testis est *Varro* & diximus in nostris commentariis *ad l. si unquam. C. de revocand. donat. in verbo susceperit liberos. num.* 210. Quanquam alii dictum putunt à Graccculo ave garrula. *Senecas* quod is cui primo cognomen id impositum est, canus sit natus, *ut tradit Caßiodor.* sicut de Numa Pompilio dicitur & ad illud allusisse videtur *Virgil l. 6. Æneid.* Nosco crines incanaque menta Regis Romani. ubi Numam canum à primâ ætate *Servius Maurus* testatur fuisse. *Pertinaces* quod qui primus eo nomine dictus est, scilicet Pertinacis Imperatoris Pater, negotiationi materiarię constanti ac pertinaci studio incumberet, ut in vita ipsius imperatoris traditur. Terentios à *tereno*, quod est Savinorum lingua, molle, ut putat *Varro ad Lib. 1. ap. Macrob. l. 3. Saturnal. c. 13. ad finem.* Sed alia huiuscemodi multa videbis ap. *Cal. Rhodigin. l. 24. c. 5. 6.*

o *Plutarch. in* Mario. *& Problem.* 102.

p Benè dicit rarenter: nam quandoq; utebantur ut dicit *Fest. l.* 14. quod Cæcilia & Terracia Caiæ sunt appellatæ; pari modo Lucia & Titia.

Lib.

Lib. II. Cap. XI.

Qui Romani duces ex oppidis & provinciis vi subactis cognomenta desumpsere, & de Scipionum familia, & quid apud exteros.

CONsuevisse Romanos ex oppidis vel provinciis captis aut vi subactis plerumq; cognomenta ferre, memoriæ datum est. [a] Martium Cariolanum quod fortem strenuamq; operam Reip. navasset, capto Volscorum oppido Coriolis, *Coriolani* nomen sumpsisse ferunt. Et Sergium *Fidenatis* ex bello quod ad Fidenas gessit. Ex tribus vero Metellis, unus devicto Iugurtha, & vi subacta Numidia *Numidici*; alter Q. Cæcilius, L. Metelli filius, ex Macedonia, *Macedonici*: tertius ex Creta *Cretici* cognomenta sumpsere. Fuit & Metellus *Balearicus* ex devictis Balearibus cognominatus. Sed Numidicus L. Luculli avunculus fuit: Macedonici, Metellum Balearicum pleriq; filium, nonuulli fratrem dicunt. Creticum vero & alium Dalmaticum eius Macedonici filios fuisse, nulla controversia est. L. quoq; Mummius deleta Achaia & Corintho, *Achaici* cognomen tulit. Sed Corinthi superatæ prima laus Macedonici fuit. Is enim omnem Achaiam ita bello afflixit ut rebus accisis Mummius superveniens, levi certamine expugnatam Corinthum victoriæ suæ adscripserit. Messana quoq; in Sicilia & Isauria in Cilicia bello domitæ M. Valerio & P. Servilio *Messalæ* & *Isaurici* cognomenta dedere. Is enim Servilius vir acer fuit & strenuus, qui in Ciliciam cum imperio profectus illam collatis signis vi atq; armis domuit: Lyciæq; urbes clarissimas justo prælio vicit, Isauros primum bello aggressus imperio adegit. Victor denique triumphum ex hostibus & Isaurici nomen reportavit. Ex Allobrogibus quoq; Fabius *Allobrox*, & ex Caucis Germanicâ gente Gabinus secundus *Caucius* atq; ex Callaicis Brutus cognomento *Callaicus*, & ex Getulis Cossus *Getulici* nomina sumpsere. Callaici enim ulterioris Hispaniæ populi sunt, duri & agrestes, qui extima & montana inculta ac difficiles saltus & impeditos ad Oceanum incolunt. Ideo bellacissimi & subactu difficilimi fuere. Fertur tamen C. Turmius qui Garamantes ultra Æthiopes horridos & incultos bello vicit, ob modestiam & vitandæ invidiæ caussa, Garamantici cognomento abstinuisse. Scipionem præterea Aphricanum, qui dux fatalis contra Hannibalem fuit, Aphrica superata, & Carthaginensibus bello victis, *Aphricani* cognomen tulisse, & alterum ex devicto Antiocho & Asia subacta, *Asiaticum* cognominatum invenimus. Sed hic Asiaticus frater Africani fuit, quorum alter P. Scipio, nomine à se victæ gentis Aphricanus: alter L. Scipio frater Asiaticus dictus est, qui consul adversus Antiochum, primus Romanorum in Asiam signa intulit: cum eoq; consule Aphricanus frater legatum se gerens, pariter profectus est: illiusq; ductu & auspicio pleraque egregie gesta in hostes fuere. Victo

deinde Antiocho, & pace Eumeni conceſſa, ob Aſiam victam Aſiatici cognomen reportavit. His enim duobus fratribus Aphricano ſcilicet & Aſiatico pater fuit P. Scipio ex Corneliorum gente cum quo primum Hannibal Pœnus ſigna in Italia contulit: cuius fuit Cn. Scipio frater ſummi, ambo Imperatores, viri ornatiſſimi qui paucorum dierum intervallo in Hiſpania cæſi occubuere. Sed ex Publio hi duo, quos dixi Scipiones, Aphricanus ſcilicet & Aſiaticus filii extitere: ex Cn. autem P. Cornelius Naſica ortus fuit, qui unus *vir optimus* à Senatu judicatus, matrem Cybelem ex Peſſinunte ſuſcepit, Tyberiumque Gracchum ſeditiones in urbe molientem interemit. Fuit quoque & alius Scipio cognomento *Æmilianus*, prioris Aphricani nepos adoptivus, qui ob Africam & Numantiam bello domitas minor Aphricanus & Numantinus appellatus eſt. Sed hic Æmilianus quem dico, minimè ex Corneliorum gente propagatur, ſed adoptivus in nomen & familiam venit. Siquidem cum Scipio major Aphricanus filium haberet natura admodum tenui & imbelli, unde & *valetudinarius* vocatus, quod non ea vis animi foret vigorque, nulloſque liberos ſuſtuliſſet, ne decederet ſine liberis, hunc Æmylianum Lucii Pauli filium, ut multi credunt ex filia nepotem, in familiam nomenque adoptavit. Fuerat enim Scipioni Africano uxor filia Pauli Æmilii, qui conſul ad Cannas, ne tantæ cladi ſupereſſet, in conflictu belli cæſus occubuit, ex qua unicum filium tulit, filias vero duas, quarum altera Scipioni Naſicæ, altera Tyberio Graccho nuptæ fuere. Æmilio vero Paulo quatuor filii extitere: duo in adoptionem alterius familiæ dati, Scipio videlicet & Fabius: duo in poteſtate retenti, quos ex altera coniuge ſuſtulerat. Horum alter quinque diebus ante triumphum, quem ſpecioſiſſimum de rege Perſe, & omni Macedonia habuit: alter tertia poſt triumphum die, adhuc impuberes mortem obiere immaturam. Hic ergo Æmylianus ex reliquis Pauli Æmilii filiis junior fuit, gloria militari illuſtris: qui Aphricani nepos adoptivus avitæ virtutis memor provocatorem barbarum tribunus adhuc militum occidit. Cum patre adverſus Perſen acriter pugnans, egregia facinora geſſit. In Aphricam deinde cum exercitu profectus, tertium Punicum bellum confecit. Carthaginem & Numantiam funditus evertit. Parta deinde victoria, & rebus confectis cognomentum *Numantino & minori Aphricano* inditum fuit. Horum poſtea exempla ſecuti Cæſares ex provinciis quas vi & armis ſubegere, illuſtria cognomenta ob immoralem gloriam tulerant: ſæpe populi decreto, nonnunquam acclamatione Senatus. Siquidem Severus Imperator & reliqui poſt eum Cæſares ex Arabia, Adiabena, Parthia, Armenia & Germania, aliiſque bello domitis gentibus nationibuſque quas ſuo ductu & auſpicio conquiſivere, *Arabici, Adiabanici, Parthici, Armenici & Germanici*, ſicut *Sarmatici, Aphrici*, diverſis titulis cognomenta cepere. Fertur autem Valeriano Cæſari quod promptus ad arma & bellicoſior eſſet, milites militari ſtudio manu ad ferrum nomen indidiſſe: qui poſtea in imperio

delatum *Carpici* refutavit. Alexander vero Severus Imperator, licet imperatoris, patris patriæ, & magni cognomenta renuerit, asserens magnis rebus gestis ea sibi nomina parare oportere: tamen ob deletos Azavenos, *Azavenici* cognomen sumere non dubitavit. Trajanus autem contra Parthos victor, Parthici appellationem non accepit. Cui cum multi deferrentur honores reliquis posthabitis sola *optimi* agnominatione gavisus fuit. Commodus vero eo vecordiæ processit, ut pro Commodo *Hercules* Jovis filius dici maluerit, quod sibi postea in invidiam perniciemque cessit. Apud Græcos non ab Oppidis & provinciis sed à rebus gestis magnificè *Soter & Callyneos* dicti: à forma & specie corporis *Physcon*, & *Cyripus*: ab excellentia crurum, *Eucnemos*; à virtute, *Evergetes* & *Philadelphus*: à fortunæ felicitate, *Eudæmos*; à multiplici victoria, *Nicanor*: ab urbium expugnatione, *Polycrates*: à fortitudine *Achersites* aut *Aquilæ vel fulminis* nomina fuere: quare Pyrrho ab Epirotis *Aquilæ* nomen inditum à multiplici doctrina *Polyhistor*: ab optimo consilio *Aristobulos* dicti. Quibusdam Regibus *livor & vitium*, nonnunquam *ignavia & nequitia* cognomentum dedit; quippe Antiocho regi Macedoniæ, quod multa promitteret, parum efficeret, *Doso*: Ptolemæo *Lamyro*, ob vitæ turpitudinem nomen fuit. Antigonus quoque à rapacitate *Hierax*, & à Genuum magnitudine *Gonatus*. Alii à verborum obscuritate *Scotini*, & ab amentia *Ccalemi*, atque ob fictos mores *Laconistæ* notam nominis tulere: sicut Xenarchus Rhodius à bibacitate *Metretes*: & Atheniensis Diotinus, *Chone*, hoc est, *infundibulum* quod illo apposito affatim hauriret. Demochares vero ob procacem linguam, *Parrhesiastes*: & Demosthenes ob morum feritatem, *Arges* serpentis nomine appellati sunt. Inter quos Varo Sophistæ à forma nasi ciconiæ comparis, *Pelargus* nomen factum. Nonnullis vero ob claritudinem, *Lychni* dixere nomen, sicut Artaxerxi, *Mnemoni* quod memoria valeret. Pericles summus orator ob dicendi elegantiam & sermonis magnitudinem, *Olympius*, Dion, *Chrysostomos*: Phocion ob frugalitatem *Chrestus seu bonus*: Cleomenes & Ptolemæus *benefactor* nuncupati. Aristides ob morum sanctitatem *justi*: Callimachus propter studium miræ artis, *calotechnos*, sicut alter ob artis calumniam *cacotechnos* sumpsere nomen. Alcæus tamen Pittacum *Sarapodam* quod latos haberet pedes, cognominavit, Antiochus vero Syriæ Rex elatus supra modum hominis, cum vanum titulum vendicaret, cognomento DEUS dici voluit: sicut apud Romanos Domitianus & Cajus princeps, qui *Optimum maximum* & *Latialem Iovem* se dici jussit. Proditus tamen est Maricus quidam è plebe Bojorum cum DEI nomen sibi arrogasset, & non spernendam manum perditissimorum ascivisset, quos ingentibus promissis corruperat, ita ut in Romanos ferret arma, postea captus & occisus, falsi inditi nominis gravissimas pœnas dedisse. Sicut Selvus ignotus homo, qui se *Ætnæ filium* mentitus erat, cum loca circa Ætnam cum perditissimis & facinorosis prædaretur, à Romanis captus, in ludo

gladia-

gladiatorio ictibus bestiarum occisus fuit. Cui haud absimile est, quod de Euno Syto proditur, qui cum nuce juglande in os inclusa, ignem evomeret, simulans se Deæ Syriæ numine afflatum, apud servos & infimam plebem *divinus* habitus, primo duo hominum millia in Sicilia spe rapinarum ascivit, mox effractis carceribus ad sexaginta millia coegit, Manliumq; & Lentulum prætores justo prælio vicit & profligavit. Deniq; à Romanis coërcitus, post multiplices clades suæ temeritatis meritas pœnas dedit.

Libri IV. cap. XIII.

Quæ vitia ex loci natura aut cæli climate quibusdam gentibus ita innata sint, ut illa habeant propria ac perpetua.

LVcium Parthenopæum dicere solere memini, quod sicut quædam regiones sunt quæ *acuta ingenia* & solertia gignunt, ut quibus est aër purus & tenuis, velut *Athenis*: alia quæ *retusa* & hebetiora, ut quibus crassus & pinguis sicut *Thebis*: ita ex cœli rigore vel clementia, nonnunquam ex siderum statu vel influxu, virtutes vitiaq; gentibus innasci, quæ ingenita adeo loci incolas afficiunt, itaque corporibus animisq; insident, ut illa habeant propria & perpetua. Siquidem *Campani superbi* natura & bonitate agrorum ex mitissimo cœlo & affluenti copia voluptatum terrestrium maritimarumq; rerum semper habiti sunt. Domicilium enim superbiæ, (ut Cicero inquit) penes *Campanos* fuit. *Argivi* & *Brutii* ex more insito genti *latrones*. Illorum namq; ingenia latrociniis læta sunt, & rapinis gaudent. *Rhegini pavidi* & formidolosi. *Itali nobilitate* præstant, & regali quadam magnificentia lauti & magni sunt. *Galli* super insitam genti vanitatem *mobiles* & stolidi contentionis avidi, consiliisque capiendis non ratione sed impetu feruntur: tamen religioni deditos esse, haud dubium est. *Hispani jactabundi*, duri & parci, abactoresq; acerrimi, ad inediam laboresq; atq; ad mortem parati. *Græci* licet ingenio & facundia præstent, eos tamen nationis vitio (unde Græca fides in proverbium venit) assentatores, leves, atq; *infideles* esse manifestum est. *Cappadoces, Cilices, & Cretenses*, suopte ingenio fraudulenti & *mendaces* quippe promissi fidem fallunt, & periurio se adstringunt, in quorum notam Græcum illud est, τρία κάππα κάκιστα. *Aphri* subdoli & mendaces: cum enim multum classe rebusq; maritimis valeant usu & commercio multarum gentium ad fallendum proni & solertes sunt. Apud eos enim frequenter mercatores ventitant, & studio quæstûs quæ usui sunt merces important. *Numidæ* vero levissimæ fidei ingenia. *Chii* petulantissimi. Nam cum Tribunal Ephororum fœdassent, ob petulantiam qua naturæ vitio laborant, ab Ephoris impune tulere. *Galatæ* minaces, *Syri* cupidi & avari, præter modum rerum appetentes, gens inquieta, avidaque in novas res. *Alexandrini* derisores & dicaces. *Indi* & *Persæ* otiosi: neque enim

abs re

abs re proditum est, otium fratrem esse libertatis. Quod de *Ætolis* quoq; traditur, qui nullius imperio paruerunt. Hi enim cum perpetuo liberi sint, in ocio degunt. Contra vero *Lydos* & *Phryges*, quum Regibus serviant, negotiis intentos esse & laboriosos *Emporitani* imbelles & barbari. *Ætoli & Locrenses* fœdifragi. *Druidæ* religiosi & malefici, supra quam dici potest: nam dedita superstitionibus gens, in sacris hominem immolant, & cruore captivorum adolent aras: viscumque & alia dictu nefanda pro numinibus colunt. Fuere enim Druidæ gens Gallica in Belgis, apud Gallos præ omnibus sacri. Sicut enim apud Persas *magi*, in Græcia Philosophi, in Babylonia Chaldæi, apud Indos Brachmanes, in Æthiopia gymnosophistæ, apud Scythas Agrippæi, Abii, Calvii, in Ægypto Heliopolitani, apud Hyperboreos Arymphæi, atq; in Hispania Turdetani, sacri habentur: sic apud Gallos Druidæ magno in pretio sunt & divinis prope laudibus celebrati. Emporitani autem in ora minoris Syrtis juxta Aphros Numidasque degunt, agri huberis & fertilis soli. *Germani* vero & *Cimbri* duri & laboriosi latrociniis tamen & rapinis, quarum nullam infamiam putant, à pueritia dediti: quare Cimbros Germani prædones vocant, quoniam vires ad impetum validæ sunt, sed momento temporis dilabuntur. *Corsi* diri & immanes horridis ingeniis: quippe qui ipsas beluas crudelitate vincant, truci ore ingenitam immanitatem præferentes. *Scythæ* quoq; rapidi & feroces, & dirâ feritate grassantes, suis tamen rebus contenti, nihil alienum appetentes, apud quos nihil est furto gravius. *Asiani, Iones, Abydeni, Medi, Arabes, Tarentini & Galatæ* molles & effœminati, enervatis animis ad inertiam nequitiamque parati, omnibus imbuti delinimentis, in gymnasiis & turpibus amoribus exerciti. Illecebræ enim luxuriæ ad extinguendum vigorem animi apud eos sunt: Addebat etiam *Siculos* vasto & monstrifico ingenio, & *Astos* supra Byzantium, dolosos maximè, contra vero *Cumanos* in Æolia hebetes & insulsos quippe qui pluviæ tempore, nisi admoneantur voce præconis, porticus non subeant. Sicut *Bœotios & Thebanos*, qui plus habere virium quam ingenii feruntur. Et *Syracusanos* variæ multiplicisque naturæ aut enim excellentissimos esse & omni virtutum genere præditos, aut improbissimos & omnibus vitiis depravatos: quod de *Atheniensibus* quoq; proditur. Atq; *Heduos* iracundos & temerarios turbulenti & concitati animi. Et *Ligures* duros, agrestes, & fallaces suapte natura, & ex sterili agro & aspero quem incolunt, nihil ferendo nisi magno labore partum. Sed cum Ligurum quidam Firmates, nonnulli Apuani, pleriq; Montani, alii Hiluaces, alii Frusinates dicantur, hoc non convenire nisi transmontanis Liguribus asserebat. His enim cum longe ab hominum commercio & cultu distent, & in arido solo luctentur, facile evenire, ut agrestes, duri & immânes fiant, Hoc modo *Lucius noster* apud nos sermocinatus peracri judicio, locorum mores examinabat, vitiaque & virtutes rimabatur. Sed quia mentio locorum & morum distinctio facta est, hoc dicere ausim longâ observatione probatum, eas regiones quæ cœli clementia & affluenti copia gaudent, sensu hebetes & obtusâ mente plerumq; homines gignere:

quæ vero difficiles & agrestes sunt, singulari ingenio viros educare. Ita enim parens natura, sive ille effector mundi Devs comparavit, ut ubi rerum hubertas & copia sit, ibi bonarum artium studia sæpe & ingenia desint. Sensit tamen *Aristoteles*, eos qui Scythiam versus loca deserta incolunt, animo quidem abundare, ingenii non satis habere: qui vero mitiorem plagam, ingenio & arte præstare. Neq; omiserim, quod *Maximus Tyrius* Græcus auctor cum primis prodidit, *Crotoniatas* palestra & gymnico certamine valere, *Lacedæmonios* autem pedestri, *Athenienses* vero navali, venatu *Cretenses*, *Sybarites* luxu, *Thebanos* vero tibiis, *Iones* autem choro & cantu. Qui etiam adnotavit vulgari adagio ferri, *Medicam* mollitiem, *Sardanapali* luxum, delicias *Ionicas*, *Siculas* mensas, saltationes *Sybariticas*, *Corinthias* meretrices. Artium quoq; disciplinas Menander dixit nativâ consuetudine distingui nationibus variis: Namq; *Mitilenæi* cithara delectantur, *Thebani* tibia, *Alexandrini* geometria valent, *Athenienses* statuaria & pictura, *Crotoniatæ* medicina, *Æginetæ* athletarum pugna. Quod proximè accedit ad id, quod *Eustathius* memoriæ prodidit, forsan mutuatus ab illis, *Bœoticos* circa palæstram reliquasq; artes gymnicas valde probari, *Athenienses* in navalibus, *Thessalos* in equestri, (quippe cum ex equo primum pugnare docuerint) *Lacedæmonios* legibus valere, *Cyrenæos* in ephectica scientia. Quod autem de *Thessalo* equitatu dictum est, qui conserto prælio insuperabiles erant, non prætereundum, *Philippum Macedonem, qui totius Græciæ communis hostis & prædo* habitus est, ut Thessalos equites, velut firmissimum robur, & longe optimos bello, suæ phalangi adjungeret, Thessaliam propterea invasisse illamq; incendiis & ruinis deformasse.

Ex notis Tiraquelli.

Adde ad omnia præcedentia, *Parthos* timidos, seditiosos, fraudulentos suæ natura fuisse. *Iustin. lib.* 41. *Ægyptios* vanissimos, novandis quàm gerendis rebus aptiores, irritabiles & è minima scintilla fueros magnas seditiones accendere, invidia & jactantia innata, ut vel modica felicitatis aura adspirante, irrideat fastidiatq; plebeiorum hominum in parando victu studium & diligentiam. *Philo lib. de agricult.* Ægyptios itidem atq; *Phœnices* quæstus avidos *Plat.* 4. *rep. Samnites* fallaces ex *Floro lib.* 1. *Epit. Rutulos* audaces, *Virg.* 4. *Æn. Illyricos & Thraces* rapto assuetos vivere, *Curt. l.* 3. *Thraces* ubi non timent, truculentos *Thucyd. l.* 7. *bel. Pelopon. Mardos* cultu vitæ asperos & latrociniis deditos. *Curt. l.* 6. *Cadusios* genus hominum ferox & bellicosum. *Plut. in Artax. Rhodios* superbos. *Hom.* 2. *Il. Liv.* 5. *dec. l.* 4. *Lacedæmonios* fastuosos, & bellicis tantum rebus incumbentes, in hisque tantum laborantes, idque solùm in pretio habentes. *Plut. in Nic. f. Philostr. l.* 4. *vitæ Apoll.* sed cunctatores, & vix in ea, in quibus fidunt, ingredientes. *Liv.* 5. *dec. lib.* 5. *Lusitanos* insidiosos, scrutatores, veloces, agiles, versatiles. *Strabo l.* 3.

Quantum cultu, peregrinatione, conversatione, & quod præcipuum est, religione, de his moribus mutatum, ista dies & bella docent, nec dissimulat Icon animorum: *sic tamen*

ut non

ut non dubitandum mitissimos populorum in ferocissimos atq; truculentissimos versum iri Thraces, nisi imbelli huic bello divina potestas fibulam ponat & ipsa pro imperio receptui canat. Quod faciet Pacis & amorum superis imisque sequester *si Numinis sui cultorem unum atq; alterum superesse voluerit, antequam Psaltes suum illud occentet:* Ne unus quidem.

Excerpta ex c 5. lib. 24. *Cæl. Rhodigini lectionum antiquam.*

§. 1. Ad secretius nominum etymon venio: siquidem facturum me operæpretium arbitratus sum, si parte hac potissimum quid in hoc nomenclationis aucupio, mutis ex magistris compertum nobis sit, appingere adortus fuero. Quando & apud Græcos huiusce rei plerique studiosi illuc provecti demum sunt, ut etiam *Onomatotheræ* dicerentur, i. e. velut nominum venatores, nova sibi consarcinantes vocabula, rerum intuiti proprietatem. Cuiusmodi fuisse videtur *Siculus Dionysius*, qui *virginem* vocabat *Menandrum*, quia μένει τὸν ἄνδρα, manet expectatque virum. *Stylon* verò, i. e. columnam Menecratem, quoniam manet continetque. Murum autem conceptacula, rectè dici *mysteria* conjectabat, quia mures servent, quod τηρεῖν dicitur. Idem etiam bovem vocabat garotan: porcum verò, tacchum. *Alexarchus* quoque Vranopolin qui condidit, nomina sibi confirmavit, non audita multis: nam gallum orthovocan dicebat: drachmam, argirida: chœnica, hemetrophida. Sic & *Atticus Herodes* lignum quod inseritur rotis trochopedam nuncupavit, quum per acclivia vectaretur; aliis epochlea vocantibus. Anchoram *Sophocles* etiam ischada nominavit, quoniam navem contineat. Sed nos eo quidem gratiùs ista complectimur præcipuè quoniam *à Fabio* proditum scimus, scrutaturum mille præceptorem acrem atq; subtilem origines nominum, ut quæ *ex habitu corporis rufos longosq; fecerunt.*

§. 2. Vbi erit aliud secretius, unde *Syllæ*, BVRRI? In quo præterea, quæ ex *Macrobij* Cœnis circumferuntur omnium ex chartabulis & glossematis studiosus commonendus lector est; esse qui *Sillam* dictum putent, à *silo naso*, qui est sursum versus & repandus. Sed non ignorandum à Græcis pariter & Latinis SYLLAM per Y Græcum scribi, quod ex monumentis Suidæ perspicuum est. *Plutarchus* tamen ita prodit, *Ex corporis quoque habitu* denominationes ritè imponi solent, ut SILLI, NIGRI, RVFI, verum etiam COECI & CLODII. Sic & ap. Græcos *à forma* imponi cognomina invenias, ut PHISCONEM CIRRHIPPVM. Physcam illi vocant intestinum crassius, in quod farina infarciatur & caro, fiuntque qui dicuntur allantes, παρὰ τὸ ἀθροίζειν τῶν κρεῶν, à carnium congestione: unde allantopoles, qui etiam salsicopoles vocatur

venditor id generis farciminis. Hinc restituitur egregiè *Valerij* locus *libro nono, capite primo*, Ptolomæum prodentis *Physconem* cognominatum: quanquam vulgo Physicum legi audio, vel Phytonem: sententiam nostram Strabone comprobante, CIRRHIPPVM verò, ab equis & cirrho colore dici puto. Cirrhum vinum legas sæpicule ap. Dioscoridem & alios. Cirrhum, fulvum interpretantur, id est πυῤῥὸν aut etiam igneum.

§. 3. SENECAM Cassiodorus putat inde duci, quoniam cui primò cognomentum id impositum, canus sit natus: Sicuti de Numa Pompilio lectum est. Ad quod allusisse. *Vergilium* credunt,

Agnosco crines, incanaq; menta
Regis Romani.

Quin etiam Thyrrenum, à quo Tyrrhenia nuncupata ab ineunte pueritia incanuisse, traditur fabulis: Sed ad egregiam indolem id *Strabo* referendum putat.

§. 4. CAIVM invenio in Græcorum monumentis appellatum ab Italis & Tarentinis mercenarium, aut etiam rudem hominem ac planè brutum: quia à γέα, quæ terra est, derivetur γεῖος & γάϊος, Nam à γαῖα, inflectitur γαῖος: unde bos γαῖος dicitur, velut colonus: & γαιζῆται: dicti Galatæ, qui patria excidentes terram quæsiere, quam incolerent. PANSAM verò idem *Cassiodorus*, ab expansis & porragineis capillis.

NERVAM à fortitudine vestigii. MVRENAM à nervoso corpore. GALBAM à colore lurido dici opinatur: est enim (inquit) Galbeus passeris nomen, luteis pennulis. *Suetonius* verò ambigi scribit, cur id Sulpitiæ gentis factum cognomentum sit. Quidam enim putant, eum, qui sit primò ita nuncupatus, inde appellationem duxisse, quòd oppidum Hispaniæ frustra diu oppugnatum, illitis demum Galbano facibus, succenderit. Alii quod in diuturna valetudine galbeo, id est, remedio lanâ involuto uteretur assidue. Nonnulli, quod præpinguis fuerit, quem *galbam* vocant Galli. Vel contra, quod tam exilis, quàm animalia quæ in æsculis nascuntur appellanturq; galbæ. Quod de Galbeo remedio *Tranquillus* scribit, sciendum, tradidisse alios, galbeum sive calbeum dici armillas, quibus uterentur triumphantes, quibusq; ob virtutem (ut *Festus* inquit) donarentur milites. Galbana verò vestimenta erant delicatorum, quæ à viris gestari, mordaciter taxavit Satyricus Poeta:

Cerulea indutus scutulata & galbana rasa.

Inde apud *Martialem* galbanatus, & galbini mores, pro mollibus & Supinis: nam tunicam galbinam, à colore dici volunt candido. Eius in Aureliano meminit *Flavius Vopiscus*. Galbulos verò, cupressi fructus dicunt. Sunt qui galbana pro nauticis accipiunt vestimentis: Sicuti vulgò nuncupantur, unâ extrita litera.

§. 6. Lentulo SVRÆ cognomen adhæsisse, scribunt eruditi, quod Sylla dictaturam gerente, quum quæstor publicæ pecuniæ vim haud parvam prodegisset,

giſſet, eoq; nomine plurimùm Sylla indignaretur, ab eoq; impenſiùs rationem exigeret, progrediens in Senatum is negligenter admodum & per contemptum, Rationem (inquit) non reddo, ſed crus exhibeo: veluti aſſolent pueri, quum in pilæ luſu aberraverint.

§. 7. PERTINACI mox Romano Imperatori, cooptatum legimus cognomen à patre, quod negotiationi materiariæ conſtanter ac pertinaci ſtudio incumberet: hic eſt, ut fortunæ luſum contemplemur obiter, qui literis imbutus elementariis & calculo, quum Græcè item didiciſſet, Sulpitioq; operam dediſſet Apollinari, poſt eum grammaticen eſt profeſſus. Eo tamen provectus per laborum genera univerſa, uti *fortunæ* vocaretur *pila*.

§. 8. Scribit *Dion*, quod propter *Quintilianum libro primo* ſcitu dignum eſt, ad ea quæ alibi diximus; Helium Cæſarium imperii cum Nerone participem jugulandos curaſſe SVLPITIVM Camerinum civem primarium, ac eiuſdem filium, dantem crimini, quod cognomento hæreditario PYTHICI quum dicerentur, in Neronis Pythicas victorias impii ἐκ τῆς ὁμωνυμίας viderentur.

§. 9. Ab rerum geſtarum excellentia præſigni, *Pyrrhum* eſſe AQVILAM cognominatum, i. e. ἀετὸν, prodit hiſtoria.

§. 10. BVCCONES appellatos credunt (*Pomponio Feſto* tradente) à buccarum magnitudine: ſed alii Bubones ſcribere malunt.

§. 11 LAPPAM, ab inculto capite appellationem duxiſſe tradunt. SVRAM à ſurarum nervoſitate. HALAM à fœdo oris halitu. Ad veteres ferè inſcriptiones, Ahala præferunt: *& in Oratore M. Tullius*, Quin, (inquit) ſæpe contrahuntur verba, non uſus cauſa, ſed aurium; quomodo enim veſter Axilla, Ahala factus eſt, niſi fuga literæ vaſtioris? Additam verò flatilem opinantur, hiatus reclinandi gratia.

§. 12. CAPELLAM à capillorum hirſutie, FENESTELLAM à calvitie. COLVMELLAM, à proceritate. ARVINAM, à pinguedine. PERGVLAM adulteri eſſe cognomen dicunt, qui mariti adventu latuerit in pergula. MAMMVLAM, quod foret papilloſus. NASICÆ nomen dedit obuncus naſus. LECCÆ amor meretricius. MASSAM dicunt, furem ſignificare. LAMIAM porro vocacem. ANTIGONVM quendam Macedonum Regem, GONATVM fuiſſe cognominatum accepimus, fortè à genuum magnitudine.

§. 13. ASTYNOMVS dici videtur, civitatis lex. Fuere tamen Athenis Aſtynomi decem, quinq; in Piræeo, totidem in urbe. Ad eorum curam pertinebant pſaltriæ ac tibicinæ, ſed & qui vocabantur coprologi, & id genus alia pleraque. Verum, id amplius advertendũ ex *Euſtathij* fontibus corrivatum, & literatoribus diu non percognitum. Aſtynomen nuncupatam Chryſæ filiam, ab Homero dictam *Chryſeida*: ſicuti *Briſeida* vocat, quæ fuerit Hippodamia. Erant verò Briſes Chryſeſque (ut eſt in veteribus traditum chorographiis) fratres: ex quibus Briſes Padaſum incoluit, Chryſam vero Chryſes; quorum pater fuit Ardys.

§. 14. SISYPHVS idem esse veteribus videtur, qui & *Theosophos*: siquidem deos in Peloponneso sius dicunt, & ratione Æolica Syphos dicitur Sapiens, quem Sophon enunciat communis lingua. Hunc fabula tradit mortem in vincula coniecisse, immissam, quod Asopo Æginæ filiæ raptum à Jove significasset; quod ad pacatum Sisyphi imperium putant referendum. Forte verò & Acesodyna excogitavit primus, i. e. dolorem sedantia, ac morborum antipala, ut Græci dicunt, quia ægritudinibus obluctentur.

§. 15. COTHONIAS nuncupatus creditur *Thynnotheræ* filius, id est thynnos venantis, seu expiscantis: quoniam gobios, siculi cothonas dicunt, & in Halieutico *Numenius* cothos.

§. 17. Sunt & *locis* sua ab eventu ascita nomina, de reliquis sileo, interim illud non omiserim: NAVÆTHVM in Italia fluvium, à navium exustione sic nuncupatum, quod scribit *Apollodorus*: quia Laomedontis filiæ, ac Priami sorores, Æthylla, Astyoche, Mydesicastæ, cum captivis aliis illuc appulsæ naves incenderunt, ex quo & ipsæ NAVPRÆSTIDES nuncupatæ. Auctor *Plutarchus* est, dictam fuisse Romam, quæ cæteris incendium suaserit Holcadum Græcarum. Sitæam vocat Lycophron:

Ex capite 6. Eiusd. Libri.

§. 1. Porro à *virtute* quidam cognomina traxere, ut EVERGETES & PHILADELPHVS, auctor est *Strabo*: ne sine capite (quod ajunt) rumusculos corrogare videamur, odorarique: quando, ut nunc est, non exarmatos licet cum sciolis nasutioribus pedem conferre: *Ptolomæum* ex Ægypti regibus Philadelphum vocitatum, cognoscendarum rerum fuisse perstudiosum, & ex insita corpori imbecillitate novi aliquid semper scrutari solitum, quo se & improsperam oblectaret valetudinem. Philadelpho huic in principatu successor fuit *Evergetes*, quum ipse post Ptolomæum Lagi, qui Alexandro successerat, obtinuisset imperium. Inter Ægypti Reges fuit & *secundus* Evergetes, quem Physconem dixere. Fuit & Ptolomæus κεραυνὸς cognomento, i. e. *fulmen*, ex promptitudine audaciaq;, ut tradit *Pausanias*.

§. 2. A felicitate quidam etiam cognomina sibi ascivere, sicuti testatur EUDÆMONIS appellatio: qua *Bassum* secundum fuisse ornatum, vetus testatur historia. Vnum tamen hominem ad id ævi FELICIS sibi cognomen Syllam ascivisse, *Plinius* author est, civili sanguine ac patriæ oppugnatione adoptatum: quodque Metelli Pii fuit amicus, sicut *Plutarchi* Apophthegmata testantur, & quòd Athenas non delesset. Scribit *Alexandrinus* imaginem Syllæ ex auro equestrem ante rostra collocatam, addita ab adulatorib. inscriptione eiusmodi, Cornelio Syllæ imper. *fortunato*. Sic enim (inquit) assentando appellabant, quòd in hostes feliciter debellasset. Quod abblandimenti genus, stabile mox est cognomentum

eum consequutum. Sed ex decreto idem VENVSTVM se appellari voluit, quæ nuncupatio à felici non ita videtur dissentanea.

§. 3. VARIOS dici observavimus, qui semine vario, i. e. è meretrice concipiuntur: nam & sic appellatum *Heliogabalum*, auctor *Lampridius* est. *Heliogabali* vero illi ascitum cognomen, ab Heliogabali DEI sacerdotio, quem alii Jovem interpretantur, solem nonnulli.

§. 4. *Mores* etiam plerisque extra iam dictos varias contribuere appellationes: sicut mordacitas Ptolomæo LAMYRI cognomentum inussit. Garrulum enim Græci Lamyrum vocant, sed & comem, facetumque, & oblectabile ac amœnum, item stupendum: ut in Epigrammate,

Βρωμολοιγὸς ἔρως τὰ πυρίπνοα τόξα βάλλει,
Καὶ λαμυροῖς ὄμμασι πυκνὰ γελᾷ.

§. 5. Atheniensis *Diotimus* CHONE, *infundibulum* est cognominatus: quoniam eo apposito ori incessanter infusum hauriret vinum. *Xenarchus* Rhodius, uti meminit *Euphorion*, ex bibacitate quam polyposian dicunt, METRETES est cognominatus.

§. 6. Paulus quidam Imperatoris Constantii tempestate cognomen indeptus CATENÆ est: quoniam esset (ut *Ammianus* inquit *Marcellinus*) in complicandis negotiis artifex dirus. *Traianum* Senatus decreto esse cognominatum OPTIMVM, scribit Dion. Quod in uno *Scipione Nasica Plinius* admiratur. ANTICYRAM meretricem inde nuncupatam ferunt, quòd cum mentis emotæ furentibusq; discumberet: vel quod Medicus Nicostratus moriens, hellebori vim ei magnam reliquerit, aliud præterea nihil.

§. 7. *Antiochum* ex Macedonum regibus quendam fuisse DOSONEM cognominatum legimus, quòd multa promitteret, pauca impleret: nam δώσω, futurum est à verbo δίδωμι, ceu diceretur Antiochus *Dabo*. Cuiusmodi fuisse videtur Atheniensium Imperator CHARES: cuius miræ inter Græcos pollicitationes sunt vel frequentissimæ. i. αἱ χάρητος ὑποσχέσεις, quib. multi aureos se in Olympia staturos, lætè conjectabant: sed ita, ut nunquam non aëra se captasse, mox agnoscerent. *Pertinacem* Imperatorem scribit *Iulius Capitolinus*, vulgo CHRESTOLOGVM esse nuncupatum, quod benè loqueretur, malè faceret. Relatum id & ab *Sexto Aurelio*.

§. 8. PHOCAM *voracem* signare arbitrantur. PERPENNA dici videtur is, quis sit larido deditus quo nomine caro intelligitur salsa, *Macrobio* tradente.

§. 9. THETIN pro mari accipit *Lycophronis interpres*, quoniam sit ἐπιθεσίας αἰτία, i. aptitudinis causa: se vocatis enim in locum unum aquis, comparuit arescens terra: sicque universi prompta εὐκοσμία est, ac si *decoram* vocemus *concinnitatem*.

§. 10. CA-

§. 10. CAMILLVM à Cadmo duci arbitror: nam id fuit quandoque Mercurii epitheton, unde inflectitur Cadmilus ap. *Lycophronem.*

§. 11. *Eventus* quoq; multorum cognominum præstitere causam: nam & Metellorum quendam constat VITTATVM dici consuesse: quoniam cum ulcus haberet, diu frontem vittâ ligatus processit in publicum: Sicut DIADEMATVS quidam est ita nuncupatus à Diadematis usu, quod à vittato discrepat non multum.

§. 12. *Lycophrona* VATEM cognominatum ferunt, quod ænigmaticè καὶ πανούργως scribat, quæ sua est lupis natura. *Metellum* vero CELERIS cognomen esse indeptum, observavimus, quoniam paucis diebus à patris obitu funebres ludos & gladiatoria munera celeritate admirabili exhibuerit.

§. 13. In gente Claudia fuit, qui CAVDEX nuncuparetur, ut scribit *Seneca*, quòd Romanos induxit primus navem conscendere, nam plurium tabularum contextus, *Caudex* dicitur.

§. 14. ACHILLEM scribit *Euphorion* videri nuncupatum, quod non chilo, id est cerealibus cibis, primùm sit connutritus, verùm ex infantia medullis animalium, mox & carnibus venatu comparatis, quum illi foret pædagogus Chiron. Chili mentio item *Xenophonti* est, ubi ex castris abiisse milites scribit, διὰ χιλὸν, veluti frumentatum dicas. Sunt qui (*Eustathio* tradente) dici Achillem opinentur, quod bello victis tristitiam immitteret. Alii, quod Ilienses mœrore confecerit; quo etymi argumento, L. simplici scribendum arbitrantur, succinente vel analogi ratione. Nam sic Oileus dicitur, & Basileus, id quod pluribus comprobat *Lycophronis interpres.* Scribit *Apollodorus* LIGYRON huic fuisse prius nomen, mox Chironi traditum esse Achillem nuncupatum.

§. 15. Verum ut parte hac, ne ab jocis quidem abstineamus, quum apud *Regillianum* mox Imperatorem fortè cœnarent milites, affluit & Tribunus Valerianus, à quo illata quæstio, undenam credatur REGILLIANI nomen productum: & unus, A re, flexum opinor. At qui aderat fortè Scholasticus, grammatico more inflectere orsus est, Rex, regis, regi, regillianus. Succlamatum evestigio ab militibus, uti est hominum genus, ad id quod cogitat præproperum, Rex ergo esse potest? & regere igitur nos potest? & à Deo inditum hoc nomen. Quid amplius? quum postridie publico se commisisset, à Principibus Imperator est consalutatus. Porro L. *Iulius* tribunus plebis primus rogationem tulit, quot annos nati quenq; magistratum peterent caperentq;. Inde cognomen familiæ inditum, ut ANNALES appellarentur.

§. 16. Scitu vero dignum illud est à magni nominis auctoribus prætermissum: C. *Fabium* collegam in censura Appii Claudii, cui CÆCO mox cognomen factum, VENOCEM fuisse nuncupatum ob indagine solerti conquisitas Appiæ aquæ venas, quæ M. Valerio Maximo, P. Decio consulibus inducta in Vrbem est, appellatione ab Appio eodem conciliata, Fabio se Magistratu abdicante.

Ex

Ex Macrobii l. Saturnal. c. 7.

§. 1. PAPYRIO puero cognomentum honoris gratia decreto inditum PRÆTEXTATVS: ob tacendi loquendique in prætextata ætate prudentiam. Hoc cognomentam postea familiæ nostræ in nomen hæsit.

§. 2. Non aliter dicti SCIPIONES, nisi quod CORNELIVS, qui patrem luminibus carentem pro baculo gerebat, SCIPIO cognominatus nomen ex cognomine posteris dedit. Sic MESSALA tuus, Aviene, dictus cognomento VALERII MAXIMI, qui postquam Messanam urbem Siciliæ nobilissimam cepit, MESSALA cognominatus est. Nec mirum, si ex cognominibus nata sunt nomina: cùm contrà & cognomina ex propriis sint tracta nominibus: ut ab ÆMILIO ÆMILIANVS, à SERVILIO SERVILIANVS. Hic subjecit EVSEBIVS: MESSALA & SCIPIO, alter de pietate, de virtute alter, ut refers cognomenta repererunt. Sed SCROPHA & ASINA, quæ viris non mediocribus cognomenta sunt, volo dicas unde contigerint; cum contumeliæ quàm honori propiora videantur. Tum ille: *Nec honor, nec injuria sed casus fecit hæc nomina.* Nam ASINÆ cognomentum CORNELII datum est quoniam princeps Corneliæ gentis empto fundo, seu filia data marito cum sponsores ab eo solenniter poscerentur, asinam cum pecuniæ onere produxit in forum, quasi pro sponsoribus præsens pignus.

§. 3. TREMELLIVS vero, SCROPHA cognominatus est, eventu tali. Is TREMELLIVS cum familia atq; liberis in villa erat, servi eius, cum de vicino scropha erraret, surreptam conficiunt. Vicinus advocatis custodibus, omnia circumvenit, ne quà hæc efferri possit: isque ad dominum appellat restitui sibi pecudem. TREMELLIVS qui ex villico rem comperisset, Scrophæ cadaver sub centonibus collocat, super quos uxor cubabat. Quæstionem vicino permittit. Cum ventum est ad cubiculum, verba jurationis concipit, nullam esse in villa sua scropham, nisi illam inquit, quæ in centonibus jacet: lectulum monstrat. Ea facetissima juratio TREMELLIO SCROPHÆ cognomen dedit.

ANDREÆ ALCIATI.

Doctorum agnomina.

EMBLEMA XCVI.

MORIS *vetusti est, aliqua professoribus*
Superadjici cognomina.
Faciles apertosq; explicans tantum locos,
CANON *vocatur Curtius.*
Revolvitur qui eodem, & iteratq; nimis
MÆANDER, *vt Parisius.*
Obscurus & confusus, ut Picus fuit,
LABYRINTHVS *appellabitur.*

Nimis brevis multa amputans, ut Claudius,
MVCRONIS *agnomen feret.*
Qui vel columnas voce rumpit, Parpalus,
Dictus TRVO *est Scholasticus.*
Contra est vocatus, tenuis esset Albius
Quod voce, VESPERTILIO.
At ultimas mutilans colobotes syllabas,
HIRVNDO *Crassus dicitur.*
Qui surdus aliis solus ipse vult loqui,
Vt STVRNVS *in proverbio est.*
Hic blæsus, ille raucus, iste garriens:
His sibilat ceu vipera.
Tumultuatur ille rictu & naribus,
Huic lingua terebellam *facit.*
Singultit alius atq; tussit hæsitans.
At conspuit alius, ut PSECAS.
Quam multa rebus vitia in humanis agunt,
Tam multa surgunt nomina.

Sic est natura vel potius consuetudine quadam comparatum, ut citius vitia, quam virtutes observemus, & maximè in iis, qui literas profiterentur. Quod hic planum facit *Alciatus* in quibusdam superioris sæculi Jurisconsultis, vel etiam, quantum conjicio, in aliquot aliis, qui suo tempore minus apte ius civile profitentur (quorum tamen, ut parerat, nominibus parcit) unde singuli singula in scholis cognomina sunt sortiti, quibus notaretur ingenii vel naturæ proprium & peculiare vitium in legibus enucleandis, vel hoc generalius accipi potest. Homines enim imperiti, ut etiam argutuli quidam auditores, qui nasum rhinocerotis habent, faciliùs quod stultè dixeris reprehendere, quam quod sapienter tacueris, probare possunt, ut ait 2. *de Orat. M. Tullius.* Magnum profectò onus est atq; munus, ut ipsemet asseverat disputatione 1. *de Natura Deorum*, suscipere atque profiteri sese omnibus silentibus unum maximis de rebus magno in hominum conventu audiendum. Adest enim ferè nemo quin acutius atque acrius vitia in dicente quam recta videat. Ita quicquid est in quo offenditur, id etiam illa quæ laudanda sunt, obruit; & quoties dicimus, toties de nobis judicatur. Nec quicquam est tam insigne nec tam ad diuturnitatem memoriæ stabile, quam id in quo deliqueris.

Mæander] Mæander flexuosus & sinuosus fluvius, quod nominis sæpe pro obliquitate sumitur. *Huc Proverb.* Labyrinthus.

Qui vel columnas voce rumpat.] *huc proverb.* Chiliad. Columnas rumpere.

Truo] Aliàs onocratalus, ratio nominis, quod ei instar truæ ingluvies sub rostro propendet.

Colobotes]

Colobotes] mancus & decurtatus. κολοβόω, comminuo & trunco.

Sturnus.] De hac ave *Plin. l.* 10. *cap* 24. *& Volaterranus in Philologia.*

Psecas] stillicidium vel gutta aut stilla. Psecas jam olim audivit *Antimachus Lyricus*, quod identidem exspueret. quod & cognomen datum fuit Olympico cuidam, cuius nomen mihi excidit.

Quam multa rebus.] At istæc licentia & depravata consuetudo reprimenda erat. Siquidem in convicia, quæ torqueri solent, ob ea quæ sunt in corpore vel in fortunis hominum vitiosa, proficiscuntur ab animis parum sanis.

Proinde Vlysses apud *Homerum* Thersitæ non claudicationem, non gibbum aut calvitiem exprobrat, sed omnino garriendi vitium. Sic Achilles non naturæ vitia insectatur in Apamemnone, sed ea quæ animi maxima, quibus adhiberi modus, & quasi frenum imponi rectæ rationis potest.

Ex Hvgeiani Grotii eb Fruis in Satyricon Martiani Capellæ. pr.

Martiani] Auctori huic nostro nomina *quatuor*, quorum *primum* Martianvs ad familiam pertinet: ideoq; *lib. primo* ait; Martianvs intervenit dicens; Quid istud mi pater. Et *lib.* 9.

Habes senilem Martiane fabulam.

Fuit & Jurisconsultus celeberrimus hoc nomine insignitus: à *Marte* derivatur, ut & Martius & Martialis, & (quod recentius) Martinus. Similia multa passim reperias *à Diis* indita; à *Iove*, Diocles, Diogenes, Diomedes, Dion, Diodorus, Jovianus, Zenodotus; *à Iunone*, Heron, Herodotus (fortean & Junius) ab *Hercule* Heraclides, Heraclitus, Heracleon, Heraclius, Herculeius; *à Sole*, Helius, Heliodorus, Heliogabalus; *ab Apolline*, Phœbus, Phœbadius, Apollonius, Apollinaris; *à Minerva*, Pallas, Palladius; *à Baccho*, Dionysius, Bacchides, Bacchylides, Bachius; *à Mercurio*, Hermes, Hermippus, Hermius, Hermocrates, Hermodorus, Hermogenes, Hermolaus, (forsan & Herminius) & ab aliis alia.

Secundum est Minevs quod Glossæ Martiani à *minij* colore dici asseverant: Huius quoque generis plurima reperias, ab *albo* colore, Leucon, Leucaspis, Leucippus; à *nigro*, Melas, Melampus, Melanion, Melaneus, forte & Atratinus; ab aliis Pyrrhus, Erythras, Glaucus, Xanthus, Xanthides, Xanthippus, Chloris, Rufus, Rufinus.

Tertium Felix à bono omine, cui similia sunt Magnus, Faustus, Prosper, Fortunatus, Firmus, Valens, Valentinianus, Firmicus, Augustus, Macareus, Eutyches &c.

Vltimum est Capella, pecudale (ut ipse appellat) nomen, cui paria Caper, Ægeus, Tityrus: A *bestiis* indita sunt & alia, plurima, ab *ovibus*, Ovius, Ovilius, Ovidius; ab *equis* Hippias, Hipparchus, Hippasus, Hippocrates, Hippodamus,

Hippodomus, Hippodromus, Hippolochus, Hippolytus, Hippomachus, Hippomenes, Hipponicus, Hipponax, Hippota, Equitius, Equicolus: à *porcis*, Porcius, Suillius: à *catulis*, Catulus, Catullus, His coniunge, Aper, Leo, Lycus, atq; alia eiusce generis. Duorum nominum posteriorum meminit ipse *libro Astronomico*: Næ tu, ait, FELIX, vel CAPELLA, vel quisquis es: & *libro Harmonico*:

FELICIS, inquit, sed CAPELLÆ famine.

Ex Petri Nannii miscellaneis c. X. libri VII.

Omnes personas vel ex historiis mutuatas esse, vel etymo suis fatis consentire.

Vix ullum apud Vergilium proprium nomen, quin illud, vel ex *historia* sumtum, vel *eventibus* suæ personæ, cuius appellatio est, accommodatum videas. Id ut verum appareat pauca exempla subjiciemus.

Sinon nomen accepit ἀπὸ τοῦ σίνους, quod noxam significat. Inde σίνται βλαπτικοὶ καὶ κακοῦργοι: huius dolo Troja capta est. Ac proinde *Vergilius* de eo.

Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno disce omnes.

Fuit autem ille patruelis Vlyssis, nec dispar *indoli* suorum: nam hoc quoq; observant Poëtæ, ne personæ degenerent à suorum ingeniis. *Calchas* (ut auctor est Eustathius) ἀπὸ τῆς κάλχης, id est, ferrugine sive purpura, nimirum ἡ πορφύρα ὅ ἐστιν ἐν βάθει βυσσοδομένων μαντικά. Genus huic à Melampode, facile inter vates primario, periit dolore, victus à Mopso divinandi peritia, patria illi Bœotia fuit. *Machaon* quasi Machian, ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι τοὺς μαχομένους ἤτοι μαχητάς. *Palamedes*, ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰ μήδεα, hoc est, ab excutiendis inveniendisque consiliis. Fuit enim omnium heroum sagacissimus, ac secundum *Plinium libro septimo cap. 56.* ordinem exercitus. signi dationem, tesseras, & vigilias invenit. *Alethes* ἀπὸ τῆς ἀληθείας à fide & veritate, quæ præcipua est in senibus, unde eum *Vergilius* grandævum appellavit.

Et qua vectus Abas & qua grandævus Alethes.

Nam secundum *Homerum Iliados tertio*, in juvenibus fides fluctuat, in senibus firmioribus radicibus nititur:

αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται

Mens etenim juvenum sine pondere fluctuat usq;.

Helene autem etymon habere videtur, quod navibus capta, & à Paride avecta sit in Phrygiam, ἑλένη, quasi ἑλενήη ἀπὸ τοῦ ἑλέσθαι τῇ νηΐ. Ita quoq; *Vcalegon* ex non curando factus est οὐκ ἀλέγων, & quia res incurii hominis & negligentis proximæ sunt periculo, festiviter à *Vergilio* dictum est:

Iam Deiphobi dedit ampla ruinam
Vulcano superante domus, jam proximus ardet
Vcalegon.

Triton nomen à fluctu, qui Græcè τειτω dicitur. *Crimothoe* à cursu undarum, hæc duo numina naves vado impactas à syrtibus liberant, & in altum deducunt, quod *Vergilius* his verbis innuit.

Crimothoe simul & Triton adnixus acuto
Detrudunt naves scopulo.

Nam ubi maior vis aquarum hærentibus in sicco navibus supervenit, facile ex eo vado explicari solent. *Ceres* unde appellationem habeat, ex ablativo melius agnosces Cerere. Cum enim veteres notum sit C. pro G. usurpasse, fac ex Cerere Gerere, & vim numinis intelliges. Illa enim messem quam terra gerit, procurat, ut *Proserpina* eius filia sementem, dicta nimirum à proserpendo, quod in germinatione proprium est. *Iopas* vero ab emittenda voce ἐτυμολογίζεται, ac propterea *Virgilio* citharœdus fingitur, ut *Calliope* à pulchritudine vocis.

Cythara crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

Quid ideo Crinitus est, ut auricomum Apollinem imitetur. Et syderum cursus enarrat, & eorum deliquia, ut Orphei se æmulum præstet, cuius studium fuit, mundi origines & caussas rerum describere. Ita quoq;,

Rex Anius, rex idem hominum Phœbiq; sacerdos,

Cum Apollinis nomine Hyperione conveniens, à mundi lustratione vocabulo sumto.

Pulcrum nomen habes, virtute extendito; vile
Nomen habes virtute ex vili in nobile muta:
Omnia in eius nomine,
Cui nomen supra omne nomen, per quem nomina nostra cœlo adscripta sunt, benedictum in secula.

FINIS.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967